

The Book of Arnold fitz Thedmar

Appendices

Ian William Stone

Thesis submitted for the Degree of Doctor of Philosophy

King's College London,

University of London

Contents

The Book of Arnold fitz Thedmar	1
Editorial conventions	3
Appendix i: The text.....	5
Appendix ii: Biographies.....	404

Editorial conventions

The present text is drawn from a single unique manuscript: LMA COL/CS/01/001/001, which I have tried, as much as is possible, to reproduce in its entirety. As such, the text below shows all entries made in that manuscript by the scribe or a contemporary corrector, with all contemporary corrections and additions, as well as marginalia, reproduced and/or indicated in the apparatus. The layout of the paragraphs in the text below follows that of the manuscript, save in one or two sections, which are indicated in the commentary to the text. For ease of reference I have introduced paragraph numbers.

Throughout the Latin and Anglo-Norman text and apparatus lower case *u* and *v* are given as *u* (except in the case of roman numerals); upper case *U* and *V* are given as *V*. Lower case *i* and *j* are given as *i*; upper case *I* and *J* are given as *I*. Roman numerals are spelt out in the Latin text, but without accepted standard forms to do this in the Anglo-Norman sections, roman numerals are retained here. Italics in the Latin or Anglo-Norman text indicates rubricated headings in the manuscript. Capitalization and punctuation have been modernised throughout.

Abbreviations are generally expanded silently throughout. Personal names are expanded in the Latin text, and in the Anglo-Norman text if there is an accepted form. In the case of certain placenames, such as *Lond'* and *Cant'*, there can be several accepted expanded forms: therefore, if the same scribe has given one of these names in an expanded form, I have used that as his preferred custom; if, however, he has not, then I have left the placename in its abbreviated form. With placenames for which there is no accepted expanded form, I have left these abbreviated.

I have followed the orthography of the manuscript: I have shown *in/im*, *con/com* and other assimilated consonantal prefixes as they appear; I have included intrusive aspirants and doubled consonants (or the reverse, such as *quatuor*); and I have reproduced *-ti-/-ci-* as they appear in the manuscript, even if the scribal practice here was inconsistent.^a My rule in all cases has been to follow the scribe's preferences: if he wrote *eciam* once and abbreviated it on every other occasion, then I have expanded all his uses of that word as *eciam*, not *etiam*. Certain words, such as *gratia/gracia* seldom appear in an expanded form; in expanding these words I have followed the scribe's general orthographical preference for *-ti-* or *-ci-* in other words where the consonant is followed by *i* and another vowel.

I have used 10 point type to indicate material which has been copied into the manuscript from either the *Gesta Regum Anglorum*, the 'Lost London Annals', or the Southwark Annals. In reproducing this text it is not my intention to get us closer to the original works of either William of Malmesbury or the London annalist, as such, I have not shown every variant reading. Rather, I have only shown variant readings in the apparatus to the text below when they are absolutely required to complete the sense.

Editorial emendation is used as sparingly as possible and only in instances where there is reasonable certainty of authorial/scribal error. I have used the following sigla: < > to indicate editorial addition; [] to indicate damage in the manuscript, and for the insertion of dates and more obscure places; and *** to indicate a lacuna in the text.

^a See fo. 11r where scribe 5 wrote both 'pacienciam' (A, line 33) and 'pacientiam' (B, line 9), Fig. 10, 68-9.

Appendix i: The text

- fo. iv*
- i.** ^aWillelmus filius Ricardi, Iohannes Addrien, Walterus Herui, Willelmus de Dureham, Robertus de Corenhell', Arnaldus Thedmarus, Gregorius Rokesle, Reginaldus de Suthfolchia, Eadwardus Blundus, Willelmus de Hadestoke, Philippus Cissor, Henricus le Waleis.]
- ii.** ^bHic fit mencio de rebus quo subnotantur in hoc libro sequenti.
- 1.** Capitulum primum - Questiones que tangunt in parte augorismum.
- 2.** Capitulum secundum - Epistola Bonefacii archiepiscopi Maguncie et martiris quam misit Adelbaldo regi Merciorum in Angliam.
- 3.** Capitulum tercium - De quodam archiepiscopo Coloniensi. De duobus clericis inter quos ita fide media conuenit quod qui ante alterum obiret infra triginta dies de statu suo superstiti nunciaret.
- 4.** Capitulum quartum - Miraculum de Maurilio Fiscanensi monacho.
- 5.** Capitulum quintum - Aliud miraculum de quodam alio monacho.
- 6.** Capitulum sextum - De muliere incantatrice que mansit in Berkeleya.
- 7.** Capitulum septimum - Prodigium de quodam iuene in Roma qui duxerat uxorem.
- 8.** Capitulum octauum - De philosopho nomine Secundo.
- 9.** Capitulum nonum - Nomina Romanorum pontificum metricè scripta.
- 10.** Capitulum decimum - Nomina imperatorum Romanorum metricè scripta

^a *Scribe 1.*

^b *Scribe 2.*

11. Capitulum undecimum - De origine gentis Francorum et de rege Carolomangno.
^aEt de Beda.^a
12. Capitulum duodecimum - Visio Caroli regis Swauorum.
13. Capitulum tercium decimum - De Carolo rege qui filiam Edwardi regis Anglie primi duxerat in uxorem.
14. Capitulum quartum decimum - De Cnutone rege Anglie et Denemarcie.
15. Capitulum quintum decimum - De filiis suis post eum regibus.
16. Capitulum sextum decimum - De egregio imperatore Henrico primo qui Gonildam filiam predicti Cnutonis ^bduxit in uxorem.^b
17. Capitulum septimum decimum - De Beringario Turronensi heresiarcha.
18. Capitulum octauum decimum - De Gregorio papa quinto antea dicto Gracianus.
19. Capitulum nonum decimum - De Siluestro papa secundo, antea Gerebertus nominato, qui fecerat homagium demoni.
20. Capitulum uicesimum - De miraculo quod accidit in Saxonia ubi est ecclesia Sancti Magni martiris.
21. Capitulum unum et uicesimum - De Gregorio papa septimo antea dictus Hildebrandus.
22. Capitulum duum et uicesimum - De Vrbano Papa secundo cuius temporibus multi nobiles cruce signati sunt; qui postea ceperunt Antiochiam et Ierusalem.

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

23. Capitulum trium et uicesimum - De alio imperatore Henrico qui duxerat filiam regis Anglie Henrici primi in uxorem et qui cepit Paschalem papam cum tota curia sua, et qualiter idem papa coronauit eum in imperatorem. Set iterum postea mota est discordia inter ipsum papam et ipsum imperatorem.

24. Capitulum quartum et uicesimum - De pace facta inter Calixtum papam et ipsum imperatorem.

fo. ii **25.** Capitulum quintum et uicesimum - Nomina episcoporum et patriarcharum Ierosolimitanarum a tempore Iacobi Alphey primi episcopi Ierosolimitanarum | usque ad tempora Symeonis, qui fuit patriarcha tempore quo Godefridus factus fuit rex Ierosolimitanarum.

26. Capitulum sextum et uicesimum - Cronica regum Anglorum a tempore quo Angli et Saxones uenerunt in Angliam.

27. Capitulum septimum et uicesimum - In primis regibus qui regnauerunt in Cancia usque ad tempus Eyldbridti regis West Saxonum, qui regnauit anno Domini octingesimo.

28. Capitulum octauum et uicesimum - De regibus Northymbrorum qui regnauerunt ultra fluuium Humbre usque ad tempora Eilbritthi predicti regis.

29. Capitulum nonum et uicesimum - De regibus Merciorum qui regnauerunt usque ad predictum tempus dicti regis Eylbritthi.

30. Capitulum tricesimum - De regibus Orientalium Anglorum qui regnauerunt usque ad tempora predicti regis Eylbritthi.

31. Capitulum unum et tricesimum - De regibus Orientalium Saxonum qui regnauerunt usque ad tempora predicti regis Eylbritthi.

32. Capitulum duum et tricesimum - De predicto Eylbrittho et successoribus suis qui regnauerunt in totam Angliam usque ad aduentum Normannorum.
33. Capitulum trium et tricesimum - De regibus Normannorum qui regnauerunt usque ad obitum Henrici filii regis Iohannis, qui obiit anno Domini millesimo ducentesimo ^aseptuagesimo secundo mense Nouembris.^a
34. Capitulum quartum et tricesimum - Visio Sancti Edwardi regis et confessoris quam uidit quando laborauit in extremis.
35. Capitulum quintum et tricesimum - Genealogia regis Anglie Henrici secundi usque ad Noe, ut dicitur.
36. Capitulum sextum et tricesimum - Nomina regum qui regnauerunt in Anglia a predicto Eylbrittho per ordinem scripta usque ad obitum predicti regis Henrici.
37. Capitulum septimum et tricesimum - Qualiter procedendum est in assayo quod fit quolibet anno in ciuitate ad exemplar pistorum ut sciant quantum panes illorum debent ponderare per totum illum annum.
38. Capitulum octauum et tricesimum - De placito usitato in ciuitate quod uocatur assisa.
39. Capitulum nouum et tricesimum - Nomina uniuersorum episcoporum qui fuerunt in Anglia postquam Angli uenerunt in Angliam.
40. Capitulum quadragesimum - Nomina archiepiscoporum Cantuariensium metricè scripta.

^{a-a} *Add. scribe 1 over an erasure.*

41. Capitulum unum et quadragesimum - Nomina uicecomitum Londoniarum per ordinem scripta.

42. Capitulum duum et quadragesimum - Nomina maiorum eiusdem ciuitatis per ordinem scripta.

43. Capitulum trium et quadragesimum - Cronica maiorum et uicecomitum Londoniarum et quedam que contingebant temporibus illorum.

44. Capitulum quartum et quadragesimum - Prouisiones facte per dominum Henricum regem filium regis Iohannis et consilium suum ad leges Anglicanas emendandas.

fo. ii^v **45.** Capitulum quintum et quadragesimum - Carta eiusdem regis et inrotulata apud Westmonasterium ad maliciam et perfidiam Iudeorum reprimendam, quibus usi fuerunt per quosdam de consilio domini regis | muneribus corruptos, et per eosdem uoluerunt de aliis prauis consuetudinibus uti.

46. Capitulum sextum et quadragesimum - De quodam monstro olim uiso in confinio Britannie et Normannie qui habuit duo capita feminina et duo corpora et omnia membra gemina usque ad umbilicum.

fo. 1 **47.** Et alia scripta sunt in libro subsequenti de quibus nulla mencio facta est superius. |

48. ^aTranscripta litterarum domini regis Henrici et domini regis Edwardi filii sui, de quibus mencio facta est in fine libri istius.

^a *Scribe 1.*

49. Henricus Dei gracia et cetera. Monstrauit nobis Arnaldus filius Thedmari conciuus uester quod cum ciues nostri Londoniarum finem nuper pro uiginti milia marcarum nobiscum fecissent pro bona uoluntate nostra habenda, idem Arnaldus occasione predicta per quosdam sinistram erga ipsum uoluntatem habentes ad quamdam magnam pecunie summam minus iuste sine uisneto suo ac ultra quam facultates sue sufficerent assessus fuit; de qua pecunie summa centum marcas non sine magno grauamine persoluit. Et cum postmodum de speciali mandato nostro dilecto et fideli nostro Alano la Zuche, tunc custode ciuitatis et constabularius turris nostre Londoniarum, per communam tocus ciuitatis predictae arcus inquisitum et consideratum esset coram ipso quantum quilibet ciuis iuxta facultates suas soluere debuerit, et quantum iam soluerit ad contributionem finis predicti, et iuxta considerationem illam generale tallagium assessum esset super ciues predictos, compertum fuit in inquisitione predicta per sacramenta proborum hominum de uisneto predicti Arnaldi et aliorum, qui ad dictum tallagium assidendum deputati fuerunt, ipsum Arnaldum ultra uires facultatum suarum iam soluisse; propter quod per eosdem probes homines prouisum fuit coram Alano predicto quod dictus Arnaldus per predictas centum marcas quas una cum triginta duabus marcis alias sibi impositis plene persoluerat, tam de fine predicto quam etiam de contributione mille marcarum facta regi Alemannie^a fratri nostro quietus esset et esse deberet omnino; et ad hoc inuocat testimonium rotulorum camerariorum ciuitatis predictae de predicto tallagio. Nolentes igitur dictum Arnaldum, qui semper nobis et nostris fideliter et constanter adhesit, indebite pregruari, uobis firmiter iniungentes quod scrutatis rotulis predictis ab ipso Arnaldo ultra considerationem et irrotulationem predictam nichil penitus exigatis nec ipsum occasione finis predicti de cetero molestetis,

^a quondam *erased*.

et si quam districcionem sibi occasione ulterioris exaccionis huius fieri feceritis, eam penitus relaxetis. Teste et cetera.

fo. 1^v 50. Edwardus Dei gracia et cetera maiori et uicecomitibus Londoniarum salutem. Monstrauit nobis Arnaldus filius Thedmari conciuus uester quod cum ciues nostri Londoniarum nuper finem fecissent pro uiginti milia marcarum cum domino Henrico rege patre nostro pro bona uoluntate eiusdem patris nostri habenda, idem Arnaldus occasione finis predicti per quosdam sinistram erga ipsum uoluntatem habentes ad quamdam magnam pecunie summam ultra quam facultates sue sufficerent sine uisneto suo assessus fuit minus iuste; de qua pecunie summa centum marcas non sine magno grauamine persoluit. Et cum postmodum per communam tocius ciuitatis predictae coram Alano la Zuche, tunc custode ciuitatis predictae et constabularius turris nostre Londoniarum, arcus inquisitum esset et consideratum quantam quilibet ciues iuxta | facultates suas soluere debuerit, et quantam soluerit contribucionem predictae et iuxta consideracionem illam generale tallagium super ciues predictos assessum esset, compertum fuit in inquisicione predicta per sacramentum proborum et legalium hominum de uisneto predicti Arnaldi et aliorum, qui ad dictum tallagium assidendum deputati fuerunt, predictum Arnaldum ultra uires facultatum suarum fini predicto contribuisse; propter quod per eosdem probos et legales homines coram predicto Alano prouisum quod predictus Arnaldus per predictas centum marcas quas una cum triginta duabus alias sibi impositis plene persoluerat, tam de fine predicto quam etiam de contribucione mille marcarum facta regi Alemmanie auunculo nostro quietus esset et omnino quietus esse deberet; et ad hoc inuocat testimonium rotulorum camerariorum ciuitatis predictae de tallagio predicto. Nolentes igitur predictum Arnaldum, qui semper fidei nostre et predicti regis patris nostri constanter adhesit, indebite pregauri in hac predictae, uobis mandamus firmiter iniungentes quod scrutatis rotulis camerariorum

predictorum de tallagio predicto, si uobis constare possit ita esse tunc a prefato Arnaldo ultra considerationem et irrotulacionem predictas nichil penitus exigatis nec ipsum occasione finis predicti de cetero molestetis, set ipsum inde quietus esse permittatis et districtione si quam ei feceritis occasione ulterioris exactionis huiusmodi, illam penitus relaxetis. Datum et cetera.

51. Pro predictis litteris noluit Walterus Herui^a tempore maioratus sui cessare a grauamine predicti Arnaldi contra irrotulacionem.

52. Postea factus est maior Henricus le Waleys, qui cum aliquibus ciuibus iuratis ad exa<m>ianda arreragia omnium tallagiorum sicut predictum est, exigebant ab eodem quandam pecunie summam^b contra predictam irrotulacionem; qui uero accedens ad curiam domini regis impe<trauit> iterum litteras regis maiori et ciuibus directas quibus lectis et intellectis concesserunt obseruare dictam irrotulationem. Set tamen ipsi uoluerunt quod dictus Arnaldus iuaret ad aurum regine et ad alias^c expensas ciuitatis acquietandas; unde ita conuenit inter predictos maiorem et ciues ac predictum Arnaldum sicut subnotatur quod eciam scribitur in rotulis camerariorum.

53. Memorandum cum quedam summa pecunie petita fuisset de Arnaldo filio Thedmari coram domino Henrico le Waleis maiore Londoniarum et quibusdam aliis ciuibus, quorum nomina subscribuntur, per totam communam ciuitatis attornatis et iuratis ad arreragia omnium assessionum et tallagiorum antea factarum in ciuitate examinanda; et super hoc inter predictos maiorem et ciues ac predictum Arnaldum per aliquod tempus fuisset altercatum, quod tandem inter | predictos maiorem et ciues ac predictum Arnaldum dicta contencio conquieuit in forma subscripta, uidelicet: quod

fo. 2

^a *Marginal ins. scribe 1.*

^b *Marginal ins. scribe 1.*

^c *Ins. above line.*

constabat predictis maiori et ciuibus per rotulos magni tallagii tempore domini Alani la Zuche quondam custodis predicte ciuitatis facti ipsum Arnaldum omnino esse quietum de redempcione uiginti milia marcarum et de fine mille marcarum uersus dominum regem Alemannie facto pro centum et triginta duabus marcis quas tempore eodem persoluerat, prout dicti rotuli plene recordant; constabat eciam eis eundem Arnaldum alibi pluries fuisse grauatum: consideratum est per predictos maiorem et ciues iuratos quod idem Arnaldus pro sex libris, quas eis tunc soluit in auxilium expensarum ciuitatis acquietandum, et pro quadraginta solidis, quos tempore maioratus domini Walteri Herui ad contribucionem auri regine persoluerat, omnino sit quietus de auro regine et de omnibus tallagiis, assessionibus, quarteragiis, duplicibus, uicesimis, auxiliis, prestitis et expensis in ciuitate Londoniarum factis usque ad festum apostolorum Philippi et Iacobi anno regni domini regis Edwardi filii regis Henrici secundo [1 May], presentibus predictis domino Henrico maiore et aliis iuratis, scilicet: Nicholo de Wyntonia uicecomite; Stephano de Mundene et Hugone Mutun camerariis; Iohanne, Waltero le Poteri, Iohanne de Norhamptona, Radulfo le Blund aldermannis; Radulfo de la More, Radulfo de Brumle, Roberto Gratefige, Willelmo de Fareweden', Hugone de Duntone, Thoma Heyrun et Godefrido le Cofrer et aliis.

54. ^a<L'an> Edward sime le quarter de fourment a .vi. sous .j. denier ou le contaes le saccod de mayle pesera .liiij. sous. Le peyn leue pesera .lxxij. sous. Le peyn bise pesera .iiij. liures .xvj. sous. L'an Edward sime le peyn de courte de maylle pesera .iiij. liures. .viiij. sous. Le peyn meciloun. |

fo. 3

55. ^bSecundum capitulum.^b

^a Scribe 4.

^{b-b} Add. scribe 3.

^aBonefacius archiepiscopus Magnociacensis, natione Anglus, qui postea martyrio coronatus est, misit epistolam, cuius hic partem subdam, Ethelbaldo regi Merciorum terre, documentum ingens ostensis mortibus quorundam regum, quam districte Deus eos puniat, quos diu librata ira expectat. ‘<D>omino karissimo et in Christi amore ceteris regibus Anglorum preferendo Ethelbaldo Bonefacius archiepiscopus, legatus Germanicus Romane ecclesie, perpetuam in Christo caritatis salutem. Confitemur coram Deo quia, quando prosperitatem uestram et fidem et bona opera audimus, letamur. Quando autem aliquid aduersum uel in euentu bellorum uel de periculo animarum de uobis cognoscimus, tristamur. Audiuimus enim quod elemosinis intentus furta et rapinas prohibes et pacem diligis et defensor uiduarum et pauperum es, et inde Deo gratias agimus. Quod uero legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile. Sed, quia in luxuria et in adulterio etiam cum sanctimonialibus uolutaris, est uituperabile et dampnabile. Nam et famam glorie uestre coram Deo et hominibus confudit, et inter ydolatras constituit, quia templum Dei uiolasti. Quapropter, fili karissime, penitere^a et memorare quam turpe sit ut tu, qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad iniuriam eius sis libidinis seruus. Audiuimus preterea quod optimates pene omnes gentes Merciorum tuo exemplo legitimas uxores deserant, et adulteras et sanctimoniales constuprent. Quod quam sit peregrinum ab honestate doceat nos aliene gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, ubi nulla est Christi cognitio, si uirgo in paterna domo uel maritata sub conuice fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, et supra fossam sepulte corruptorem suspendunt, aut cingulotenus uestibus abscissis flagellant eam caste matrone et cultellis pungent, et de uilla in uillam misse occurrunt noue flagellatrices, donec interimant. Insuper et Wideni, quod est fedissimum genus hominum, hunc habent morem, ut mulier uiro mortuo se in rogo cremati pariter arsura precipitet. Si ergo gentiles, Deum ignorantes, tantum zelum castimonie habent, quid tibi conuenit, fili karissime, qui Christianus et rex es? Parce ergo anime tue, parce multitudini populi tuo pereuntes exemplo, de quorum animabus redditus es rationem. Attende et illud, quod si gens Anglorum, sicut in Francia et Italia et ab ipsis paganis nobis impropertur, spretis legitimis matrimoniis per adulteria defluit, nascitura ex tali commixtione sit gens ignaue et Dei contemptrix, que perditis moribus patriam pessundet, sicut Burgundionibus et Prouincialibus et Hyspaniis contigit, quos Saraceni multis annis infestant propter peccata preterita. Preterea nuntiatum est nobis quod, multa priuilegia ecclesiarum et monasteriorum auferens, ^bab hoc audiendum duces tuos^b exemplo prouoces. Sed recogita, queso, qua terribilem uindictam Deus in anteriores reges exercuit eius culpe conscisos quam in te arguimus. Nam Ceolredum

^a *Scribe 5.*

fo. 3^v predecessorem tuum, stupra|torem sanctimonialium et ecclesiasticorum priuilegiorum fractorem, splendide cum suis comitibus epulantem spiritus malignus arripuit, et sine confessione et uiatico, cum diabolo sermocinanti et legem Dei detestanti, animam extorsit. Osredum quoque, regem Deirorum et Berniciorum, carrundem culparum rerum ita effrenem egit ut regnum et iuuenilem etatem contemptibili morte amitteret. Karolus quoque, princeps Francorum, monasteriorum multorum euersor, ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios commutator, longa torcione et ueneranda morte consumptus est.’ Et infra: ‘Quapropter, fili karissime, paternis et subnexis precibus deprecamur ut non despicias consilium patrum tuorum, qui pro Dei amore celsitudinem tuam apellare satagunt. Nichil enim bono regi salubrius quam si talia commissa, cum arguuntur, libenter emendentur, quia per Salomonem dicitur, “qui diligit disciplinam, diligit sapientiam”. Ideo, fili karissime, ostendentes consilium, contestamur et obsecramus per uiuentem Deum, et per filium eius Iesum Cristum, et per Spiritum sanctum, ut recorderis quam fugitiua sit presens uita et quam breuis et momentanea delectatio spurce carnis, et quam ignominiosum sit ut breuis uite homo mala exempla in perpetuum posteris relinquat. Incipe ergo melioribus moribus uitam componere et preteritos errores iuuentutis corrigere, ut hic coram hominibus laudem habeas, et in futuro eterna ^agloria gloria^a. Valere celsitudinem et in bonis moribus proficere optamus.’

56. ^bTercium capitulum.^b

In urbe, que olim Agripania ab Agrippa genero Augusti dicta, postea a Troianano imperatore Colonia denominata est, quod ibi, in imperium allectus colonis ciuium Romanorum eo deduxerit, ut hac, inquam, ciuitate fuit episcopus quidam, preclarus religione quamuis turpis corpore. Cuius unum miraculum, quod moriens predixit, referam, si prius dixerem quam insolitus casus eum in tanto culmine fastigauerit. Imperator terre illius, dominica illa que uocatur Quinquagesima uenatum pergens, solus ad horam silue deuenit omnibus comitibus dispersis, iuxta quam habebat ecclesiam ille presberiteri agrestis. Deformis sane, et pene potentum nature, imperator, se militem mentitus, suppliciter rogat missam. Ille confestim parat. Alter interius uoluebat animo quare Deus, a quo formosa cuncta procedunt, tam deformem hominem sacramenta sua conficere sineret. Mox cum aduersum tractus uentum esset ‘Scitote quoniam Dominus ipse est Deus’, sacerdos socordiam pueri familiaris increpitans respexit et concitatiore uoce,

^a gloria gaudeas *Gesta Regum, i, c. 81.*

^{b-b} *Add. scribe 2.*

quasi cogitanti imperatori respondet. Dixit 'Ipsi^a fecit nos et non ipsi nos'. Quo dicto repercussus imperator, propheticum uirum estimans, inuitum et renitentem sullimauit in archiepiscopum. Quod tamen semel susceptum dignis moribus honestauit, bene agentes blande appellare, | improbos excommunicationis stigmatate inurere sine persone acceptione. Multa illius acta constanter acolle predicant, quorum unum pro suscepti operis breuitate lector percurret. In monasterio sanctimonialium urbis illius erat uirgo quedam, que illuc magnum parentum officio quam bone uite studio adoleuerat. Hec et speciei lenocinio et dulci ad omnes alloquio amatores inuitabat. Sed cum ceteri uel timore Dei uel pro infamia seculi cupiditates suas cohiberent, unus, quem opum congeries et alta progenies in proteruiam accenderat, abrupuit quod legis quod iusticie, puelle uirginal expugnare ausus. Abductamque domum loco iuste coniugus habuit. Transiit multum tempus in abbatisse pre omnibus, in propinquorum ammonitionibus, ne tam fedo facinori assuesceret; ille surdis auribus ammonentes transie<n>s uelud pelagi rupes immota resistit. Ac cum forte antistes haberat,^b curie curis implicitus; regresso res nuntiatur. Mandat ille continuo u<t>^c ouis ouili restituatur; ita, multis uerbis ultro citroque habitis, mulier monasterio redditur, sed non multo post, abcessu pontificis aucupato, abripitur. Tunc deliquente excommunicato promulgatur, ita ut nullus ciuium cum eo colloqui, nullus conuiuari auderet. Quam ille iniuriam parui pensans in predia iuris sui longe abiit, non ut preceptum fodet, sed ut arbitrium fugeret, ibi cum excommunicata sua uitam transigens, homo factiosus et potens. Sed cum Deus episcopum ad superos euocaret, et graui dolore membra depastus in lecto decumberet, conuenerunt undique compatriote ut extreme benedictioni beati uiri communicarent. Solus ille uenire non presumens, subornauit aliquos qui pro se loquerentur. Eius nomen auditum primo pontifex gemitu excepit, inde subiecit uerba. Verba ipsa dicturus sum: 'Si miser ille maledictam mulierem deseruerit, sit absolutus; si perstiteret, posteriori anno hac eadem die et hora quod ego decedam sit ante Deum reddere rationem paratus. Videbitis autem me quando signum ad sextam sonuerit efflare'. Nec fides uerbis defuit, nam iste et hora qua predixerat defunctus, et ille anno euoluto eadem die et hora cum amica fulmine ictus examinatus est.

57. ^dQuartum capitulum.^d

^a Ipse *Gesta Regum*, i, c. 175.

^b aberat *Gesta Regum*, i, c. 175.

^c *Gesta Regum*, i, c. 175.

^{d-d} *Add. scribe 2.*

Erant in urbe Nannetis duo clerici, nondum patientibus annis presbyteri. Id officium magnum precario quam bone iudex merito ab episcopo loci exegerant. Denique alterius miserandus exitus superstitem instruxit quam fuerint antea in inferni lapsum ambo precipites. Ceterum quod ad scientiam litterarum tendit ita edocti ut aut parum aut nil ipsis debent artibus. Arreptantibus infancie rudimentis adeo iocundis amicitie officiis emuli ut iuxta comici dictum manibus pedibusque conando periculum etiam, si ne<cesse>^a | esset, capitis pro inuicem facerent. Quare die quadam liberiolem a curis aminum forinsecis nacti, in secreto conclau huiuscemodi sententias fudere: pluribus annis nunc litteris nunc seculi lucris mentes exercuisse, nec saciasse magis ad distortum quam ad rectum intentas. Inter hec illum acerbum diem sensim appropinquare qui sociecatis sue inextricabile in uita uinculum disrumperet. Vnde preuidendum mature ut fides, que conglutinaret uiuentes, primo mortuum comitaretur ad manes. Paciscuntur ergo ut, quisquis eorum ante obiret, superstiti uel dormienti uel uigilanti appareret infra triginta procul dubio dies; si fiat, edocturus qui secundum Platonicos mors spiritum non extinguat, sed ad principium sui Deum tanquam est carcere emittat; sin minus, Epicureorum secte concedendum, qui apponantur animam tempore solutam in aerem euanescere, in auras effluere. Ita data acceptaque fide, cotidianis colloquiis sacramentum frequentabant. Nec multum in medio, et ecce mors repentina imminens indignantem alitum uni eorum uiolenter extraxit. Remansit alter, et serio de socii desponsione cogitans, et iam iamque affuturum prestolans, cassa opinione triginta diebus uentos pauit. Quibus elapsis, cum desperans aliis negotiis auocasset animi ocium, astitit subito uigilanti et quidam operis molienti, uultu qualis solet esse morientium anima fugiente exanguis. Tunc tacentum uiuum prior mortuus compellans, 'Agnoscis me?' inquit. 'Agnosco' respondit, 'et non tantum de insolita tua turborum presentia quantum de diuturna mirorum absentia'. At ille, uir traditatem aduentus excusauit, 'Tandem' ait, 'tandem, expeditis morarum nexibus uenio; sed aduentus iste tibi, si uoles amice, erit comodus, michi omnino infructuosus, quippe qui, pro nuntiata et acclamata sententia sempiternis sum deputatus suppliciis'. Cumque uiuus ad ereptionem mortui omnia sua monasteriis et egenis expensurum, seque dies et noctes ieiuniis et orationibus continuatur promitteret, 'Fixum est' inquit 'quod dixi, quia sine penitentia sunt iudicia Dei, quibus in sulphuream inferni uoraginem demersus sum. Ibi dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis uoluat. Inflexibilis sententiae manet rigor, eterna et innumera penarum genera comminiscens, totus modo mundus ualitura remedia exquirat. Et ut aliquam experiaris ex meis

^a *Gesta Regum, i, c. 237.*

fo. 5 innumerabilibus penis,' protendit manum sanioso ulcere stillantem, et 'enim' ait 'una ex incimcis,^a uideturne tibi leuis?'. Cum leuem sibi uidere referret, ille, curuatis in uolam digitis, tres guttas defluentis tabi super eum iaculatus est. Quarum due timpora, una frontem contingentes cutem et carnem sicut ignito cauterio penetrarunt, foramen nucis capax efficientes. Illo magnitudinem doloris clamore testante, 'Hoc' inquit mortuus | 'erit tibi, quantum uixeris, et penarum mearum graue documentum. Quapropter dum licet, dum mutat ira, dum pendula Deus te operitur clementia, muta habitum, muta animum, Redsius monachus effectus apud Sanctum Melanium'. Ad hec uerba uiuo respondere nolente, alter eum oculi uigore perstringens, 'Si dubitas' inquit 'conuerti, miser, lege literas castris', et simul cum dicto manum expandit tetricis notis inscriptam, in quibus Sathanas et omne inferorum satellicium gratias omni ecclesiastico cetui de Tartaro emittebant, quod cum ipsi in nullo suis uoluptatibus deessent, tum tantum innumerum subditarum piteretur ad inferna descendere predicationis incuria quantum nunquam retroacta uiderunt secula. Hiis dictis loquentis aspectus disparuit, et audiens, omnibus suis per ecclesias et egenos distributis, Sanctum Melanium adiit, omnes audientes et uidentes de subita conuersione et illustri conuersione admonens ut dicerent 'Hec est mutatio dextre Excelsi'. Ista pro utilitate legentium me inseruisse non pinguit.

58. ^bCapitulum quartum.^b

Malgerio successit Maurilius, Fiscanensis monachus, multis uirtutibus sed maxime abstinentia laudatus. Is post bene et sancte actam uitam, cum ad extremum Deo uocante uenisset, uitali priuatus alitu ferme dimidia die iacuit defunctus. Verumptamen, cum iam pararetur in ecclesia ferri, anima resumpta circumstantes lacrimabili gaudio profudit, stupentes hoc sermone corroborat, 'Attenti animo estote, ultima pastoris uerba uestri excipientes. Naturali morte resolutus fui, sed ut uobis intimarem que uidi reductus sum, nec aliquanto diutius subsistam, quia in Domino soporari delectat. Ductores spiritus mei uultibus et uestibus ad omnem elegantiam erant compositi. Concordabat uerborum lenitas cum nitore uestium, ut nichil desiderem preter talium uirorum obsequium. Itaque blandis assentationibus gauisus ibam, ut uere michi uidebatur, uersus orientem; promittebatur michi sedes paradisiaca ingressi Asiam uenimus Ierosolimam; ibi sanctis adoratis Iordanen pertendimus. Ceterioris ripe accole, ductorum meorum contubernio mixti, letum cetum fecere. Ego uissendi ulteriora studio transitum maturabam. Tunc comites Deum precepisse referrunt ut ante demonum uisione terrificarer, quatenus ueniales culpe,

^a minimis *Gesta Regum*, i, c. 237.

^{b-b} *Add. scribe 2.*

fo. 5^v

quas confessione non delueram, pauore horendarum formarum purgarentur. Cum dicto astitit alteri parti tanta demonum uis, has<tilia>^a acuta uibrantium, ignes efflantium, ut ager ferreus, aer flammeus uideretur. Eorum horrorem ita sum affectus ut, si terra dehisceret, si celum patesceret, tuto michi utrobique refugiendum non estimarem. Ita menticulosus, dum quo euadam dubito, repente, ut hec dicens uestre saluti nisi negligitis consulerem, halitum recepi, confestim effusus'. Dixit, et cum uerbo pene spiritum effudit. Corpus, | in ecclesia sancte Marie tunc humi defossum, miraculo modo, ut aiunt, diuino altius tribus pedibus super terram eleuatum est.

59. ^bCapitulum quintum.^b

Dictum quod in Fuldensi cenobio accidisse uir reuerendus michi narrauit, Walkerius prior Mauuerni, cuius uerbis qui non credit iniuriam religioni facit. 'Non' ait 'plusquam quindecim anni sunt quod in eodem loco exitialis lues grassata prius abbatem corripuit, mox multos monachorum extinxit. Superstites primo quisque sibi temere, orationes et elemosinas largiores facere; sed processu temporis, ut est omnium natura hominum, pedetemptim metu dempto ommittere. Cellarius presertim, qui palam et ridicule clamitaret non posse penum tot expensis sufficere. Sperasse se nuper aliquod alleuiamentum pro tot elationibus funerum; nichil ultra spei esse, siquid uiui nequissent mortui consumerent. Itaque cum quadam nocte propter necessaria soporem diu distulisset, tandem elaqueatis morarum retibus in dormitorium ire pergebat. Et ecce rem miram auditorus es: uidet in capitulo abbatem, et omnes qui obierant illo anno, eo quo excesserant ordine sedere. Timidus et effugere gestiens ui retractus est. Increpitus et monastico more flagellis cohercitus, audiuit uerba abbatis in hanc omnino sententiam: stultum esse de alterius morte emolumentum inhiare, cum sors cuiusque sub eodem pendeat fato. Impium esse, cum monachus omnem uitam consumpserit in ecclesie obsequio, ut careat saltem unius anni post mortem stipendio. Illum citissime obitur, sed quicquid pro eo fieret, ad aliorum quibus abstulerat refundendum commodum. Iret modo, et alios corrigeret exemplo, quos corruperat uerbo. Abiit ille, et nichil uanum se uidisse tam recentibus plagis quam proximo sui obitu monstrauit'.

60. ^cCapitulum sextum.^c

^a *Gesta Regum, i, c. 268.*

^{b-b} *Add. scribe 2.*

^{c-c} *Add. scribe 2.*

Mulier in Bercheleia mansitabat maleficiis, ut post patuit, insueta,^a auguriorum ueterum non inscia, gule patrona, patulantie arbitra, flacii non ponens modum, quod esset adhuc citra senium, uicino licet pede pulsans senectutis aditum. Hec cum quadam die conuiuaret, cornicula quam in deliciis habebat uocalius solito nescio quid cornicata est. Quo audito, domine cultellus excidit, simul et uultus expalluit. Et producto gemitu 'Hodie' ait 'ad ultimum sulcum meum peruenit aratrum, hodie audiam et accipiam grande incomodum'. Cum dicto nuntius miseriarum intrauit, percunctatus quid ita uultuosus aduentaret, 'Afferro' inquit 'tibi ex uilla illa' (et nominauit locum) 'filii obitum et tocius familie ex subita ruina interitum'. Hoc dolore femina pectus saucia continuo decubuit, sentiensque morbum perrepere ad <u>italia^a superstites liberos, monachum et monacham, pernicibus inuitauit epistolis. Aduenientes ^buoces inglutiente^b alloquitur: 'Ego, filii, quodam meo miserabili fato demonicis semper artibus inseruii. Ego uiciorum omnium sentina, ego | illecebrarum magistra fui. Erat tamen inter hec mala spes uestre religionis que miseram palparet animam. De me desperata in uobis reclinabar. Vos proponebam propugnatores aduersus demones, tutores contra seuissimos hostes. Nunc igitur, quia ad finem uite accessi, et illos habeo exactores in pena quos habui suasores in culpa, rogo uos per materna ubera, si qua fides, si qua pietas, ut mea saltem temptetis alleuiare tormenta. Et anime quidem sententiam prolatam non reuocabitis, corpus uero forsitan hoc modo seruabitis. Insuite corio ceruino, deinde in sarchophago lapideos supinate. Operculum plumbo et ferro constringite, super hec lapidem tribus chatenis ferreis, magni scilicet ponderis, circumdate; psalmicos quinquaginta sint noctibus, eiusdemque numeri misse diebus, qui aduersariorum excursus feroces leuigent. Ita, si tribus noctibus secure iacero, quarto die infodite matrem uestram humo, quandoque uerear ne fugiat terra sinibus me recipere et fouere suis, que tociens grauata est maliciis meis'. Factum est ut preceperat, illis magno studio incumbentibus. Sed, proh nefas nil lacrimae ualuere pie, nil uota, nil preces. Tanto erat muliercule malicia, tanta deaboli uiolentia. Primis enim duabus noctibus, cum chori clericorum psalmos circa corpus concreparent, singuli demones hostium ecclesie, immani obice clausum, leui negotio defringentes extremas cathenas diruperunt. Mediaque operiosus elaborata erat. Tercia nocte circa gallicinium strepitu aduenientium hostium omne monasterium a fundamentis uisum. Vnus, ceteris et uultu terribilior et statura eminentior, ianuas maiori ui concussas in fragmenta deiecit. Diriguere clerici metu, 'steteruntque come et uox faucibus hesit'. Ille arroganti, ut uidebatur, gestu ad sarchophigum uenit, inclamatoque nomine ut surgeret imperauit. Qua respondente quod nequiret pro uinculis, 'Solueris' inquit, 'et malo tuo', statimque cathenam, que

^a *Gesta Regum*, i, c. 204.

^{b-b} uoce singultiente *Ibid.*

ceterorum ferociam eluserat, nullo conamine ut stupeum uinculum dirupit. Operculum etiam tube^a pede depulit. Apprehensamque manu palam omnibus extraxit ab ecclesia; ubi pro foribus equus niger et superbum, hinnens uidebatur, uncis ferreis per totum tergum protubantibus, super quos misera imposita mox ab oculis intuentium cum toto sodalico disparuit. Audiebantur tamen clamores per quattuor fere miliaria miserabiles supplicas arrantis. Apud Francos quoque non semel auditum est quod dicam: Karolum Martellum, insignis fortitudinis uirum, qui Saracenos Gallias ingressos Hispaniam redire compulit, exactis diebus suis in ecclesia Sancti Dionisii sepultum, sed quia patrimonia omnium pene monasteriorum Gallie pro mercede commilitonum mutilauerat, uisibiliter a malignis spiritibus e sepulcro abreptum, ad hanc diem nusquam uisum. Denique illud iruelatum Aurelianensi episcopo, et per eum in uulgus seminatum. |

fo. 6^v

61. ^bCapitulum septimum.^b

Vrbis Rome ^aciuis ephebus etate, locuples opibus, genere seminario^c sullimis uxorem^a nouiter duxerat, sodalibus suis accitis, conuiuium frequens parauerat. Post cibum, cum minoribus poculis hilaritatem inuitassent, in Campum prodeunt, ut onoratos dapibus stomachos uel saltu uel iactu uel aliquo exercicio attenuarent. Ipse rex conuiuii, ludi signifer, pilam poposcit; interim anulum sponsalium digito extento statue eree, que proxime astabat, composuit. Sed cum pene omnes solum impeterent, suspiciosus extis incalcentibus primus se a lusu remouit, anulum repetens inuenit statue digitum usque ad uolam curuatum. Diu ibi luctatus, quod nec anulum eicere nec digitum ualeret frangere, tacite discessit. Re sodalibus celata, ne uel presentem riderent uel absentem anullo priuarent. Ita nocte intempesta cum famulis rediens, digitum iterum extentum, et anulum exemptum miratus est. Dissimulato dampno, noue nupte blanditiis delinitus est. Cumque hora cubandi uenisset seque iuxta uxorem collocasset, sensit quidam nebulosum et densum inter se et illam uolutari, quod posset sentiri nec posset uideri. Hoc obstaculo ab amplexa prohibitus, uocem etiam audiuit: 'Mecum concomcumbe, quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cuius digito apposuisti anulum, habed illum, nec reddam'. Territus ille tanto prodigio nil referre ausus est nec potuit, insomnem illam noctem duxit, tacito iudicio rem examinans. Elapsus est in hoc multum tempus, ut quacumque ille hora gremio uellet coniugis incumbere, illud idem sentiret et

^a tumbae *Ibid.*

^{b-b} *Add. scribe 2.*

^c senatorio *Gesta Regum, i, c. 205.*

^d habeo *Gesta Regum, i, c. 205.*

fo. 7

audiret. Alias sane ualens et domi aptus et militie. Tandem querelis uxoriis commonitus, rem parentibus detulit; illi habito consilio Palumbo cuidam suburbano presbitero negocium pandunt: erat is nigromanticis artibus instructus magicas excitare figuras, demones territare et ad quodlibet officium impellere. Pactus ergo grande mercimonium ut, si amantes coniungeret, multo ere fulciret marsupium, in omne se ingenium notis artibus excitauit, compositamque epistolam iuueni dedit. 'Vade' inquit, 'illa hora noctis ad compitum, ubi se findit in quadruuium, et stans tacite considera. Transient ibi figure hominum utriusque sexus, omnis etatis, omnis gradus, omnis postremo condicionis; quidam equites, quidam pedites, alii uultu in terram deiecti, alii tumido supercilio elati. Et prorsus quicquid ad leticiam uel tristiciam pertinet, in illorum uidebis et uultibus et gestibus. Nullum eorum compellabis, etsi loquantur tecum. Sequetur illam turbam quidam, reliquis statura procerior, forma corpulentior, curru sedens. Huic tacitus epistolam trades legendam, fiet e uestigio quod uoles, fac tantum presenti animo sis'. Aggreditur ille iter preceptum, et nocte sub | diuo astans fidem dictorum presbiteri uisu explorat. Nichil enim fuit quod minus promissis desiderares. Inter ceteros quoque transeuntes uidit mulierem ornatu meretricio mulam inequitantem; crinis solutus humeris inuolitabat, quam uitta aurea superne constrinxerat; in manibus aurea uirga quam equitaturam regebat; ipsa pretenuitate uestium pene nuda, gestus impudicos exequabatur. Quid plura? Vltimus, qui dominus uidebatur, oculos terribiles in iuuenem exacuens, ab axe superbo smaragdis et unionibus composito causas aduentus exquirat. Nichil ille contra, sed protenta manu porrigit epistolam. Demon, notum sigillum non ausus contempnere, legit scriptum. Moxque, braciis in celum elatis 'Deus' inquit 'omnipotens, quam diu patieris nequitias Palumbi presbiteri?' Nec mora, satellites a latere suo misit qui anulum extorquerent a Venere. Illa, tergiuersata multum, uix tandem reddidit. Ita iuuenis uoti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Sed Palumbus, ubi demonis clamorem ad Dominum de se audiuit, finem dierum sibi presignari intellexit. Quo circa omnibus membris ultro truncates miserabili defunctus est penitentia, confessus pape coram populo Romano inaudita flagicia.

62. Tunc corpus Pallantis filii Edwandri, de quo Virgilius narrat, Rome repertum est illibatam, ingenti stupore omnium quod tot secula incorruptione sui superauit. Quod ea sit natura conditorum corporum, ut carne tabescente cutis exterior neruos, nerui osa contineant. Hiatus uulneris quod in medio pectore Turnus fecerat quattuor pedibus et semis mensuratum est. Ardens lucerna ad caput inuenta arte mechanica, ut nullus flatus uiolentia, nullius liquoris aspergine ualeret extinguere. Quod cum multi mirarentur, unus, ut semper aliqui sollercius ingenium in malis habent, stilo subtus flammam foramen fecit; ita introducto aere ignis euanuit. Corpus muro appositum uastitate sui menium altitudinem uicit:

sed procedentibus diebus, stillicidiis rotulentis infusum, communem mortalium corruptionem agnouit, cuta soluta et neruis fluentibus.

63. Celatura quedam Rome fuit duos uiros representans: unus portabat saccum plenum annotia, et alter molere uidebatur. Et unus habebat 'M' litteram superscriptam capiti, alter uero 'P' litteram. Cumque Romani nescirent quid hec esset, quidam Anglicus hos uersus scripsit: ^α'Lex Moysi celat quod Pauli sermo reuelat, Nam data grana Syna per eum sunt facta farina'.^α |

fo 7^v.

64. ^aCapitulum octauum.^a

Secundus philosophus fuit. Hic philosophatus in omni tempore silentiam seruans et Pitagoream ducens uitam. Causa autem taciturnitatis huiusmodi fuit: missus est a genitore, cum adhuc paruulus esset, ad discendum. Dum autem esset in discendi studio, contigit ut pater suus moreretur. Itaque audiuit uerbum huiusmodi. quod scilicet omnis femina est fornicatrix et, si latere posset, impudica. Profectus tandem effectus in philosophia, patriam suam remeauit, communem gerens peregrinationis consuetudinem, baculum et peram circumferens, corona capitis et barba prolixa. Hospitatus autem in domu paterna, nemine domestico ipsum agnoscente, neque propria quidem matre.^b Volens igitur probare de mulieribus an uerus esset sermo, uocauit unam ex ancillis promittens se daturum ei sex aureos, asserens se amare dominam, scilicet matrem suam, que accipiens aurum incoabatur persuadere domine sue, promittens aureos quadraginta. At illa consenciens ancille quod uespere faceret illum egredi ad se latenter et dormiret cum eo. Philosophus stupens hanc promissionem a pedisseca, mittens ad conuiuium eum.

65. Et cum a conuiuio surrexissent, uenirent cubitum, illa quidem existimabat se carnaliter cum illo commiscere debere. Sed ille uelud propriam matrem amplectens et osculis eam placans,^α et inter brachia^β eius dormiuit^c usque mane. Mane facto surgens Secundus uolebat egredi et discedere, at illa aprehendens eum ait, 'Quoniam me temptare uolebas, id fecisti?' Qui dixit 'Nequaquam, domina mater; neque dignum

^{a-a} *Add. scribe 2.*

^b *Ins. above line.*

^c *Marginal ins.*

est me maculare locum unde^a exiui. Absit!’ Illa autem scicitata est ab eo quis esset, qui dixit ‘Ego sum Secundus filius tuus.’ Illa autem recogitans in semet ipsa et non ferens confusionem pre dolore examinata est. Secundus uero sciens quoniam propter suam loquelam mors matri contingisset, hanc in se penam in posterum exegit, ne amplius loqueretur, et ita usque ad mortem taciturnitatem seruauit ꝛne lingua postquam mater peritur, sibi ulterius seruiret.^ꝛ Circa idem uero tempus Adrianus imperator ueniens audiuit de illo, nec enim quicquam bonorum eum^b poterat. Mittens uenire eum ad se fecit; uenientem itaque Secundum Adrianus probare uolens, si forte silentium ueraciter conseruaret, surgens prior salutauit. Secundus propositum seruabat silentium. Tunc Adrianus ait illi, ‘Loquere, philosophe, ut a te aliquid discamus. Impossibile est enim te tacente sapientiam que in te est manifestare’. Secundus uero nichilominus tacebat. Adrianus iterum ait illi, ‘Secunde, priusquam uenirem recte quidem tacebas, quia non habebas gloriosem tui auditorem, qui tuis posset assistere uerbis. Nunc autem ego assum obsecrans ut loquaris, extollens uocem in uirtute’. At Secundus non mouebatur tacens, adeo ut imperator expalesceret. Anxius igitur Adrianus dixit Heriponti, ‘Fac ut philosophus iste loquatur’. Heripon, ut reuera erat, respondit, ‘Parchi^c et leones ceteraque animalia concupiscerent humano ore loqui, sed de philosophi pertinatia nequaquam ita est’. Vocans autem spiculatorem quendam gentilem dixit, ‘Hunc nolentem imperatori loqui nolumus uiuere, adhuc^d et torque ipsum’. Adrianus autem uocans ad se latenter spiculatorem ait illi, ‘Priusquam philosophum duxeris per uiam loquere ei et persuadea ei loqui, et si persuaseris ei ut loquatur, decola ipsum; si uero non respondiderit, reduc eum iterum ad me’. Ducebatur itaque tacens Secundus et spiculator compellabat eum ad pugnam.^e Erat autem locus ille, locus tormentorum. Qui dixit ei speculator ‘Secunde, quare taces, morieris? Loquere et uiues. Presta tibi uitam per^e uerbum. ^fIn inquod^f cignus et hirundo et alie queque uolucres ad iocunditatem sue uite data sibi lingua utuntur, nec sine uoce quicquam est in uita. Penite ergo quia iam sufficit silentium transactum’. Alii deinde pluribus instabant uerbis et persuadebant Secundo loqui; Secundus uero uitam paruipendens mortem tacitus sibi spectabat, uerborum suasionibus non conuersus. Tunc spiculator ducens eum ad locum destinatum ait, ‘O Secunde, ostende ceruicem et suscipe in ea gladium’. Secundus uero silentio uitam proponens ceruicem ostendit. Gladium itaque extendens spiculator dixit, ‘Secunde, uoce mortem

^a *Marginal ins. over an erasure.*

^b *om. latere*

^c *pardi*

^d *abduc*

^e *Ins. above line.*

^f *Et quidem*

redime'. Secundus nichilominus in silentio persistebat. Apprehendens igitur eum spiculator uenit ad Adrianum et dixit 'eum tacentem usque ad mortem et uitam silentio proposuisse.^e Adrianus autem admirans philosophi constantiam^z surgens ait, 'O Secunde, silentium conseruans quandam tibi constituistiⁿ legem soluique lex ista nullo modo potest, sumes igitur tabulam istam loquere michi saltem manu tua'. Scripsit ita, 'Ego quidem, Adriane, te non timeo quia possis me occidere, quia princeps huius temporis uideris esse. Me autem tibi occidere licet, uerbum uocis mee et uerbi profenditur nulla est potestas'. Adrianus itaque legens ait, 'Bene te excusas, sed adhuc quedam problemmata ecce propono, quorum primum est, quid sit mundus, ut ad hoc michi respondeas'. Secundus autem scripsit, 'Mundus est, Adriane, constitutio celi et terre omniumque in eis sunt, de quibus paulo plus disseram si his qui dicuntur diligenter intenderis. Mundus est incessabilis circuitus, spectabilis suppellex, per se genitum toreuma, multiformis formacio, eternus tenor, circuitus summo errore, solis lunem, dies, nox, tenebre, astra, terra, aqua, aer. Quid est oceanus? Mundi amplexus, terminus coronatus, uinculum Athalaticum,^a uniuerse nature circumcursus, orbis sustentaculum, audacia uie, limes terre, diuisio regnorum, hospicium fluuiorum, fons imbrium, refugium in periculis, gratia in uoluptatibus. Quid est Deus? Immortalis mens, in|contemplabilis celsitudo, forma multiformis, multiplex spiritus, in|cogitabilis inquisicio, insopitus oculus, onmia continens, ^olux perhennis, summum bonum.^o Quid est dies?^b Studium laboris, duodecim signorum recursus, principium cotidianum, eterna conpuncio. Quid est sol? Celi qualus, noctis obiectio,^t caloris circuitus, indeficiens flamma, splendor sine occasu, celestis uiator, diei ornatus, celi pulchritudo, nature gratia, horamem distributio. Quid est luna? Celi propria, solis emula, malefactorum inimica, uigilantium solamen, nauigantium directorum signum solempnitatum, re|ciaculo initium, oculus noctis, ^kamica maris,^k presagium tempestatum. Quid est terra? Celi axis, mundi meditulium, genitum uite, fructuum custos et mater, operculum inferni, deuoratrix omnium uirorum nascentium, nutrix uiuentium, celarium uite. Quid est homo? Mens incarnata, laboriosa anima, parui temporis habitaculum, spiritus receptaculum, fantasma temporis, spectator^l uite, lucis desertor, uite consumpto, eternus motus, mortis mancipium, transiens uiator, loci hospes. Quid est celum? Spira uolubilis, culmen inmensum. Quid est pulchritudo? Naturalis opcio, parui temporis fortuna, flos marcidus, carnalis felicitas, inconpositum negocium, humana concupiscencia. Quid est mulier? Hominis confusio, insaturabilis^u bestia, continua sollicitudo, indesinens pugna, cotidianum damnum, domus tempestatum, castitatis^v impedimentum, uiri

fo. 8^v

^a Athlanticum

^b *Marginal ins.*

incontingentis naufragium, adulterii uas, preciosum^ξ prelium, animal pessimum, pondus grauissimum, aspis insanabilis, humanum mancipium. Quid est amicus? Desiderabile nomen, home uix aparens, non inuidenda possessio, refugium felicitatis,^ο miserie reuelator, indeficiens quies, indesinens felicitas. Quid est agricola? Laborum minister, heremite cohequator, operator esce, terre medicus, arbustorum plantatorum, moncium complanator. Quid est nauis? Marina operacio, domus absque fundamento, auis lignea, incerta salus. Quid est nauta? Fluctuum uiator, marinus equitator, orbis hospes, terre desertor, tempestatis concertator. Quid est diuicie? Auri pondus, curarum minister, insaciabilis inuidia, res desiderata, desiderium inexplebile, os excelsum, inuisa concupiscentia. Quid est paupertas? Odibile bonum, sanitatis mater, curarum remotio, absque solitudine semita, sapientie repertrix, negocium sine dampno, intractabilis substancia, possessio sine calumpnia, inuenta fortuna, sine solitudine felicitas. Quid est senectus? Optatum malum, uiuentium mors, incolumis langor, respirans mors, uehemens expers, mors expectata, mors communis. Quid est sompnus? Mortis imago, laborum quies, medicorum experimentur, uigilancium sapiencia, uictorum solucio, infirmantium uotum, miserorum desiderium, uniuersi spiritus requies. Quid est uita? Beatorum leticia, miserorum mesticia, expectatio mortis. Quid est mors? Eternus sompnus, dissolutio corporum, diuitum pauor, pauperum desiderium, indeuitabilis, incerta peregrinatio, hominis latro, fuga uite, resolutio omnium. Quid est quod generat uerba? | Lingua. Quid est lingua? Flagellum aeris, ^πquamque uita, quandoque mors.^π Quid est aer? Custodia uite. Quid est libertas? Hominis innocentia. Quid est^a caput? Custos corporis. Quid est corpus? Anime domicilium. Quid sunt come? Vestes capitis. Quid est barba? Sexus discrecio. Quid est cerebrum? Custos memorie. Quid sunt oculi? Duces corporis, uasa luminis, indices animi. Quid sunt nares? Conatores sonorum. Quid frons? Imago animi. Quid est os? Nutritor corporis. Quid sunt dentes? Mole mordentes. Quid sunt labia? Value oris. Quid sunt manus? Operarii corporis. Quid sunt digiti? Cordarum plectrum. Quid est pulmo? Seruator oris. Quid sit cor? Receptaculum uite. Quid sit iecur? Custodia caloris. Quid est fel? Suscitacio iracundie. Quid est splen? Risus et leticie capax. Quid est stomachus? Ciborum coctus. Quid sunt ossa? Robur corporis. Quid sunt coxe? Epistilia columpnarum. Quid est sanguis? Humor uenarum. Quid sunt uene? Fontes carnis. Quid est lux? Facies omnium rerum. Quid sunt stelle? Pictura columpnis, nautarum gubernatio, noctis decor. Quid est pluuias? Conceptio terre, frugum genitrix. Quid sunt nebule? Nox in die, labor oculorum. Quid est uentus? Aeris perturbatio, mobilitas aure, siccitas terre. Quid est flumen? Cursus indeficiens, refectio solis, irrigatio terre. Quid est aqua? Subsidium uite, ablucio sordium. Quid est

^a *Ins. above line.*

gelu? Persecutor herbarum, uinculum terre, fons aquarum. Quid est nix? Aqua sicca. Quid est hiems? Exul estatis. Quid est uer? Pictor terre. Quid est estas? Vestigatio terre. Quid est autumnus? Maturacio frugum. Quid est quod amarum dulce redit? ^pQuies post laborem.^p Quid est quod hominem lassum fit non sinit? Lucrum. Quid est spes uigilanti? Sompnus. Quid est spes? Refrigerium laboris. Quid est amicitia? Equalitas animorum. Quid est fides? Ignote rei certitudo. Igitur Adrianus cum hec legisset et didississet causam quare Secundus in silentio philosopharet, precepit eius libros sacre bibliothecae inseri et intitulari.^s Secundi philosophi explicit liber.

66. ^aIncipiunt uersus Nicholai Maniacucii ad incorrupta pontificum nomina conseruanda ne uidelicet dicamus Eleutherius pro Eleuther et Hylarius pro Hylarus, et ad sciendum qui sunt antiquiores.]

fo. 9^v

67. ^bCapitulum nouum.^b

Si uis pontifices Romane discere sedis,

Carminibus nostris perlectis scire ualebis.

Primo papatus Petrus est in sede locatus,

Qui consederunt, Linus, Cletusque fuerunt.

5 Hiis Clemens iunctus, simili fuit ordine functus,

Disputat hinc mundus sit quartus, sit ne secundus.

Hinc Anacletus presedit, et hinc Euaristus,

Hinc Alexandro successit in ordine Syxtus.

Hos iuxta positus Thelesphorus est et Yginus,

10 Additur Anicitus, seu presul, nomine Pius,

^a *Scribe 6.*

^{b-b} *Marginal ins. scribe 2.*

Sother et Eleuther,^a quibus est Victor quoque mixtus,

Quos Zephirinus habet comites, martyrque Calixtus,

Vrbanus turbe Christi prelatus in urbe.

Post hos papatus successit in arce locatus.

15 Hinc Pontianus, hinc Anteros, hinc Fabianus,

Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtusque secundus.

Hos rutilat iuxta, Dionisius sede uenusta,

Felix Romanus, cui iungitur Euticianus.

Hiis comites Gaius, seu Marcellinus habentur,

20 Marcellus necnon Eusebius^b annumerentur,

Melchiades etiam post quem, Silvester,^c haberi,

Te, Dominus, papam decreuit in ordine cleri.

Marcus cui Iulius succedit Liberiusque,

Felix, Damasius, cleri speculumque decusque.

25 Exule Liberio, Felix in sede locatur,

Martyriumque subit, cum Liberius reuocatur,

Quare Liberii Damasus successor habetur,

^a *Marginal ins. scribe 1*, Iste papa Eleuther fecit Lucium regem Britanniarum Christianum.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Memorandum quod omnes pape qui fuerunt a Passione Domini usque ad Eusebium papam, qui fuit tercius ante Siluestrum, fuerunt martires, numero scilicet unus et triginta.

^c *Marginal ins. scribe 1*, Iste papa Silvester mundauit Constantinum magnum a lepra.

Sicut Ieronimi cronica narrante docetur.

Postea Syricium numeramus Anastasiumque,

30 Hinc Innocenti te, qui comitaris utrumque.

Post Zosimum uero Bonifacius enumeratur,

Hinc Celestinus cum Syxto consociatur.

Hos autem iuxta Leo uir doctissimus extat,

Eloquium cuius quantus fuerit manifestat.

35 Ylarus hunc et Simplicius Felixque secuntur,

Post quos Pelagius Anastasiusque leguntur.

Symachus, Ormisda rutilant presulque Iohannes,

Quos sequitur Felix, Bonifacius atque Iohannes.

Agapitum cum Siluero, tecumque, Vigili,

40 Pelagium legimus papali sede potiri.

Hos meriti magni pape premitto Iohanni.

Papam post istam papam numero Benedictum.

Pelagium, Rome prelatum postea prome,

Hinc tu, Gregori,^a conformans cuncta decori,

45 Ecclesie Christi sal atque lucerna fuisti.

^a *Marginal ins. scribe 1*, Tempore istius Gregorii Augustinus conuertit Anglicos ad fidem.

Post te Bleianum ciuem lego Sabinianum,

Hinc Bonefacius et Bonefacius annumerentur.

Deusdedit et quintus Bonifacius hiis socientur.

Honorium cum Seueriano teque Iohannes,

50 Inter predictos celestes scribimus amnes.

Post hos Theodoro Martinum consociemus,

De quo quid fuerit per gressus, passus habemus.

Additur Eugenius presul, quoque Vitalianus,

Adeodatum cum Dono suscipiamus.

55 Scribitur hinc Agatho Sicule regionis alumpnus,

Et copulatur ei prudens Leo papa secundus.

Hiis adiungatur Benedictus siue Iohannes,

Et Conon tecum Sergi, sextusque Iohannes,

Hinc alio papa gauisa est Roma Iohanne,

60 Et te, Sisinni, genito genitore Iohanne.

Post Constantinum Gregorius alter habetur,

Tercius hiis eciam Gregorius associetur.

Hinc Zacharias, Stephanus, Paulusque notentur,

Hinc Constantinus, Stephanus quoque communerentur.

65 Post Adrianum Leo tercius esse uidetur,

Post Stephanum quartum Pascalis presul habetur.

Eugenius uero pape subscribitur isti,

Cuius successor tu, Valentine, fuisti.

Gregorius quartus et Sergius^a et Leo quartus,

70 Pontificem dictum post quos legimus Benedictum.

Hinc, Nicholae, tuo gaudet Roma decore,

Cuius Adrianus post mortem fulsit honore.

Octaui uiguit post hos doctrina Iohannis,

fo. 10 A quo Martinus perpaucis prefuit annis. |

75 Presulibus presul subnectitur hiis Adrianus,

Et Stephanus quintus, genuit pater hunc Adrianus.

Postea Formosum cathedram legimus tenuisse,

Inde Bonifacium papatum promeruisse.

Post Stephanum sextum Romanum perlege tandem,

80 Et post Theodorum nonum subnecte Iohannem.

Hinc Benedicte pater Leo tecum communeretur,

De titulo Damasi Christoforus associetur.

^a *Marginal ins. scribe 1*, Iste Sergius antea uocabatur Os Porci, unde post eum omnis papa mutat proprium nomen suum.

Sergius hinc rutilans Anastasio copuletur,

Et Lando uiuens modicum super astra leuatur.

85 Omnibus hiis tandem decimum coniunge Iohannem,

Te Leo cum Stephano precedit papa Iohannes,

Cui Leo seu Stephanus succedunt docmate grandes,

Necnon Marinus et Agapitus atque Iohannes.

Presulibus quintus coniungitur hiis Benedictus,

90 Cui Leo iungatur, Iohannes et Benedictus,

Et Dominus necnon Bonifacius, et Benedictus,

Et quartum decimum post istos scribe Iohannem,

Et quintum decimum post istos scribe Iohannem,

Et sextum decimum post istos scribe Iohannem.

95 Gregorium^a quintum prius et post scribe Iohannem,

Post quem Siluestrum^b prius et post scribe Iohannem.

Huic eciam nonum decimum subscribe Iohannem,

Sergius hinc quartus subnectitur et Benedictus.

Restat uicesimus Iohannes, seu Benedictus.

100 Hunc nonum decimum depromunt scripta Iohannem.

^a *Marginal ins. scribe 1*, Iste Gregorius antea uocabatur Gracianus de quo mencio facta est in hoc libro.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Iste Siluester antea uocabatur Gerebertus.

Quod, cur eueniat, dabit hoc agnoscere carmen,

Quendam Iohanni si Mercurium uocitamus,

Istum uicesimum nonum decimum numeramus,

Siluester cum Gregorio, Clemensque secundus,

105 Cum Damaso rutilat Leo post Victorque secundus,

Stephanus hinc nonus, necnon decimus Benedictus,

Et succedit ei Nicholaus in ordine mixtus,

Alter Alexander et Gregorius^a copulantur.

Victor et Vrbanus cum Pascali^b comitantur.

110 Gelasium mundo concessit postea Christus,

Cui decedenti successit papa Calixtus.

Honorius cathedram post hos omnes decorauit,

Hinc Innocenti te papam Roma uocauit.

Post Celestinus celesti dogmate functus,

115 Crismate leticie fit preconsortibus unctus.

Lucius hinc mundi cupiens obsistere morbis

Est raptus tali quia dignus non erat orbis.

^a *Marginal ins. scribe 1*, Iste Gregorius antea dictus est Hildrebrandus de quo mencio facta est in hoc libro.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Istum Pascalem cepit rex Henricus cum tota curia sua antequam fuit imperator sicut notatur in hoc libro.

Tercius Eugenius, Anastasiusque secuntur,

Tunc Adrianus Alexanderque leguntur.

120 Lucius, Vrbanus post sacra sede fruuntur,

Gregorius, Clemens, Celestinusque secuntur.

Hinc, Innocenti,^a te papam Roma creauit,

Honorium post te papali sede locauit.

Gregorius nonus predictis associatur,

125 Innocencius hinc in sacra sede locatur.

Tunc Alexander, tunc Vrbanus cathedratur.

Aduentus Christi tunc temporis extitit annus,

Mille ducentenus et sexagesimus unus,

Quando^b fuit ^cquartus Vrbanus^c papa creatus.

130 ^dPost ipsum quartus Clemens est papa uocatus.

Nullus papa fuit post hunc plusquam tribus annis.

Si pontifices prescriptos omnes numeretis,

Centum cum nonaginta tunc inuenietis.

^aGregorius decimus post Clementem cathedratur.

^a *Marginal ins. scribe 1*, Temporibus istius Innocentii factus fuit tributarius Rome Iohannes rex Anglie,.

^b *Supplied over an erasure scribe 1*.

^{c-c} *Supplied over an erasure scribe 1*.

^d *Scribe 1*.

68. ^bIn numero cleri quisquis probus optat haberi. Est opus ut scriptis iugiter
fo. 10^v meditetur in istis. |

69. ^cCapitulum decimum.^c

^dPost Grecos primus Romane rexerat urbis,

Imperium Iulius, et post hunc Octouianus,

Post hunc Tyberius, Gayus et Claudius, et tunc

Nero, qui Paulum gladio necat et cruce Petrum.

5 Regnantes Gabba, Vitellius, et Otto per annum,

Bella mouentes inter se, simul occubuerunt.

Post hos imperium suscepit Vaspasianus,

Et successit ei Tytus, tunc Domicianus,

Tunc Nerua, tunc Traianus, post quem Addrianus.

10 Antonius Pius, Aurelio, Lucio sibi iunctis,

Malcus cum Lucio, set et Aurelio quomodoque

Cum Lucio, set et Antonio, Comodus dominatur,

Helius cum Seuero; set tunc Carakalla

Antonius, post quem Macrinus regna gubernat,

^a *Scribe 2.*

^b *Scribe 6.*

^{c-c} *Add. scribe 2.*

^d *Scribe 1.*

15 Tunc Alexander, tunc Maximinus cathedratur,
Tunc Gordianus, tunc rexit ceptra Philippus,
Tunc Decius, post quem Gallus cum Vollusiano,
Post Valerianus regnavit cum Galieno,
Claudius imperium tenet et post Aurelianus,
20 Tunc Tacitus post quem Probus et post hunc Florianus,
Tunc Carus cum Carino et Numeriano,
Tunc Dioclitianus regnat cum Maximiano,
Valerius cum Constante cum Licinioque,
Tunc Constantinus Magnus dominatur in urbe,
25 Post illum Constantinus qui filius eius,
Cui Constancius et Constans fuerant sociati,
Imperium post hos Iulianus Apostata rexit,
Tunc Iovinianus rex sublimatur in urbe.
Valentinus post hunc cum fratre Valente,
30 Tunc cum Valentiniano simul et Graciano
Regna Valens rexit, et post ipsum Gracianus
Qui secum Theodosium regno sociavit,
Theodosius est rex post mortem Graciani,

Honorio secum tunc Arcasius dominatur,

35 Post hunc Honorius cum Theodosio regnat,

Fit Theodosius rex cum Valentiniano,

Tunc Marcianus secum Valentinianus,

Tunc Leo, tunc Zenon cum Basilio cathedratur,

Tunc Anastasius, Iustinus, Iustinianus,

40 Iustinus Minor imperium tunc rexit et post hunc

Cum Constantino fit Tyberius dominator,

Mauricius, Focaz, Eraclius. Iste perempto

Cosdroe cum cruce Christicolos captos liberavit,

Heradonas, Custans, Constantinusque notantur,

45 Tunc alter Constantinus, tunc Iustinianus,

Tunc Leo, Tyberius necnon et Iustinianus,

Philippus, Anastasius, Theodosiusque,

Tunc Leo cum Constantino regnavit in^a urbe,

Tunc Constantinus, Yrene secum sua mater,

50 Et cum Pipino, que Gallica regna regebat,

Patricius Rome fuit hic Pipinus efectus,

^a *Ins. above line.*

Postea per Francos reges Rome statuuntur,

Quorum primus erat a magnitudine Magnus

Rex Carolus dictus et post illum Lodewycus,

55 Post hunc Lotharius, Carolus, Carolus, Lodewycus,

Tunc Barengarius, tunc Hugo, Lothariusque,

Alberto secum, tunc Berengarius alter

Nunc ad Tetonicos regalis electio transit,

Otto primus erat et post hunc Otto secundus,

60 Imperio post hos successit tercius Otto,

Tunc Conradus, Henricus dominantur in urbe

Alter et Henricus et tercius anumerantur,

^aTunc Lotharius et Conradus, tunc Frethericus

^bIerusalem, Rome fuit hic rex Cecilieque;

65 ^cEt tunc Henricus, tunc Otto, tunc Frethericus

^dVsque uir hic obiit fluxerunt mille ducenti

Et quinquaginta post partum Virginis anni,

Tunc Landegrauius Thuringie Raspe uocatus

^a *Marginal ins. a.*

^b *Marginal ins. c.*

^c *Marginal ins. b.*

^d *Marginal ins. d.*

Fit rex Theutonie. Post illum rex fit ibidem

70 Willelmus comes Hollandie; set tempore paruo

Post hos Cornubie comes est Ricardus electus

Vt decet et fit rex in Aquensi sede locatus.

^aIste ^bsui regni ter quinto transit in anno,^b

Mille ducentesimus et septuagesimus unus

75 Annus erat Domini quando uir iste ruit,

fo. 11 Post hunc Theutonie Radulphus regna gubernat. |

70. Capitulum undecimum.

^c*Particule tractatus Willelmi qui scripsit de gestis regum Anglorum.*

Anno quarto regni Chelwlfii regis Northumbrorum, qui septimus fuit ab Ida, primo rege illius regni tempore Anglorum, obiit Beda hystoricus, post multos in sancta ecclesia libros elaboratos, celestem patriam quam diu suspirauerat, ingressus est, anno Dominice incarnationis septingentesimo tricesimo quarto, etatis sue quinquagesimo nono. Vir quem mirari facilius quam digne predicare possis, quod in extremo natus orbis angulo doctrino corusco terras omnes perstrinxerit. Nam Britannia, que a quibusdam alter orbis appellatur, quod oceano interfusa non multis cosmographis comperta est, habet in remotissima sui plaga locum natiuitatis et educacionis eius, Scottie propinquum. Plaga, olim et suaue balantibus monasteriorum floribus dulcis et urbium a Romanis edificatarum frequentia renidens, nunc uel antiquo Danorum uel recenti Normanorum populatu lugubris, nichil quod animos multum allitiat pretendit. Ibi est Wira, nec ege latitudinis nec segnis gurgitis amnis, qui pelagio influus naues serena inuectas aura placido hostii excipit gremio. Cuius utrasque ripas Benedictus quidam

^a *Scribe 2.*

^{b-b} *Supplied over an erasure.*

^c *Scribe 7.*

ecclesiis insigniuit et monasterium^a ibidem construxit, alterum Petri alterum Pauli nomine, caritatis et regule unione non discrepantia. Huius industriam et pacienciam mirabitur qui leget librum quem Beda composuit de uita eius et reliquorum abbatum suorum. Industriam, quod copiam librorum aduexerit, quod artifices lapidearum edium et uitrearum fenestrarum primus omnium Angliam asciuerit, totum pene eum talia transigendo peregrinatus; quippe studio aduehendi cognatis aliquod insolitum amor patrie et uoluptas elegantie asperos fallebant labores. Neque enim ante Benedictum lapidei tabulatas domus in Britannia nisi raro uidebatur, neque perspicuitatem uitri penetrata lucem edibus solaris iaciebat radius. Pacientiam, quod in possessione cenobii sancti Augustini apud Cantuariam libenter uenienti Adriano cesserit, non reueritus beati Theodori archiepiscopi supercilium, set ueneratus magisterium. Quod dum per alienas terras cursitat diu absens, subintroducitur a monachis Wirensibus se inconsulto abbatem equanimiter, immo magnanimiter tulerit, domumque reuersus parilem illi honorem in consessu, in omni porro potestate <communicauerit>.^a Quin et ictus paralisi tam ualide ut nichil artuum ei esset flexibile, tertium constituerit, quod alter, de quo diximus, eadem non mitius decoqueretur ualitudine. Cumque morbus increscens iam quateret uitalia, socio ad se delato solo nutu ualedixit. Set nec ille prestancius ualuit rependere officium, utpote qui propinquiorem tendebat ad exitum; nam ante Benedictum defunctus est. Successit Chelfridus, sub quo res monasterii in inmensum aucte. Is, cum diuturno senio uiuendi renunciasset desiderio, Romam ire perrexit, senilem animam, ut sperabam, dominis effusus apostolis; set enim, uoti effectum carens, nature debitum apud Lingonis ciuitatem iniit. Reliquie ossuum posterioribus annis ad monasterium suum, deinde Danice tempore uastacionis cum ossibus beate Hilde Glastoniam portate. Horum abbatum gratiam, que per se satis eminet, conspicuus alumnus eorum Beda in | splendidiorem excellentiam urget, siquidem scriptum sit, 'Gloria patris filius sapiens', quod alter eum monachauerit, alter eum educauerit. Quod quia ipse Beda pro compendio noticie subiecit, omnem uitam suam breui epylogo comprehendens, ipsius uerba lector recognoscat licebit, ne meis sermonibus uel plus uel minus ipsa noue forme proculdat necessitas. Ait ergo in fine Ecclesiastice Anglorum Hystorie uir cum in ceteris cum in hoc laudabilis, quod uel quantulumcumque sui cognicionem posteritati non inuiderit.

fo. 11^v

71. *Sermo Bede presbiteri.*

Hec de hystoria Brittanniarum, Domino adiuuante, digessi Beda, famulus Christi et presbiter monasterii beatorum apostolorum Petri et Pauli quod est ad Wiremudan. Qui natus in territorio eiusdem monasterii,

^a *Gesta Regum*, i, c. 54.

cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reuerentissimo abbati Benedicto, ac deinde Chelfrido. Cunctumque ex eo tempus uite in eiusdem monasterii habitacioni p<er>agens,^a omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter obseruantiam discipline regularis et cotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere aut docere aut scribere dulce habui. Nonodecimo autem uite mee anno diaconatum, tricesimo gradum presbiteratus, utrumque per ministerium reuerentissimi episcopi Iohannis iubente Chelfrido abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti presbiteratus usque ad annum etatis mee quinquagesimum nonum mee meorumque necessitatis ex opusculis uenerabilium patrum breuiter hec annotare, siue eciam ad formam sensus et interpretacionis eorum adicere curauit.

72. *Oratio eiusdem.*

Deinde enumeratis triginta sex uoluminibus que in septuaginta octo libris edidit, ad addidit: 'Teque deprecor, bone Iesu, ut cui propicius donasti uerba tue scientie dulciter haurire, dones eciam benignus aliquando ad fontem omnis scientie peruenire et placere semper ante faciem tuam. Preterea omnes ad quos hec hystoria peruenire potuerit nostre nationis, legentes siue audientes, suppliciter precor, ut pro meis infirmitatibus et mentis et corporis apud supernam clementiam sepius interuenire meminerint, et hanc michi in suis quique prouinciis sue remuneracionis uicem rependant, ut qui de singulis prouinciis siue lociis sublimioribus que memoratu digna atque incolis grata credideram diligenter annotare curauit, apud omnes fructum pie intercessionis inueniam'.

73. *Adhuc de Beda.*

Deficit hic ingenium, succumbit eloquium nescientis quid plus laudem, librorum numerositam an sermonum sobrietatem. Infuderat eum proculdubio non indigno haustu diuina sapientia, ut angusto uite spatiolo tanta elaboraret uolumina. Quid quidem ferunt eum Romam iuisse, ut libros suos uel ecclesiastice doctrine conuenire presens assereret uel, si resultarent, ^bapostoli eo^b nutu corripere. Verumptamen quod Rome fuerit solide non affirmo, set eum illuc inuitatum haut dubie pronuncio, quod epistola clarum faciet, simul et quanti penderit eum Romana sedes, ut eum tanto opere desideraret.

74. *Epistola Sergii episcopi.*

^a *Gesta Regum*, i, c. 55.

^{b-b} apostolico, *Gesta Regum*, i, c. 57.

'Sergius episcopus, seruus seruorum Dei, Chelfrido religioso abbati salutem. Quibus uerbis ac modis clemenciam Dei nostri atque inenarrabilem prouidentiam possumus effari, et dignas graciaram actiones | pro immensis circa nos eius beneficiis persoluere, qui in tenebris et umbra mortis positos ad lumen sciencie perducit'. Et infra: 'Benedictionis interea graciaram, quam nobis per presentem portitorem tua misit deuota religio, libenti et hillari animo, sicuti ab ea directa est, nos suscepisse cognosce. Oportunis ergo ac dignis amplectende sollicitudinis tue petitionibus artissima deuocione fauentes, hortamur Deo dilectam religiositatis tue bonitatem ut, quia exortis quibusdam ecclesiasticarum causarum capitulis, non sua examinatione longius innotescendis. Opus nobis sunt ad conferendum arte litteratura inbuti, sicut decet deuotum auxiliatorem sancte matris uniuersalis ecclesie, obedientem deuotionem nostre hortacioni non desistas accommodare, set absque aliqua immoratione religiosum Dei famulum in Bedam, uenerabilis monasterii tui presbiterum, ad limina apostolorum principum dominorum memorum Petri et Pauli, amatorum tuorum ac protectorum, ad nostre mediocritatis conspectum non moreris dirigere, quem, fauente Domino sanctis tuis precibus, non diffidas prospere ad te reddire, peracta premissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata sollempnitate. Erit enim ut confidimus, in cunctis tibi creditis profuturum quicquid ecclesie generali claruerit per eius prestanciam impertitum'.

75. *Commendacio Bede.*

Ita iam celebris erat fama ut in questionibus enodandis indigeret eo sullimitas Romana. Nec uero umquam Gallicanus iumor^a inuenit in Anglo, quod argueret merito; adeo Latinitas omnis eius fidei et magisterio palmam dedit. Nam et fidei sane et incuriose set dulcis fuit eloquentie, in omnibus explanationibus diuinarum scripturarum magis illa rimatus, quibus lector Dei dilectionem et proximi conbiberet, quam illa quibus uel sales libaret uel lingue rubiginem limaret. Porro de uite illius sanctitate dubitare quemquam arcet illius dicti irrefragabilis ueritas, quod protulit mundo diue sophye maiestas: 'In maliuolam animam non introibit sapiencia, nec inhabitabit in corpore subdito peccatis'. Quod de mundana sapiencia profecto non dicit, que indifferenter hominum cordibus illabatur, et qua creberrime pessimi, nullasque ad extremum diem ponentes metas sceleribus, pollere respiciuntur,^α iuxta illud Dominicum: 'Filii huius seculi prudentiores filii<s> lucis in generacione sua sunt'. Set illam sapienciam nominauit que 'discipline effugit fictum, et que separat se a cogitacionibus que sunt sine intellectu', intellectu dico bene uiuendi et bene discendi,^β unde pulcherime Senecta in libro de causis commemorat

^a tumor *Gesta Regum*, i, c. 59.

fo. 12^v Catonem, oratoris officium diffinientem, dixisse: 'Orator est uir bonus dicendi peritus'. Emundabat ergo ecclesiasticus orator prius conscientiam, ut sic accederet ad recludendam mysticorum scriptorum intelligenciam. Qui enim fieri potest ut seruiret uiciis qui medullas intimas hauriret, qui totas cogitationes consumeret, in Scripturarum expositionibus? Nam, ut ipse fatetur in libro tertio super Samuelem, expositiones sue, si non aliud auferent lectoribus emolumentum, hoc sibi non mediocriter ualere, quod, dum hec omni studio agebat, lubricum seculi et inanes cogitationes post | tergum ponebat; defecatus quoque urtiis^a subibat interiora uelaminis, que intus exceperat animo foras efferens sermone castigato.

76. *Hortacio eius et sanctitas eius.*

Verumptamen animi eius pura sanctitas, et sancta puritas magis proximo tempore obitus excelluit: siquidem continuis septem ebdomanis stomachi indignatione cibos nausians, egroque et angusto suspiro halitum producens adeo ut eum incommoditas lecto prosterneret, non tamen literalium studiorum reiecit operam. Totis enim diebus preter debitum psalmodie pensum assiduis ad discipulos lectionibus ruminandisque et absoluendis questionum difficultatibus, grauedinem ualitudinis decipere, suspensa interim cogitatione, nitebatur. Euangelium quoque Iohannis, quod difficultate sui mentes legentium exercet, hiis diebus lingua interpretatus Anglica, condescendit minus inbutis Latina. Subindeque monebat discipulos, dicens, 'Discite, filioli, dum uobiscum sum; nescio enim quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me Factor meus, et reuertatur spiritus meus ad eum qui misit illum, et in hanc uitam concessit uenire. Diu uixi; bene consuluit michi Deus meus in hoc uite spatio, cupio dissolui, et esse cum Christo'.

77. *De obitu eius.*

Plerumque spe metuque libratis, cum neutrum preponderaret, inferebat: 'Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis. Non ita inter uos dixi ut pudeat me uiuere, set nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus', sanctissimi Ambrosii morientis dictum imitatus. Felix qui tam securo loquebatur conscientia, ut nec uiuere erubesceret nec mori metueret, hic non reueritus aspectus hominum, illuc occultum Dei equanimiter expectans arbitrium. Sepe, in doloris pressus, hiis exemplis respirabat, 'Aurum probat fornax, et uirum iustum caminus temptationis'. 'Nonne sunt condigne passionis huius temporis ad futuram gloriam, que reuelabitur in nobis'. Prosequabantur dicta lacrimae suspiriorumque difficultas. Iam uero noctibus, quia deerant qui docerentur uel uerba exciperent, lugubrabat ipse sibi pernox in graciaram

^a uitiis, *Gesta Regum*, i, c. 59.

actione et psalmodum cantu, implens sapientissimi uiri dictum, ut numquam minus solus esset. Si quando uero sopor irreperet palpebris, qui erat modicus et grauis, confestim excussus turbatusque affectu Deo semper intentum hac uoce prodebat: 'Suscipe, Domine, seruum tuum, non calumpnientur me superbi; fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam'. Hec et alia ex reliquiis memorie preterite ultro ori occurrebant exempla, que promebat per temporum interualla, prout leniebatur infesti morbi angustia. Feria uero tertia ante Ascensionem Domini, inualescente ad extremum incommodo, modicus tumor in pedibus apparuit, haut dubius uicine mortis presagus et index. Tunc accita congregatione inunctus et communicatus, osculo cunctis libato, futuram sui memoriam a singulis implorans, nonnullis eciam familiariorum amicitiam emeritis xeniola, que in secretis habebat, largitus est. Die uero Ascensionis, cum iam anima fragilem usum corporis exosa egredique gestiens palpiteret, contra oratoriis^a in quo consueuerat orare cilicio subiecto decumbens, | illibato sensu et hillari uultu Spiritus Sancti gratiam inuitabat, dicens: 'O Rex glorie, Domine uirtutum, qui triumphator hodie super omnes celos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, set mitte promissum Patris in nos, spiritum ueritatis'. Hac oratione finita supremum efflauit. Subsequente et omnium naribus oppletis odore, qualem nec cinnamonia nec balsama spirant, set paradisiaco et quem uernalis ubicumque locorum exhalat leticia. Humanitus^b est tunc in eodem monasterio, set modo cum beato Cuthberto Dunhelmi situm fama confirmat.

78. *Quod post obitum eius deperit sapientia diu in Anglia.*

Sepulta est cum eo gestorum omnis pene noticia usque ad nostra tempora. Adeo nullus Anglorum studiorum eius emulus, nullus gloriarum eius sequax fuit, qui omisse monete lineam prosequeretur. Pauci, quod^c equus amauit Iesus, quamuis litteris non ignobiliter informati, tota uita ingratum consumpserunt silentium; alii, uix primis labris illas gustantes, ignauum confouerunt otium. Ita, cum semper pigro succederet pigrior, multo tempore in tota insula studiorum decepuit feruor. Magnum ignaue testimonium dabunt uersus epytaphii, pudendi prorsus et tanti uiri mausoleo indigni.

79. *De origine gentis Francorum et Karolo Magno.* ^dCapitulum undecimum.^d

^a oratorium, *Gesta Regum*, i, c. 61.

^b humatus, *Gesta Regum*, i, c. 61.

^c quos *Gesta Regum*, i, c. 62.

^{d-d} *Add. scribe 3.*

Nunc de genealogia Karoli Magni regis Francorum uolo tractare. Franci a feritate morum Greco uocabulo dicti, quod iussu primi Valentiniani imperatoris Alemannos in Meotidas paludes refugientes eiecerint. Parua gens prius et exilis, incredibile quantum breui adoleuit decenni uestigialis indulgentia, hoc enim pacto ante bellum salutis discrimen inierant. Ita accedente <libertate>^a in immensum aucti, primo maximam partem Germanie, procedente tempore totas Gallias occupantes signa sua comitari coegere. Vnde Lotharingi et Alemanni et ceteri Transmarini^α populi qui imperatori Teutonicorum subiecti sunt magis proprie se Francos appellari iubent, et eos quos nos Francos putamus Galwalas antiquo uocabulo quasi Gallos nuncupant. Quibus et ego assensum commodo, sciens quod Karolus Magnus, quem regem Francorum fuisse ^βnemo est qui in infinas^b eat,^β ea gentilicia lingua usus sit quam Franci Transrenani terunt. Legenti uitam Karoli in promptum occurrit quod sermo meus a uero non exulat. Anno igitur incarnati Verbi quadringentesimo uicesimo quinto Franci primum regem habuerunt Faramundum. Nepos Faramundi fuit Meroueus, a quo omnes post eum reges Merouingi uocati sunt. Eodem modo et filii regum Anglorum a patribus patronimica sumpserunt, ut filius Eadgari Eadgaring, filius Edmundi Edmunding uocentur, et ceteri in hunc modum, communiter uero ethelingi dicuntur. Naturalis lingua Francorum communicat cum Anglis, quod de Germania gentes ambe germinauerint. Feliciter et potenter regnauerunt Merouingi usque ad annum incarnationis Domini sexcentesimo octogesimum septimum. Tunc enim Pipinus, filius Ansegisi,^γ comes palatii apud | Transrenanos Francos factus est. Is, captatis occasionibus quibus ambitum palliaret, dominum suum Theodoricum regem, Merouingorum fecem, sub iugo misit; et, ut facti leniret infamiam, specietenus illi regis nomine donato, cuncta intus et foris regebat pro libito. Huius Pipini genealogia supra infraque contextitur ita: Ansbertus senator ex filia Lotharii patris Dagoberti Blithilde genuit Arnoldum; Arnoldus genuit sanctum Arnulfum Metensem episcopum; Arnulfus genuit Flodulfum, Waltchisum, Anchisium; Flodulfus genuit Martinum ducem, quem interfecit Ebroinus; Waltchisus genuit sanctissimum Wandregisilum abbatem; Anchisus dux genuit Ansegisum; Ansegisus genuit Pipinum; filius Pipini fuit Karolus Tudites, quem illi Martellum uocant, quod tyrannos per totam Franciam emergentes contuderit, Sarracenos Gallias infestantes egregie depulerit. Hic, paterne sequax sententie, reges tenuit in clientela, comitis contentus nomine. Reliquid duos filios, Pipinum et Karlomannum. Karlomannus, incertum qua de causa seculum reliquens, tonsoratus est in Monte Cassino. Pipinus a Stephano papa, successore Zacarie, apud Sanctum Dionisium in regem

fo. 13^v

^a *Gesta Regum, i, c. 68.*

^b *infinias, Ibid.*

Francorum et patricium Romanorum coronatus est; nam imperatoribus Constantinopolitanis iam dudum a solita uirtute degenerantibus, nec ullam Italice et ecclesie Romane opem ferentibus, que multis annis tyrannidem Longobardorum suspirauerant, idem papa iniurias illorum potestati Francorum applorauit. Quapropter Pipinus Alpius transiens Desiderium regem Longobardorum ita coarctauit ut ablata Romane ecclesie restitueret et, ne repeteret, sacramento firmaret. Franciam reuersus post aliquot annos obiit, superstitibus liberis Karolo et Karlomanno. Karlomannus post biennium finem habuit. Karolus, nomen Magni ab effectu sortitus, duplo quam pater habuerat regnum ampliavit. Triginta et eo amplius annis simplici nomine regis fastigatus et ab imperatoria appellacione, quamuis sepe ab Adriano papa inuitaretur, temperans. Verum, eodem apostolico defuncto, cum consanguinei eius Leonem sanctissimum, qui successerat, plagis in ecclesia beati Petri affecissent, adeo ut linguam eius mutilarent et lumina tenebrarent, Romam ad reformandum statum ecclesie ire maturauit. Ibi in improbos ultionem executus tota hieme resedit, Apostolicum per Dei miraculum plane loquentem et uidentem proprio tribunali restituens. Inter has moras Quirites, collato cum presule consilio, die Natalis Domini Augustis^a inopinate acclamant; quod cognomen licet inuitus ut insuetum admisisset, postea tamen animositate quam decebat contra imperatores Constantinopolitanos defendens, Ludouico filio hereditarium contradidit. Ex eius genere regnauere in illa regione, que nunc proprie Francia dicitur, usque ad Hugonem cognomento Capet, a quo descendit modernus Lodouicus. Ex eadem progenie regnarunt in Alemannia et Italia usque ad annum Domini nongentesimum duodecimum. Tunc enim quidam Conradus rex Theutonicorum illud imperium arripuit. Huius nepos fuit Ottho ingenuus,^b nichil probitatis debens omnibus ante se imperatoribus; ita uirtute et gracia mirabilis hereditatem imperii posteris reliquit suis, nam modernus |

fo. 14 Henricus et eius sanguine lineam trahit.

80. *De Lodouico filio Karoli Magni et filiis et nepotibus suis.*

Siquidem Lodouicus Pius, Karoli Magni filius, quatuor filios habuit, Lotharium, Pipinum, Ludouicum, Karolum agnomento Caluum. Quorum Lotharius, eciam patre uiuente nomen imperatoris usurpans, regnauit annis quindecim in ea que iacet iuxta Alpes parte Germanie et nunc Lotharingia, quasi regnum Lotharii, dicitur, et in tota Italia cum Roma. In extremo uite aduersa ualitudine uexatus seculo renunciauit, uir omnium ante se longe immanissimus, quippe qui proprium patrem crebro captiuatum in ergastis uinxerit. Erat sane ille mansueti animi et simplicis, set quia mortua Ermengarde, de qua priores liberos

^a Augustum *Gesta Regum*, i, c. 68.

^b maximus, *Gesta Regum*, i, c. 68.

tulerat, Karolum ex Iudith uxore natum arctius exosculabatur, a Lothario ^ainde mentem^a exagitatus. Pipinus, alter filius Ludouici, regnauit in Acquitannia et Guasconia. Ludouicus, tertius filius Ludouici, preter Noricam quam habebat tenuit regna que pater suus illi dederat, id est Alemanniam, Turingiam, Austrasiam, Saxonum, et Auarorum id est Hunorum regnum. Karolus uero medietatem Francie ab occidente, et totam Neustriam, Britanniam, et maximam partem Burgundie, Gothiam, Guasconiam, Acquitanniam, sub moto inde Pipino filio Pipini et in monasterio sancti Medardi attonso. Qui postea inde per fugam elapsus et Acquitanniam regressus, multo tempore fugiendo ibi latuit, iterumque a Ranulfo prefecto per fidem deceptus comprehensus est, et ad Karolum adductus Siluanecto perpetuo est exilio detrusus. Post mortem Ludouici piissimi imperatoris Lotharius, ante obitum patris decem et octo annis unctus ad imperatorem, contra fratres suos, id est Ludouicum piissimum regem Baioariorum et Karolum, exercitum duxit, adiuncto sibi Pipino cum Acquitannorum populo in pago Autisiodorensi in loco qui uocatur Fontanetum; in quo loco cum Franci cum omnibus nationibus sibi subiectis mutua se cede prosternerent, ad ultimum Ludouicus et Karolus Lothario fugato triumphauerunt. Post cruentissimum prelium pace inter eos facta diuiserunt inter se Francorum imperium, ut supra diximus. Lotharius uero ex Ermingarda filia Hugonis tres filios habuit, et Ludouicum cui regnum Romanorum et Italiam contradidit; alterum autem Lotharium, cui sedem imperialem reliquit; tertium uero Karolum, cui Prouinciam gubernandam dimisit. Decessit quoque Lotharius anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, imperii siue regni sui tricesimo tercio. Post cuius obitum Karolus filius eius, qui Prouinciam gubernabat, octauo anno moritur. Dehinc Ludouicus imperator Romanorum et Lotharius fratres regnum eius, hoc est Prouinciam, inter se dispertiunt. Ludouicus autem rex Noricorum, id est Baioariorum, Ludouici imperatoris filius, anno incarnationis Domini octingentesimo sexagesimo quinto post festiuitatem Paschalem regnum suum inter filios suos diuisit, et Karlomanno quidem dedit Noricam, id est Baioariam, et marcas contra Sclauos et Longobardos; Ludouico uero Turingiam, Austrasios Francos et Saxoniam dimisit; Karolo quoque Alemanniam et Curwalam, id est Cornu Gallie committatum | reliquit. Ipse tamen Ludouicus super filios suos feliciter regnauit in omni potestate sua annis decem. Et post hec obiit Ludouicus rex octingentesimo anno incarnati Verbi septuagesimo sexto, cum regnasset annis quinquaginta quatuor. Karolus autem rex Occidentalium Francorum anno tricesimo sexto regni sui in Italiam pergens orandi causa ad limina apostolorum peruenit, ibique a cuncto populo Romano imperator eligitur et a Iohanne papa in imperatorem consecratur, octauo kalendas Ianuarii anno Dominice

fo. 14^v

^{a-a} inclementer *Gesta Regum*, i, c. 110.

incarnationis octingentesimo septuagesimo quinto. In Galliam prospere ingressus est. Anno quoque regni sui tricesimo octauo et imperii sui tertio inchoante in Italiam iterum perrexit, et colloquio Iohannis pape usus in Galliam reuertens, transceso Ciniso monte presentis luminis caruit uisu tercio nonas Octobris, indictione decima, anno Domini nostri octingentesimo septuagesimo septimo; cui successit in regno filius eius Ludouicus. Deinde, anno regni sui secundo nec dum expleto, isdem Ludouicus obiit in Compendio palacio, sexto idus Aprilis, indictione duodecima, anno Domini octingentesimo septuagesimo nono. Deinde filius eius Ludouicus et Karlomannus regnum eius inter se dispertiunt. Predictus uero rex Ludouicus in pago Viminaco cum Normannis bellum gerens triumphum adeptus est, et non multo post obiit, pridie nonas Augusti, anno Domini octingentesimo octogesimo primo, indictione quintadecima. Regnauit annos duos, menses tres, dies uiginti quatuor, cui successit in regno frater eius Karlomannus. Regnauit annis tribus et diebus sex; deinde in Euuelino saltu in monte Aerico a fero singulari percussus est. Obiit anno Dominice incarnationis octingentesimo octogesimo quarto, indictione secunda, octauo idus Decembris. Deinde Karolus rex Suauorum, filius Ludouici regis Noricorum, monarchiam tocius imperii Francorum et Romanorum assumit, anno incarnati Verbi octingentesimo octuagesimo quinto, indictione tertia. Cuius uisionem quia memorabilem puto, hic dignum duco intexere.

81. *Visio Karoli regis Suauorum, filii Ludouici regis Noricorum.* ^aCapitulum duodecimum.^a

In nomine Dei summi Regis regum. Ego Karolus imperator, gratuito Dei dono rex Germanorum et patricius Romanorum atque imperator Francorum, sacra nocte Dominici diei post celebratum nocturnarum horarum diuinum officium, dum irem repausacionis cubitum, et uellem dormicionis capere sompnum, uenit uox ad me terribiliter dicens: "Karole, exiet a te modo spiritus tuus in hora non modica." Statimque fui raptus in spiritu, et qui me sustulit in spiritu fuit candidissimus, tenuitque in manu sua glomorem lineum clarissimi iubar luminis emittentem, sicut solent comete facere quando apparent; cepitque illum dissoluere, et dixit ad me: "Accipe filum glomeris micantis, et liga ac noda firmiter in pollice tue dextere manus, quia per illum duceris in laberitheas infernorum penas." Et hoc dicto precessit me uelociter, distortuens filum luci glomeris, duxitque me in profundissimas ualles et igneas, que erant plene puteis ardentibus pice et sulphure plumboque et cera et adipe. Ibi inueni pontifices patris | mei at auunculorum meorum; quos cum pauens interrogarem quid tam grauia paterentur tormenta,

fo. 15

^{a-a} *Add. scribe 3.*

responderunt michi: “Fuimus episcopi patris tui et auunculorum tuorum, et dum debuimus illos et populum eorum de pace et concordia ammonere et predicare, seminauimus discordias et incentores malorum fuimus: unde nunc incendimur in istis tartareis supplicis et nos at alii homicidiorum et rapinarum amatores. Huc eciam tui episcopi et satellites uenient, qui similiter amant nunc facere.” Et dum hec tremebundus ascultarem, ecce nigerrimi demones auolantes cum uncis igneis uolebant apprehendere filum glomeris quem in manu tenebam, et ad se attrahere; set reuerberantibus radiis illius glomeris non ualebant filum contingere. Deinde post tergum meum currentes uoluerunt me aduncinare et in ipsos puteos sulphureos precipitare; set ductor meus, qui portabat glomorem, iactauit super scapulas filum glomeris et duplicauit illum traxitque post se fortiter, sicque ascendimus super montes altissimos igneos, de quibus oriebantur ^vpaludes et flumina bullentia,^v ubi repperi innumeras animas hominum et principum patris mei et fratrum meorum precipitatas, alias usque ad capillos, alias usque ad mentum, alias usque ad umbilicum; clamaueruntque ad me eiulando: “Dum uiximus, amauius tecum, et cum patre tuo et cum fratribus tuis et cum auunculis tuis facere prelia et homicidia et rapinas pro cupiditate terrena. Ideo in ista bullentia flumina, et metallorum diuersa genera sustinemus tormenta.” Et cum ad hec timidus intenderem, audiui retro me animas clamare: “Potentes potenter tormenta patientur.” Et respexi et uidi super ripas fluminis bullentis fornaces piceas et sulphureas, plenas magnis draconibus et scorpionibus et serpentibus diuersi generis; ubi eciam uidi aliquos patris mei principes et meos et fratrum meorum necnon et auunculorum meorum, dicentes michi: ‘Heu nobis, Karole, uides quam grauia habemus tormenta propter nostram maliciam et superbiam et mala consilia que regibus nostris et tibi dedimus propter cupiditatem.’ Cumque hoc dolendo congemiscerem, concurrerunt ad me dracones apertis et plenis faucibus igne et sulphure et pice, uolentes me inglutire; adiutor meus triplicauit super me filum, a cuius radiis claritatis superata sunt ora illorum ignea, et pertraxit me ualidius. Et descendimus in unam uallem, que erat ex una parta tenebrosa, ardens uelud clibanus ignis, ex alia uero parte tam amenissima et splendidissima ut nulla ratione dicere ualeam. Vertique me contra tenebrosam et flammiuomam partem, uidique ibi aliquos reges mei generis in magnis suppliciis. Et tunc, nimis constrictus angustia, putauit me statim in ipsis demergi suppliciis a gigantibus nigerimis, qui ipsam uallem inflammabant cunctis generibus ignium; et ualde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, uidi e latere uallis paulisper albescere lumen, ibique duos fonts fluere. Vnus erat nimium calidus, alter uero clarus et tepidus; et erant ibi duo

fo. 15^v dolea. Cumque illuc irem, filo glomeris regente gressus | meos, intuitus super unum ubi erat feruens aqua, uidi ibi genitorem meum Ludouicum stare usque ad femora; et nimis dolore aggrauatus et angore

percussus, dixit ad me: "Domine meus Karole, noli timere. Scio quia reuertetur rursus spiritus tuus ad corpus tuum; et permisit te Deus huc uenire ut uideres propter que peccata ego et omnes quos uidisti talia tolleramus supplicia. Vno enim die sum in isto feruentis dolei balneo, et altero die transmutor in isto suauiissimo altero aque dolio; et hoc fit precibus sancti Remigii et sancti Petri, cuius patrociniis hactenus genus nostrum regale regnauit. Set si michi subueneris cito, tu et mei fideles episcopi et abbates et omnis ordo ecclesiasticus, missis, orationibus, psalmodiis, uigiliis, elemosinis, uelociter liberatus ero de isto aque bullientis dolio. Nam frater meus Lotharius et eius filius Ludouicus sancti Petri sanctique Remigii precibus exempti sunt de istis penis, et iam ducti sunt in gaudium paradisi Dei." Dixitque ad me: "Respice sinistrorsum"; cumque respexissem, uidi ibi duo dolia altissima bullientia. "Ista" inquit "sunt tibi preparata, nisi te emendaueris et penitentiam egeris de tuis nefandis delictis"; cepique tunc grauiter horrere. Cumque cerneret comes meus in tanto pauore esse spiritum meum, dixit ad me: "Sequere me ad dexteram luculentissime uallis paradisi." Et cum graderemur, contemplatus sum ingenti claritate cum gloriosis regibus sedere Lotharium auunculum meum super lapidem topazium mire magnitudinis, coronatum diademate pretioso, et iuxta eum filium eius Ludouicum similiter coronatum. Videns cominus accesserunt blanda uoce, dicens: "Karole, successor meus nunc tercius imperio Romanorum, ueni ad me. Scio quod per penalem locum uenisti, ubi est pater tuus, frater meus, positus in termis sibi destinatis; set per misericordiam Dei citissime de illis liberabitur penis, sicut et nos liberati sumus, meritis sancti Petri sanctique precibus Remigii, cui Deus magnum apostolatum dedit super reges et super gentes Francorum. Qui nisi quisquiliis nostre propaginis suffragatus fuerit et adiuerit, iam deficiet genealogia nostra regnando et imperando. Vnde scito quoniam tolletur ocus potestas imperii de manu tua, et postea paruissimo uiues tempore." Tunc conuersus contra me Lodouicus dixit michi: "Imperium quod hactenus tenuisti iure hereditario debet recipere Lodouicus filius filie mee"; et hoc dicto, uisum est michi affore in presentiarum infantulum. Tunc intuens eum Lotharius auus eius dixit michi: "talis uidetur infans esse qualis ille puer fuit quem statuit Dominus in medio discipulorum, et dixit: Talium est regnum celorum; dico uobis quia angeli eorum uident faciem Patris mei qui in celis est. Tu uero redde illi potestatem imperii per illud filum glomeris quod in manu tenes." Disnodans ergo filum de pollice dextere mee, donabam illi monarchiam omnem imperii per ipsum filum; statimque ipsum glomus fulgidum sicut iubar solis coadunatum est totum in manu illius. Sicque post hoc factum mirabile reuersus spiritus meus in corpore meo ualde fessus et conterritus. Denique sciant omnes, uelint an nolint, quoniam secundum destinacionem Dei in manum illius reuertetur totum imperium Romanorum, et quod super ipsum non

preualeo agere, preripiente me articulo uocationis mee, Deus, qui uiuorum dominatur et mortuorum, illud
| perficiet et confirmabit; cuius eternum et sempiternum regnum permanet sine fine in secula seculorum.
Amen’.

82. *De Karolo genere Edwardi primi.*

Visionem istam et regnorum partitionem uerbis scriptam inueni hic apposui, “unde et glomerem masculino genere, sicut in exemplari corrupte habebatur, posui.”^a Hoc ergo Karolo uix duobus annis potestate integra imperii et regno functo, successit in regno Karolus, filius illius Lodouici qui apud Compendium obiit. Hic est Karolus qui filiam Edwardi regis Anglorum uxorem duxit, deditque Normanniam Rolloni cum filia sua Gisla, que esset uas pacis, pigneratrix federis. At uero in imperio successit Karolo isti Arnulfus rex, de genere imperatorio, tutor Ludouici pueri de quo uisio superior narrat. Arnulfo ergo post quindecim annos defuncto, successit Ludouicus idem; quo mortuo Cunradus quidam, rex Theutonicorum, imperauit. Huic successit filius Henricus, qui misit ad Elstanum regem Anglorum pro duabus sororibus suis Alditha et Editha; quarum posteriorem filio suo Othoni collocauit, alteram cuidam duci iuxta Alpes nuptum dedit. Ita hodieque imperium Romanorum et regnum Francorum ab antiqua unione scissum, alterum imperatores, alterum reges habent.

83. *Quando cessauit genus Karoli Magni regnare in Francia.*

Filius huius Karoli fuit Ludouicus. Is a quodam Isambardo, qui ad paganismum uersus fidem luserat, irritatus proceres suos de suffragio conuenit; quibus nec responsum referentibus Hugo quidam, non magni nominis tyro, filius Rodberti comitis Montis Desiderii, ultro pro domino duellam expetiit, et prouocatore interemit. Ludouicus, cum toto exercitu apud Pontium subsecutus, omnibus barbaris quos ille adduxerat uel occisis uel elapsis, opimam lauream optinuit. Set non multo post, pro labore illius expeditionis extrema ualitudine debilitatus, heredem regni Hugonem illum instituit, predicande fidei et uirtutis iuuenem. Ita prosapia Karoli Magni in illo cessauit, seu quod uxor eius sterilis fuerat, seu quod pro breuitate uite absque prole decesserat. Hugo alteram filiam Edwardi duxit uxorem, de quo descenderunt alii reges, qui postea in Francia regnauerunt.

84. *Epistola Cnutonis regis Danorum, qui regnavit in Anglia uiginti annis, iniuste quidem regnum ingressus set magna ciuilitate et fortitudine uitam componens.* ^aCapitulum quartum decimum.^a

fo. 16^v

‘Cnuto rex Anglie et Danemarchie et Norregie et partis Suauorum Ailnotho metropolitano et Alfrico Eboracensi omnibusque episcopis et primatibus et toti genti Anglorum, tam nobilibus quam plebeiis, salutem. Notifico uobis me nouiter isse Romam, oratum pro redemptione peccaminum meorum et pro salute regnorum quique meo subiacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram, set pro negociis regni et causis impediens huc usque non poteram perficere. Nunc autem ipsi Deo meo omnipotenti ualde humiliter gracias ago, quod michi concessit in uita mea beatos apostolos Petrum et Paulum et omne sanctuarium quod intra urbem Romam aut extra addiscere potui expetere et secundum desiderium meum presentialiter uenerari et adorare. Et ideo maxime | hoc patraui, quia a sapientibus didici sanctum Petrum apostolum magnam potestatem accepisse a Domino ligandi et soluendi clauigerumque esse celestis regni; et ideo specialiter eius patrociniū apud Deum expetere ualde utile duxi. Sit autem uobis notum quia magna congregacio nobilium in ipsa Paschali sollempnitate ibi cum domino papa Iohanne et imperatore Cuanrado erat, scilicet omnes principes gentium a Monte Gargano usque ad istud proximum mare; qui omnes me et honorifice suscepere et magnificis donis honorauere. Maxime autem ab imperatore donis uariis et muneribus honoratus sumptam^b in uasis aureis et argenteis quam in palliis et uestibus ualde preciosis. Locutus sum igitur cum domino ipso imperatore et domno papa et principibus qui ibi erant de necessitatibus populi mei tam Angli quam Dani, ut eis concederetur lex equior et pax securior in uia Romam adeundi, et ne tot clausuris per uiam arcerentur, et propter iniustum theloneum fatigentur. Annuitque postulatis imperator et Rodulfus rex qui maxime ipsarum clausurarum dominatur cunctique principes, edictisque firmarunt ut homines mei, tam mercatores quam alii orandi gracia uiatores, absque omni angaria clausurarum et theloneariorum cum firma pace Romam eant et redeant. Conquestus sum iterum coram domino papa, et michi ualde displicere dixi quod mei archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate peccuniarum que ab eis expetebatur, dum pro pallio accipiēdo secundum morem apostolicam sedem expeterent; decretumque est ne id deinceps fiat. Cuncta enim que a domino papa et ab imperatore et a rege Radulfo ceterisque principibus per quorum terras nobis transitus est ad Romam pro mee gentis utilitate postulabam, libenter annuerunt, et concessa eciam

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^b sum tam, *Gesta Regum*, i, c. 183.

fo. 17

sacramento firmarunt, sub testimonio quatuor archiepiscoporum et uiginti episcoporum et innumere multitudinis ducum et nobilium que aderat. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia que desideraueram, prout mente decreueram, prospere perfeci,^a uotisque meis ad uelle satisfeci. Nunc itaque sit notum quia ipsi Deo supplex deuoui uitam meam amodo in omnibus iustificare et regna michi subdita populosque iuste et pie regere equumque iudicium per omnia obseruare; et siquid per mee iuuenutis intemperanciam aut negligentiam hactenus preter id quod iustum erat est actum, totum Deo auxiliante dispono emendare. Iccirco obtestor et precipio meis consiliariis quibus regni consilia credidi ne ullo modo aut propter meum timorem aut alicuius potentis persone fauore aliquam iniusticiam amodo consenciant uel faciant pullulare in omni regno meo. Precipio eciam omnibus uicecomitibus et prepositis uniuersi regni mei, sicut meam uolunt habere amiciciam aut suam salutem, ut nulli homini nec diuiti nec pauperi uim iniustam auferant, set omnibus tam nobilibus quam ignobilibus sit fas iusta lege pociendi, a qua nec propter fauorem regni nec propter alicuius potentis personam nec propter michi congerendam pecuniam ullo modo deuiant, quia nulla michi necessitas est ut iniqua exactione peccunia michi congeratur. Ego itaque notum uobis fieri uolo quod, eadem uia qua exiui regrediens, Danemarchiam uado, pacem et firmum | pactum omnium Danorum consilio compositurus cum eis gentibus que nos et uita et regno priuare, si eis esset possibile, uolebant, set non potuerunt, Deo scilicet uirtutem eorum destruyente, qui nos sua benignitate in regno et honore conseruet omniumque inimicorum nostrorum potentiam adnichilet. Composita denique pace cum gentibus que in cicuitu nostro sunt, dispositoque et pacato omni regno nostro hic in oriente, ut a nulla parte bellum aut inimicicias aliquorum timere habeamus, quam cicius hac estate apparatus nauigii habere potero, Angliam uenire dispono. Hanc autem epistolam iam premissi, ut de mea prosperitate omnis populus regni mei letificetur, quia (ut uos ipsi scitis) numquam memet ipsum nec meum laborem abstinui nec adhuc abstinebo impendere pro omnis populi mei necessaria utilitate. Nunc igitur obtestor omnes episcopos meos et regni prepositos per fidem quam michi debetis et Deo, quatenus faciatis ut, antequam Angliam ueniam, omnium debita que secundum legem antiquam debemus sint persoluta, scilicet elemosina pro aratis, et decime animalium ipso anno procreatorum, et denarii quos Romam ad sanctam Petrum debetis siue ex urbibus siue ex uillis, et mediante Augusto decima frugrum, et in festiuitate sancti Martini primicie seminum sub cuius parochia quisque degit, que Anglice "scyrisceat" nominatur. Hec et alia si cum uenero non erunt persoluta, regia exactione secundum leges in quem culpa cadit districte absque uenia comparabit'. Nec dicto deterius fuit

^a per *ins. above line*.

factum. Omnis enim leges ab antiquis regibus ex maxime ab antecessore suo Edelredo latas sub interminacione regie multe perpetuis temporibus obseruari precepit; in quarum custodiam eciam nunc tempore bonorum sub nomine regis Eadwardi iuratur, non quod ille statuerit set quod obseruauerit.

85. *De Gunnilda filia eiusdem Cnutonis et Emme matris sancti Edwardi de Westmonasterio.* ^aCapitulum quintum decimum.^a

Mortuo predicto Cnutone successit in regnum filius eius Haroldus natus in Denmarchia et regnauit annis quatuor et mensibus quatuor. Quo mortuo regnauit post eum Hardeknudus frater eius filius predictorum Cnutonis et Emme, qui regnans biennio preter decem dies mortuus est. Iste Gunnildam sororem suam filiam Cnutonis et Emme, spectatissimam speciei puellam, a multis proceris tempore patris suspiratam nec impetratam, Henrico imperatori Alemannorum nuptum misit. Celebris illa pompa nuptialis fuit, et nostro adhuc seculo eciam in triuis cantitata, dum tanti nominis uirgo ad nauem duceretur, stipantibus omnibus Anglie proceribus, et in hec expensas conferentibus quicquid absconderet uel marsupium publicum uel errarium regium. Ita ad sponsum perueniens multo tempore fedus coniugale fouit; postremo, adulterii accusata, puerulum quemdam sturni sui alumpnum, quem secum ex Anglia duxerat, delatori, gigantee molis homini, ad monomachiam opposuit, ceteris clientibus inertis timore refugientibus. Itaque conserto duello per miraculum Dei insimulator succiso poplite eneruatur. Gunildis, in imperato triumpho tripudiens, uiro repudium dedit, nec ultra minis aut deliramentis adduci potuit ut thalamo illius consentiret, set uelum sanctimonia|lium suscipiens in Dei seruicio placido consenuit otio.

fo. 17^v

86. *De Henrico imperatore Romane genere Cnutonis.*

Erat imperator multis et magnis uirtutibus preditus et omnium pene ante se bellicosissimus, quippe qui eciam Vindelicos et Leuticios subegerit ceterosque populos Sueuis conterminos, qui usque ad hanc diem soli omnium mortalium paganas supersticiones hanelant. Nam Sarraceni at Turchi deum creatorem colunt, Mahumet non Deum set Dei prophetam estimantes. Vindelici uero Fortunam adorant, cuius idolum loco nominatissimo ponentes, cornu dextere illius componunt plenum potu illo quem Greco uocabulo, ex aqua et melle, idromellum uocamus. Idem sanctus Ieronimus Egyptios et omnes pene

^{a-a} *Add. scribe 3.*

Orientalis fecisse in octavo decimo super Ysaia libro confirmat. Vnde ultimo die Nouembris mensis in circuitu sedentes, in commune pregustant; et si cornu plenum inuenerint, magno strepitu applaudunt, quod eis futuro anno pleno copia cornu responsura sit in omnibus; si contra, gemunt. Hos igitur ita Henricus tributarios effecerat, ut omnibus sollempnitatibus quibus coronabatur reges eorum quatuor lebetem quo carnes condiebantur in humeris suis per annulos quatuor uectibus ad coquinam uestigarent.

87. *De eo et sorore suo et clerico.*

Preterea crebro tumultibus regni expeditus, cum se communionem et hilaritati dedisset, ioci plenus, ut sat erit duobus probare exemplis. Sororem sanctimonialem unice diligebat, ut suo eam lateri deesse non pateretur, set semper triclinium euis suo coniungeret. Dum igitur quadam hyeme, que niuibus et pruinis aspera inhorruerat, uno diu loco detineretur, clericus quidam curialis, familiarior iusto puelle effectus, crebro nocturnas in cubiculo eius protelabat uigilias; et quamlibet multimodis tergiuersationibus nequiciam palliaret, aduertit illud aliquis, quod difficile sit crimen non prodere uultu uel gestu. Et iam uulgo rem uentilante, solus nesciebat imperator, et sororem suam pudicam credere audebat. Set cum quadam nocte cupitis fruerentur amplexibus, et diutius se uoluptas protenderet, illuxit mane, et ecce nix omnem terram operuerat. Tunc clericus, qui se deprehendendum per uestigia in niue timeret, persuadet amice ut dorso eius impositus angustias illas euaderet. Illa, non refutans inpudentiam dum modo uitaret uerecundiam, leuat tergo amasium et extra curiam effert. Et forte tum imperator minctum surrexerat, et per fenestram cenaculi despiciens uidit clericum equitatem; primo quidem uisu hebetatus, set re diligentius explorata pudore et indignatione obmutuit. Interea hesitanti utrum peccatum inpunitum dimtteret uel peccantes honeste redargueret, obuenit occasio ut episcopatum uacantem daret clerico, hec uerba auribus insusurrans: 'Accipe' inquit 'episcopatum, et uide ne ulterius inequites mulierem.' Item dans abbatiam sanctimonialium germane: 'Esto' ait 'abbatissa, nec ultra patiaris' clericum equitem.'

fo. 18 Confusi illi, qui tam graui dicto se sentirent lapidatos, descuerunt a flagicio quod diuinitus | inspiratum putabant Domino.

88. *De eodem et clerico suo.*

Item habebat clericum in curia qui et litterarum periciam et uocis elegantiam uitio corporis deformabat, quod meretriculam uille dementer ardebat; cum qua nocte quadam solempni uolutatus, mane ad missam

imperatoris aperta fronte astabat. Dissimulata scientia, mandat ei Cesar ut se paret ad euangelium, quod eius melodia delectaretur; erat enim diaconus. Ille pro peccati conscientia multis prestigiis subterfugere, imperator contra nunciis urgere, ut probaret constantiam. Ad extremum prorsus abnuenti, 'Quia' inquit 'non uis michi parere in tam facili obsequio, ego te extorrem tocius terre mee precipio'. Clericus amplexus sententiam abscessit continuo; missi pedissequi qui eum persequerentur ut, si perseuerandum putaret, iam urbem egressum reuocarent. Ita incunctanter compilatis omnibus suis et in sarcinulas compositis, iam profectum magnaue uiolentia retractum Henrici presentie sistunt. Qui letum subridens 'Probe' ait 'fecisti, et gratulor probitati tue, quod pluripenderis Dei timorem quam patriam, respectum celestis ire quam meas minas. Quapropter habeto episcopatum qui primus in imperio meo uacauerit; tantum indecenti amori renuncies.'

89. *De miraculo apud Magonciam tempore eius.*

Et quia nichil constans est in humanis gaudiis, quoddam triste portentum tempore eius accidit, quod non tacebo. Fuldense cenobium est in Saxonia, sancti Galli corpore insigne et prediis ditatum per magnificis. Eius loci abbas sexaginta milia bellatori prebet in hostem, habetque ex antiquo priuilegium ut in precellentibus festiuitatibus ad dexteram eius considerat. Hic ergo Henricus Pentecosten apud Magontiam celebrabat. Paulo ante, cum sedilia ante missam pararuntur in ecclesia, inter cubicularios abbatis et archiepiscopi iurgium agitatum, utrorum dominus iuxta Cesarem sederet, illis prerogatiuam antisitis, istis priscum morem referentibus. Vbi uerbis parum ad concordiam proceditur, ut habent Germani idemque Theutones indomitum animum, ad pugnam uentum. Itaque pars sudas arripere, pars saxa iacere, pars enses euaginare, postremo quicquid primum ira inuenisset eo pro armis uti; ita furore per ecclesiam grassante, pauimentum sanguine inundauit. Set statim episcopis conuolantibus pace inter reliquias dissidentium statuta, templum purgatum, missa festiuis calmoribus acta. Cum uero (mira subiciam) sequentia cantata, et uersum 'Hunc diem gloriosum fecisti' chori conticuissent, uox ab aere lapsa late insonuit: 'Hunc diem bellicosum ego feci.' Rigentibus ceteris imperator, diligencius intendens muneri leticiamque intelligens inimici, 'Tu,' inquit, 'omnis malicie inuentor diem bellicosum et arrogantibus luctuosum fecisti; set nos per Dei gratiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gracious reddemus'. Et mox reincepta sequentia sollempni ploratu Spiritus sancti gratiam inuitabat; intelligeres illum aduentasse, illis cantantibus, istis lacrimantibus, omnibus pectora tudentibus. Finita missa, egenis per precones

conclamatis, omnis dapes que sibi et curialibus parabantur et in usus eorum exhaustit, ipse obsonia apponens, ipse iuxta disciplinam ministrorum de longe consistens, ipse superflua ciborum abstergens.

90. *De alio miraculo.*

Tempore Conradi patris a quodam clerico fistulam tulerat argenteam qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus episcopatum cum foret imperator. Adultus repetenti pollicitem impigre dederat. Nec multo post aspera ualitudine correptus decubuit. Morbo crescente, triduo exsensit et mutus iacuit, cum in solo pectore uitalis palpitaret halitus; nec aliud uite indicium erat quam quod manus ad nares apposita quantuluscumque sentiebatur hanelitus. Episcopi presentes, triduo indicto ieiunio, lacrimis et uotis pro uita regis superos pulsabant. Quibus, ut credi fas est, remediis conualescens, accitum episcopum quem iniuste fecerat sententia concilii deposuit, professus se toto triduo demones infestos uidisse flammam in se per fistulam iaculantes, flammam adeo pertinacem ut noster ignis in comparacione illius iocus putetur et nil calere; iuuenem inter hec semiustulatum aduentasse, ferentem immense magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cuius uisione et laticis aspergine delinitum, extinctis ardoribus, in sanitatem euasisse; ephelum illum beatum fuisse Laurentium, cuius ecclesie tectum longa carie dissolutum compaginant,^a et preter alia xenia calice aureo honorificarit.

91. *De cerua.*

Occurrunt hoc loco que de illo uiro feruntur magna miracula, ut de cerua que illum inimicos fugitantem ultra inuadabilem fluuium dorso euexerit, et quibusdam aliis, quibus ideo supersedeo quia estimationem lectoris supergredi nolo. Obiit octauo decimo anno imperii emenso, et apud Spiram conditus est, quam ipse ex antiquissima et diruta Nemeto ita nominata nominauit.

92. *Miraculum de misterio corporis et sanguinis Domini.*

Tempore Willelmi regis, qui Angliam adquisiuit, fuit Beringarius Turronensis heresiarcha, qui panem et uinum in altari apposita post consecracionem sacerdotis uerum et substanciale corpus Domini, sicut ecclesia predicati, esse denegabat. De quo alibi in hoc libro satis dictum est.

^a compaginarit *Gesta Regum*, i, c. 193.

93. Nos sane credimus, post benedictionem ecclesiasticam illa misteria esse uerum corpus et sanguinem Saluatoris, adducti et ueteris ecclesie auctoritate et multis nouiter ostensis miraculis. Quale fuit illud quod beatus Gregorius exhibuit Rome. Quale quod Paschasius narrat contigisse Alemannie, presbiterum Plegildum uisibiliter speciem pueri in altari contrectasse, et post libata oscula in panis similitudinem conuersum ecclesiastico more sumpsisse; quod arroganti caulatione ferunt Berengarium carpere solitum, et dicere: 'Speciosa certe pax nebulonis, ut cui oris prebuerat basium, dentium inferret excidium'. Quale de pusione Iudaico, quod in ecclesiam cum equeuo Christiano forte et ludibunde ingressus uidit puerum membratim in ara discerpi et uiritim populo diuidi. Id cum innocentia puerili parentibus pro uero assereret, in rogam detrudunt ubi occluso hostio estuabat incendium, multis post horis sine iactura corporis *exuiuarum*que; quomodo uoraces ignium globos euaserit, respondit: 'Ita pulcra femina quam uidi sedere in cathedra, cuius filius populo diuidebatur, semper michi camino ad dexteram astitit, | flammeas minas et fumea uolumina peplo suo submouens'.

fo. 19

94. Erat papa Gregorius *illius uocabuli*^a sextus^b antedictus Gracianus, magne religionis et seueritatis. Is ita <Romani>^a apostolatus statum per incuriam antecessorum diminutum inuenit ut preter pauca opida urbi uicina et oblationes fidelium pene nichil haberet quo se sustentaret. Ciuitates et possessiones in longinquo posite, que ad ius ecclesie pertinebant, a predonibus ablati; tramites publice et strata uiarum per Italiam totam a latronibus stipabantur, ut nullus peregrinus nisi cum maiori manu inpune transiret. Feruebant totis semitis insidiatorum examina, nec inueniebat uiator quo colludio euaderet; ita etiam uacuum sicut in pecuniosum furebatur, nec suplex habere gratiam nec resistens pati poterat uiolentiam. Cessatum est ab omni prouincia Romam iter aggredi, quod mallet quislibet per domesticas ecclesias nummos suos diuidere quam latrunculos propriis laboribus pascere. Quid in urbe, unico olim habitaculo sanctitatis? Ibi medio foro uagabantur sicarii, genus hominum infidum et uersutum. Si quis semitarum obseruatores aliquo transisset artificio, capitis scilicet periculo Apostoli ecclesiam uidere cupiens, in sicarios incidens nullo modo sine substantie uel salutis dampno domum reuerteretur. Super ipsa corpora sanctorum apostolorum et martyrum, supra sacra altaria gladii nudabantur; et oblationes accedentium uix dum apposite de manibus abripiabantur, abrepte in commessiones et scortorum abusiones consumebantur. Tantorum malorum turbo Gregorii papatum offendit. Ille primo leniter et, ut pontificem decet, magis amore quam terrore cum subiectis agere, delinquentes uerbis plusquam uerberibus premere:

^a *Gesta Regum*, i, c. 201.

urbani a peregrinorum infestacione, a rapina sacrorum cessarent. Alterum esse contra naturam, ut ille qui communi uesceretur ere non communi frueretur pace; Christiano inter Christianos libere quolibet progrediendum, dum omnes sunt ex uno famulatio, omnes unius sanguinis coniuncti coagulo, redempti precio. Alterum contra Dei mandata, que precepit ut qui altario deseruiunt de altario uiuant; preterea domum Dei deceret esse domum orationis, non speluncam latronum, non galdiatorum conuenticulum; permittunt oblationes transire in usus sacerdotum uel in expensas pauperum; prouisurum se illis quos egestas ac rapinas compellerent, ut aliquo honesto officio stipem haberent; quos cupiditas exagitabat, ipsi sibi pro Dei timore et seculi honestate modum ponerent. Inuasores ecclesiastici patrimonii mandatis et epistolis inuitauit ut aut indebita redderent aut se iure tenere illa in senatu Romano probarent; si neutrum facerent, ecclesie membra se non esse cognoscerent, qui capiti ecclesie beato Petro et eius uicario resultarent. Talia frequenter concionatus et aut parum aut nichil proficiens, seuerioribus remediis inueterato morbo temptauit occurrere. Caetero itaque excommunicationis omnes ab ecclesie corpore remouit uel qui talia facerent uel qui agentibus conuiuio uel eciam colloquio participarent. Hec ille pro suo officio satis agebat, set pene in perniciem uersa sedulitas; nam ut ille dicit: 'Qui arguit illusorem, ipse sibi iniuriam facit', maligni illi leui ammonicione perstricti contra furem,^a minis auras territare, muros urbis | circumsonare, adeo ut pene papam interimerent. Itaque ferro abscisionis utendum iudicans, arma undecumque et equos conquisiuit, milites et equites adornauit, ac primum basilicam beati Petri preoccupans raptores oblacionum uel extinxit uel effugauit. Inde fortunam sibi aspirare uidens longius progreditur; et, si qui resisterent occisis, predia omnia et oppida multis temporibus amissa in antiquum ius reformauit. Itaque pax, per multorum segniciem exulans, per unum hominem in patriam rediit. Securi peregrini insuetas uiarum terebant orbitas, leti per urbem antiquis oculos pasebant miraculis, cantitantes donis factis repatriabant. Quirites interea, rapto uiuere assueti, sanguinarium illum uocabant; indignum esse qui Deo offerret sacrificium tot scedul conscius; et ut fieri solet quod morbus obloquii ab uno sperat^b in omnes, ipsi eciam cardinales argumenta populi prophabant, adeo ut, cum beatus ille ualitudine qua defunctus est decumberet, consilio prius habito inter se, ausu temerario ammonerent ne secum ceteris apostolicis in ecclesia tumulari preciperet, qui tot hominum mortibus officium fedasset. Tum ille recollecto spiritu toruisque luminibus minax hanc orationem habuit:

^a furere *Ibid.*

^b serpat *Gesta Regum, i, c. 202.*

95. 'Si in uobis uel scintilla humane rationis uel scientia diuine auctoritatis esset, tam precipiti suasionem non conueniretis pontificem uestrum, qui, quantum uixi, et patrimonium meum in uestra commoda effudi et postremo famam mundi pro uestra liberatione neglexi. Et si alii hec que proscinditis attexerent, par erat uos obsistere, oppinationes stultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui, queso, thesaurizauit? Forstian michi: at thesauros antecessorum meorum habebam, qui cuiuslibet auaricie sufficerent. Quibus salutem, quibus libertatem restitui? Referetis quod michi: at adorabar a populo et libere que uolebam actitabam; applaudebatur michi totis orationibus, acclamabatur in laudes meas totis diebus. Has laudes, hos plausus abstulit michi uestre tenuitatis contuitus, ad uos flexi animum, et seuerius agendum estimaui. Fortunarum uestrarum titulos predo ipsius^a consumebat, uos inopem uitam diurno pane agebatis. Ille de oblationibus uestris preciosa sibi serica mercabatur, uos populari et dissoluto amicta oculos mouebatis meos. Itaque, cum hec nequirem pati, bellum aliis indixi, ut dampno ciuium emerem gratiam clericorum. Set, ut modo experior, in ingratos beneficia collata perdidit; quod alii per angulos musitant, uos euomit in publico. Et libertatem quidem probo, set pietatem requiro. Morientem patrem filii de sepultura sua exagitant, communem mortalium domum michi negabitis? Non arectur ab introitu ecclesie ^bin ecclesia,^b non usurarius, non latro; et uos papam ingredi prohibetis? Quid refert an mortuus an uiuus sacrarium introeat, nisi quod uiuus multis temptatur illecebris, ut nec in ecclesia macularum subsit immunis, ibi sepe peccandi repperiens materiam ubi uenerat diluere culpam; mortuus peccare nesciat, immo peccare non possit, supremo carens uiatico. Quam immanis barbaries ut hunc a domo Dei excludas cui peccandi desit et uoluntas | et facultas. Quapropter, filii, tam prurpue audacie penitentiam agite, si forte Deus uobis remittat hanc noxam. Stulte enim et amare locuti estis ad hanc horam. Set, ne putetis me sola niti auctoritate, rationem accipite. Omnis actus hominis secundum cordis intentionem debet examinari, ut eo uergat facti iudicium unde processit faciendi consilium. Fallor si non idem Veritas dicit: "Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si uero nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit". Crebro me miserabilis conuenit egenus ut eius leuarem inopiam; ego futurorum inscius, non abnui, set diuersis monetis honustatum dimisi. Discedens ille in publico aggere latronem offendit; incautus cum eo sermonem conseruit, predicans sedis apostolice indulgentiam, et ut fidem probaret dictorum marsupium protulit. Interimque dum itur multaque confabulatione uia fallitur, dolosus ille paulisper remoratus caputque peregrini claua quam ferebat affligens nec mora

fo. 20

^a impius, *Gesta Regum*, i, c. 202.

^{b-b} meretricula *Gesta Regum*, i, c. 202.

extinxit, surreptisque denariis gloriatus est de homicidio quod persuaserat peccunie cupido. Nunquid ergo me inde recte iudicabitis, qui peregrino dederam unde causam mortis incurreret? Neque enim ille, quamuis crudelissimus, hominem pessumdaret, nisi audis sinibus nummos infarcire speraret. Quid dicam de legibus forensibus et ecclesiasticis? Nonne in eis unum idemque factum diuerso respectu punitur et laudatur? Animadueritur in latronem quod occiderit hominem in occulto, probatur in milite si fuderit hostem in bello; ita homicidium et in illo uituperabile et in isto laudabile censetur, quia iste pro salute patrie, ille occiderit pro salutis ingluuie. Laudatus est olim predicande memorie predecessor noster Adrianus primus, qui inuestituras ecclesiarum Karolo Magno concesserit, ita ut nullus electus consecraretur ab episcopo nisi prius insigniretur a rege et anulo et baculo. Contra laudatur in nostri seculi pontificibus quod has donationes tulerunt principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quia erat animus Magni aduersus auariciam inuictus, nec facile inuenisset alii aditum nisi intrasset per hostium. Preterea per tot terrarum intersticia nequibat requiri sedes apostolica ut unicuique electo assensum commodaret suum, dum esset prope rex qui nil per auariciam disponeret, set iuxta sacra canonum scita religiosas personas ecclesiis introduceret. Nunc omnia palacia regum luxus et ambitus occupauit; quare merito libertatem suam sponsa Christi asseueret, ne illam tyrannus ambicioso usurpatori prostituat. Ita in utramuis partem potest causa mea infirmari uel allegari. Non est episcopi officium ut ipse committat uel committi iubeat prelium; ceterum spectat ad munus episcopi ut, si uideat naufragari innocentiam, et manu et lingua occurrat. Sacerdotes Ezechiel accusat quod non steterint ex aduerso, nec apposuerint clipeum pro domo Israel in die Domini. Due sunt scilicet persone in ecclesia Dei ad resecanda uicia constitute: una que exacuat eloquium, altera que portet gladium. Ego, ut uos michi testes esse potestis, non neglexi meas partes. Quoad speraui proficere, armaui linguam; illum cuius interest rem | agere gladio, certiozem feci nuncio. Occupatum se rescripsit bello Vindelicorum, rogans ut nostris laboribus suis expensis non grauaret deturbare latronum conciliabula. Si renuissem, quam accusationem Deo afferrem, cum imperator suas in me partes refudisset? Viderem cedem ciuium, dampnum peregrinorum, et dormitarem? Atqui qui parcat latroni, occidit innocentem. Set obicietur non esse sacerdotis ut se cede cuiuslibet inmaculet. Et ego concedo, si ille se inquinat qui, sontem premens, insontem liberat; immo uero, immo "beati qui custodiunt iudicium et faciunt iusticiam in omni tempore". Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi, Finees et Mathathias, ambo sacra thiara frontem insigniti, ambo sacerdotalibus stolis amicti; ambo tamen in delinquentes manu sunt ulti. Alter uenerios amplexus pugne confodit, alter immolantem immolatio cruori commiscuit. Si ipsi, quasi spissas

fo. 20^v

legis tenebras palpantes, pro ipsis umbraticis misteriis zelo diuino efferati sunt, nos aperta fronte ueritatem contuentes patiemur sacra nostra prophanari? Azarias sacerdos regem Oziam thurificantem expulit: et procul dubio non dubitasset occidere, nisi ille accelerasset cedere. Preuenit episcopalem manum plaga diuina, ut lepra depasceretur illius cadauer cuius animus anhelasset illicita. Deturbata fuit regis deuotio, et non deturbabitur latronis ambicio? Parum est quod excuso, si non et laudem factum meum. Contuli enim illis beneficium quibus uideor contulisse excicium; penam minui qui mortem acceleraui. Sceleratus enim, quanto plus uixerit, tanto plus peccabit, nisi forte quem Deus singulari exemplo respexerit. Mors in commune bona est omnibus: per eam iustus reponitur in celestibus, iniustus ponit ferias sceleribus; malus dat flagiciis terminum, bonus pertendit ad brauium; sanctus propinquat ad palmam, peccator spectat ad ueniam, quod figit flagiciis metam. Gracie igitur michi habende sunt illorum uice qui tantis miseriis exempti sunt meo munere. Hec habui que pro me dicerem, ut uestras asserciones euacuarem. Set quoniam et mee et uestre ratiocinationes falli possunt, committamus omnia diuino examini. Corpus meum, antecessorum more appositum, ante ianuas ecclesie sistitie; ianue seris et reparagulis dampnentur. Si Deus uoluerit ut egrediar, applaudetis miraculo; sin minus, de cadauere meo facite quod pocius uestris insederit animis’.

96. *Hac permoti oratione, cum ille extremum efflasset, ante portas seris oclusas exanimis presulis exuuias deportatur; set mox diuinitus turbo emissus omnia repagulorum obstacula dirumpens ualuas eiam ipsas, uehementi patefactas impetu, ad parietem impulit. Populus astans acclamabat in gaudium; pontificis corpus cum predecessoribus celebri ueneratione locatum.*

97. *De Gerberto.*

“Decedente predicto Gregorio, successit Iohannes sextus^β decimus, cui successit Siluester, qui antea Gerbertus uocabatur: de quo^α non absurdum erit, ut oppinor, si litteris mandemus que per omnium ora uolitant. Ex Gallia natus, monachus a puero apud Floriacum adoleuit. Mox cum Pythagoricum biuium attigisset, seu tedio monachus seu glorie | cupiditate captus, nocte profugit Hyspaniam, animo precipue intendens ut astrologiam et ceteras id genus artes a Sarracenis edisceret. Hyspania, olim multis annis a Romanis possessa, tempore Honorii imperatoris in ius Gothorum concesserat; Gothi, usque ad tempora beati Gregorii, tunc per Leandrum episcopum Hyspalensem et per Ricaredum regem fratrem Herminigildi, quem pater nocte Paschali pro fidei confessione interfecerat, catholico choro uniti sunt.

Successit Leandro Ysidorus, doctrina et sanctitate nobilis, cuius corpus nostra etate Aldefonsus rex Galicie Toletum transtulit, ad pondus auro comparatum. Sarraceni enim, qui Gothos subiugarant, ipsi quoque a Karolo Magno uicti Galliciam et Lusitaniam, maximas Hyspanie prouincias, amiserunt; possident usque hodie superiores regiones; et sicut Christiani Toletum, ita Hispalim, quam Sibilliam uulgariter uocant, capud regni habent, diuinationibus et incantacionibus more gentis familiari studentes. Ad hos igitur, ut dixi, Gerbertus perueniens desiderio satisfecit. Ibi uicit scientia Tholomeum in astrolabio, Alhandreum in astrorum intersticia, Iulium Firmicum in fato. Ibi quid cantus auium et uolatus portendat didicit, ibi excerire denues ex inferno figuras, ibi postremo quicquid uel noxium uel salubre curiositas humana deprehendit. Nam de licitis artibus, arithmetica, musica et astronomia et geometria, nichil attinet dicere, quas ita ebibit ut inferiores ingenio suo ostenderet, et magna industria reuocaret in Galliam omnino ibi iam pridem obsoletas. Abacum certe primus a Sarracenis rapiens, regulas dedit que a sudantibus abacistis uix intelliguntur. Hospitabatur apud quendam serte^a illius philosophum, quem multis primo expensis, post eciam promissis demerebatur. Nec deerat Sarracenus quin scientiam uendicaret; assidere frequenter, nunc de seriis nunc de nugis colloqui, libros ad scribendum prebere. Vnus erat codex tocius artis conscius quem nullo modo elicere poterat. Ardebat contra Gerbertus librum quoquo modo ancillari. Semper enim inuentum nitimur, et quicquid negatur preciosius putatur. Ad preces ergo conuersus orare per Deum, per amicitiam; multa offerre, plurima polliceri. Vbi id parum procedit, nocturnas insidias temptat. Ita hominem, coniuente eciam filia, cum qua assiduitas familiaritatem parauerat, uino inuadens, uolumen sub ceruicali positum arripuit, et fugit. Ille sompno excussus indicio stellarum, qua peritus erat arte, insequitur fugitantem. Profugus quoque respiciens eademque scientia periculum comperiens sub ponte ligneo qui proximus se occuluit, pendulus et pontem amplectens ut <nec>^b aquam nec terram tangeret. Ita uel querentis auditas frustrata, domum reuertitur. Tunc Gerbertus uiam scelerans deuenit ad mare. Ibi per incantaciones diabolo accersito, perpetuum pasciscitur hominum si se ab illo qui denuo insequeretur defensatum ultra pelagus eueheret. Et factum est. Set hec uulgariter ficta crediderit aliquis, quod soleat populus litteratorum famam ledere, dicens illum cum demone quem in aliquo uiderint excellentem opere. Vnde Boecius in libro de Consolatione Philosophie queritur propter studium sapientie se de talibus notatum, quasi conscientiam suam sacrilegio polluisset ob ambitum dignitatis. 'Non conueniebat' inquit, 'uilissimorum me spirituum presidia captare, quem in hanc excellentiam componebas ut consimilem Deo faceres. At qui hoc ipso uidemur affines maleficio, quod tuis imbuti

^a sectae *Gesta Regum*, i. c. 167.

^b *Gesta Regum*, i. c. 167.

fo. 21^v disci|plinis, tuis instituti moribus sumus'. Hec Boecius. Michi uero fidem facit de istius sacrilegio inaudita mortis excogitacio. Cur enim se moriens, ut postea dicemus, excarnificaret ipse sui corporis horrendus lanista, nisi noui sceleris conscius esset? Vnde in uetusto uolumine quod in manus meas incidit, ubi omnium apostolicorum nomina continebantur et anni, ita scriptum uidi, 'Siluester, qui Gerbertus, annis quatuor, mensem unum, dies decem, hic turpiter uitam suam finiuit'.

98. De eodem.

Gerbertus Galliam repatrians publicasque scholas professus, arcem magisterii attigit. Habebat conphilosophos et studiorum socios Constantinum abbatem monasterii sancti Maximini, quod est iuxta Aurelianis, ad quem edidit Regulas Abaco; Athelboldum episcopum, ut dicunt, Winti Burgensem, qui et ipse monumenta ingenii dedit in epistola quam facit ad Gerbertum de questione diametri super Macrobius, et in nonnullis aliis. Habuit discipulos predicande indolis et prosapie nobilis, Robertum filium Hugonis cognomento Capet, Othonem filium imperatoris Othonis. Robertus, postea rex Francie magistro uicem reddidit et archiepiscopum Remensem fecit. Extant enim apud illam ecclesiam doctrine ipsius documenta, orologium arte mechanica compositum, organa ydraulica ubi mirum in modum per aque calefacte uiolentiam uentus emergens implet concauitatem barbiti, et per multiforatiles tractus eree fistule moderatos clamores emittunt. Et erat ipse rex in ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus, et tum in hoc, tum in ceteris multum ecclesie profuit; denique pulcherrimam sequenciam, 'Sancti Spiritus assit nobis gracia' et responsorium, 'O Iuda et Ierusalem' contexuit et alia plura, que non me pigeret dicere si non alios pigeret audire. Otho, post patrem imperator Italie, Gerbertum archiepiscopum Rauennatem et mox papam Romanum creauit. Vrgebat ipse fortunas suas fautore diabolo, ut nichil quod semel excogitasset imperfectum reliqueret. Denique tesaurus olim a gentilibus defossos arte nigromancie molibus eruderatis inuentos cupiditatibus suis implicuit. Adeo improborum uilis in Deum affectus, et eius abutuntur pacientia, quos ipse reddere mallet quam perire. Set reperit tandem ubi magister suus hereret et, ut dici solet, cornix cornici oculos offoderet, dispari^a arte temptamentis eius occurreret. Erat iuxta Romam in campo Marcio statua, erea an ferrea incertum michi, dextere manus indicem digitum extentum habens; scriptum quoque in capite 'Hic percutite'. Quod superioris eui homines ita intelligendum rati quasi ibi thesaurum inuenirent, multis securium ictibus innocentem statuam laniauuerant. Set illorum Gerbertus redarguit errorem, longe aliter ambiguitate obsoluta; namque meridie sole in centro existente

^a dum pari *Gesta Regum*, i. c. 168.

notans quo protenderetur umbra digiti ibi palum figit, mox superueniente nocte solo cubiculario laternam portante comitatus eo contendit. Ibi terra solitis artibus dehiscens latum ingredientibus patefecit introitum. Conspicantur ingentem regiam, aureos parietes, aurea lacunaria, aurea omnia; milites aureos aureis chesseris quasi animum oblectantes; regem metallicum cum regina discumbentes, apposita obsonia, astantes ministros, pateras multi ponderis et precii, ubi naturam uincebat opus. | In interiori parte domus carbunculus lapis in primis nobilis et paruus inuentu tenebras noctis fugabat. In contrario angulo stabat puer, arcum tenens extento neruo et harundine intenta. Ita in omnibus, cum oculos spectantium ars presciosa raptaret, nil erat quod posset tangi etsi posset uideri; continuo enim ut quis manum ad contingendum aptaret, uidebantur omnes ille ymagines prosilire et impetum in presumptorem facere. Quo timore Gerbertus pressus ambitum suum fregit; set non abstinuit cubicularius quin mirabilis artificii cultellum, quem mense impositum uiderat, abriperet, arbitratus scilicet in tanta preda paruuum latrocinium posse latere. Verum mox omnibus imaginibus cum fremitu exurgentibus, puer quoque emissa arundine in carbunculum tenebras induxit, et nisi ille monitu domini cultellum reicere accelerasset, graues ambo penas dedissent. Sic insatiata cupiditatis uoragine laterna gressus ducente discessum. Talia illum aduersis prestigiis machinatum fuisse constans uulgi est opinio. Verumtamen, si quis uerum diligenter exculpat, uidebit nec Salomonem, cui Deus ipse dederat sapientiam, huiusce inscium commenti fuisse (ut enim Iosephus auctor ait, thesauros multos cum patre defodit in loculis qui erant, inquit, mechanico modo reconditi sub terra), nec Hyrtacum, prophetia et fortitudine clarum, qui ut obsidionis leuaret iniuriam de Daudid sepulcro tria millia auri talenta arte mechanica eruit, ut obsessori partem enumeraret, parte zenodochia construeret. At uero Herodes, qui magis presumptione quam consilio idem aggredi uoluerit, multos ex satellitibus igne ex interiori parte prodeunte amiserit. Preterea cum audio Dominum Iesum dicentem: 'Pater meus usque modo operatur, et ego operor,' credo quod qui dederit Salomoni uirtutem super demones, ut idem hystoriographus testatur, adeo ut dicat eciam suo tempore fuisse uiros qui illos ab obsessis corporibus expellerent, apposito naribus patientis anulo habente sigillum a Salomone monstratum, credo, inquam, quod et isti hanc scientiam dare potuerit; nec tamen affirmo quod dederit.

99. *De quodam prodigio.*

Set hec lecturis relinquens, dicam quod a quodam loci nostri monacho, genere Aquitannico, etate prouecto, arte medico, in puericia audisse me memini. 'Ego' aiebat 'septennis, despecta exilitate patris mei, municipis Barcinonensis ad modum tenuis, transcendens niues Alpinas in Italiam ueni. Ibi, ut id

fo. 22^v

etatis pusio, summa inopia uictum queritans, ingenium potius quam uentrem colui. Adultus multa illius terre miracula oculis libauit et memorie mandauit; inter que uidi montem perforatum, ultra quem accolae ab antiquo estimabant thesauros Octouiani reconditos. Ferebantur etiam multi causa scrutandi ingressi per amfractus et semetra uiarum intercepti perisse. Sed, quia nullus fere timor audas mentes ab incepto reuocat, ego cum sodalibus meis, uiris circiter duodecim, seu predandi studio seu uidendi illud iter meditabar ingredi. Itaque Dedali secuti ingenium, qui Theseum de laberintho filo eduxit prouo, nosque glomus ingens portantes paxillum in introitu fiximus. Ibi principio fili ligato, accensis laternis ne praeter deua etiam cecitate impede|remur, deuoluto glomere et per unumquodque miliariorum paxillo apposito, sub cauerna montis quomodocumque direximus. Ceca erant omnia et magni horroris plena, uespertiones de concauis egredientes oculos et ora infestabant; semita arcta, et a leua precipitio et subterlabente fluuio munda. Vidimus tramitem uestitum nudis ossibus; fleuimus cadauera tabo adhuc fluentia hominum quos eadem que nos spes raptasset, post introitum non ualentium inuenire exitum. Sed tandem aliquando post multos timores, ad egressum ulteriorem peruenientes uidimus stagnum aquis crispantibus placidum, ubi dulcibus illis lapsibus alludebat unda littoribus. Pons ereus utramque ripam continuabat; ultra pontem uidebantur mire magnitudinis equi aurei cum assessoribus eque aureis, et cetera que de Gerberto dicta sunt, in quibus die medio Phebi iubar infusum duplicato fulgore oculos intuentium hebetabat. Nos qui hec eminus uidentes propiori aspectu delectaremur, asportaturi si fors sineret aliquam splendoris metalli crustam, hortamine alterno animati stagnum transire paramus; sed nequicquam. Dum enim quidam ceteris preruptior citteriori margini pontis pedem imponeret, continuo (quod mirum auditu sit) illo depresso ulterior eleuatus est, producens rusticum ereum cum ereo malleo, quo ille undas uerberans ita obnubilauit aera ut diem celumque subtexerit: retractoque pede, pax fuit. Temptatum idem a pluribus, idemque expertum. Itaque desperato transitu aliquantum ibi constitimus et, quamdiu potuimus, solo saltim uisu libauimus aurum. Mox per uestigia fili regressi pateram argenteam reperimus, qua in frustra desecta, et minutatim partita pruritus auiditatis nostrae tantummodo irritantes, non fami fecimus satis. Postero die, collato consilio, magistrum quendam illius temporis audiui, qui dicebatur nomen Domini ineffabile scire. Interrogatus scientiam non inficiatur, adiciens quod tanta esset eius nominis uirtus ut nulla ei magia, nulla mathesis obsistere posset. Ita multo precio redemptus, ieiunus et confessus nos eodem modo paratos duxit ad fontem. De quo hausta aqua in fiala argentea tacens digitis litteras figurabat, donec oculis intelleximus quod ore effari nequiremus. Tunc fiducialiter ad montem accessimus; sed exitum ulteriorem a demonibus credo obstipatum offendimus, inuidens scilicet nomini

Domini, quod eorum commenta refelleret. Venit mane ad me nigromanticus Iudeus, quem audita gestorum fama exciuerat, percunctatusque rem, ubi concordiam nostram accepit, multo cachinno bilem succutiens “Quin tu” inquit “uideas licebit quantum potentia mee artis ualeat?” Et incunctater montem introiens, non multo post egressus est, multa que ultra fluuium notaueram ad indicium transitus sui afferens, puluerem sane locupletissimum, quo quicquid contingeretur in aurum flauescibat, non quod ita pro uero esset, set quia ita uideretur quoad aqua dilueretur; nichil enim quod per nigromanciam fit potest in aqua aspectum intuentium fallere. Confirmat ueritatem sermonis mei res que tempore eodem acciderat.

100. *De mulieribus incantatricibus.*

fo. 23 Erant in strata publica qua Romam itur due anicule, quibus nichil bibacius, nichil putidius, uno commorantes tugurrio, uno inbute maleficio. Hee hospitem, si quando solus superueniebat, uel equum uel sue uel quodlibet | aliud uideri faciebant et mercatoribus uenum proponebant, nummos inde acceptos abligurientes. Et forte quadam nocte quendam ephebum, qui motibus hystrionicis uictum exigeret, excipientes hospicio asinum uideri fecerunt, magnum suis commodis emolumentum habentes asinum qui transeuntium detineret oculos miraculo gestuum; quocumque enim modo precepisset anus, mouebatur asinus. Nec amiserat intelligentiam, et si amiserat loquelam. Multum itaque questum conflauerant uetule, undique confluente multitudine uulgi ad spectandos ludos asini. Rumor uicinum diuitem aduocauit, ut quadrupedem non pauculis nummis in usus suos transferret, ammonitus ut, si perpetuum uellet habere histrionem, arceret eum aqua. Custos ergo appositus mandatum seuerere exequabatur. Preterit plurimum tempus; asinus, quando temulentia dominum in gaudium excitasset, conuiuas iocis suis letificabat. Set, sicut rerum omnium fastidium est, dissolucius post hec haberi cepit; quapropter incautiorem nactus custodiam, abrupto loro effugiens in proximum locum se proiecit et, diucius in aqua uolutatus, figuram sibi humanam restituit. Custos ab chimis sciscitatus illumque uestigiis insecutus, interrogat an uidisset asinum. Refert ille se asinum fuisse, modo hominem, omnemque casum exponit. Miratus famulus ad dominum detulit, dominus ad apostolicum, Leonem dico nostro seculo sanctissimum; conuicte anus idem fatentur. Dubitantem papam confirmat Petrus Damianus, literature peritus, non mirum si hec fieri possint, productoque exemplo de Symone Mago, qui Faustinianum in Symonis figura uideri et a filiis horreret fecit, instructiorem de cetero in talibus reddidit’.

101. *De Gerberto.*

Hec Acquitannici uerba ideo inserui, ne cui mirum uideatur quod de Gerberto fama dispersit: fudisse sibi statue capud certa inspectione syderum, cum uidelicet omnis planete exordia sui cursus meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, set uerum uel affirmatiue uel negatiue pronunciaret uerbi gracia. Cum diceret Gerbertus 'Ero apostolicus?' responderet statua 'Eciam.' 'Moriar antequam cantem missam in Ierusalem?' 'Non.' Quo illo ambiguo deceptum ferunt, ut nil excogitaret penitentiae qui animo blandiretur suo de longo tempore uite: quando enim Ierosolimam ire deliberaret ut mortem stimularet? Nec prouidit quod est Rome ecclesia Ierusalem dicta, id est, Visio pacis, quia quicumque illuc confugerit, cuiuscumque criminis obnoxius, subsidium inuenit. Hanc in ipsius urbis rudimentis Asilum accepimus dictam, quod ibi Romulus, ut augetur ciuium numerum, statuisset omnium reorum refugium. Ibi cantat missam papa tribus Dominicis quibus pretitulatur Statio ad Ierusalem. Quo circa, cum uno eorum dierum Gerbertus ad missam se pararet, inualitudinis ictus ingemuit, eademque crescente decubuit; consulta statua deceptionem et mortem suam cognouit. Aduocatis igitur cardinalibus diu facinora sua deplorauit; quibus inoppinato stupore percussis nec aliquid referre ualentibus, ille insaniens et predolore ratione ebetata minutatim se dilaniari et membratim foras proici iussit, 'Habeat' inquit 'membrorum officium qui eorum quesuiuit hominum: namque animus meus nunquam illud adamauit sacramentum, immo sacrilegium'. |

fo. 23^v

102. *Et quia diuerticulum feci, puto non inhonestum si dicam quod in Saxonia tempore istius regis accidit, et non adeo notum, anno Dominice incarnationis millesimo duodecimo. Melius est enim interim spatium in talibus quam immorari in eius rebus et ignauis et tristibus. Quod profecto erit iocundius si ab antiquitate scriptum illius qui passus est apposuerim; simul et propius uero uidebitur quam si meis texuissem litteris. Preterea non indecens opinor si multicolori stilo uarietur oratio.*

103. *De miraculo.*

'Ego Otbertus peccator, et, si uellem celare quod in me factum est diuinum iudicium, membrorum meorum tremor proderet; quod quemadmodum factum sit referam, ut omnibus innotescat quanta sit pena inobediencie. Eramus ad uigilias Natalis Domini in uilla quadam Saxonie ubi erat ecclesia Magni martyris. Presbiter nomine Robertus missam primam inchoauerat. Ego in cimiterio cum sodalibus octodecim, uiris quindecim feminis tribus, coreas ducens et cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediabam ut ipsa uerba nostra intra sacrosancta missarum sollempnia resonarent. Quo circa, mandato nobis ut

tacemur et neglegto, inprecatus est dicens: 'Placeat Deo et sancto Magno ut ita cantantes permaneat usque ad annum'. Verba pondus habuerunt; filius presbiteri Iohannes sororem suam nobiscum cantantem per brachium arripuit, statimque illud a corpore auulsit, set gutta sanguinis non exiit. Ipsa quoque toto anno nobiscum permansit choros ducens et cantans, pluuias non cecidit super nos; frigus nec calor nec fames nec sitis nec lassitudo nos affecit; indumenta nec calciamenta nostra attriuimus, set quasi uecordes cantitabamus. Primum ad genua, mox ad femora, terre dimersi sumus. Fabrica tecti aliquando nutu Dei super nos erigebatur, ut pluuias arceret. Tandem euoluto anno Herbertus ciuitatis Coloniensis episcopus a nodo quo manus nostre ligabantur nos absoluit et ante altare sancti Magni reconciliauit. Filia presbiteri cum aliis duobus continuo efflauit, ceteri continuis tribus diebus et noctibus dormiuimus. Aliqui postea obierunt et miraculis choruschant, ceteri penam suam tremore menbrorum produunt'. Date sunt nobis hee littere a domino Peregrino Herberti successore anno Dominice incarnationis millesimo tercio decimo.

104. *De Roberto Guiscard.*

Siquidem Robertus Guiscard mediocri parentela in Normannia ortus, que nec humi reperet nec altum quid tumeret, paucis ante aduentum Guillelmi in Angliam annis cum quindecim militibus abierat Apuliam, penuriam necessariorum gentis iilius ignaue stipendiis correcturus. Nec multi fluxerunt anni quod stupendo Dei munere totam terram in potestatem accepit; nam ubi uiribus destituebatur, ingenio calebat, opida primo, mox ciuitates sue dicioni associans. Ita ergo profecit ut se duces Apulie et Calabrie, fratrem Ricardum principem Capue, alterum Rogerum comitem Sicilie faceret. Postremo, data Apulia filio Rogerio, cum altero filio Boamundo Adriaticum pelagus transiuit, statimque Dirachio capto super Alexium imperatorem Constantinopolitanum ulterius progrediebatur; seuiem retinuit nuncius Hildebrandi apostolici. Imperator enim Alemannorum Henricus, filius Henrici de quo supra memorauimus,^a iratus contra papam quod excommunicationem in eum propter inuestituras ecclesiarum promulgauerat, cum exercitu Romam ueniens | obsedit, Hildebrandum expulit, Guibertum Rauennatem introduxit. Quo per litteras expulsi Guiscardus audito, relicto filio Boamundo cum militibus ut inchoata paterna persequeretur, Apuliam rediit, contractaque uelociter Apulorum et Normannorum manu Romam tendebat. Nec sustinuit nuncium aduenientis Henricus quin cum falso papa, sola fama territus, terga dampnaret. Vacua ab obsessoribus Roma legitimum presulem accepit; set non multo post eadem uiolencia qua prius amisit. Tunc quoque Alexius, audiens Rothbertum ad sua necessario reuocatum,

fo. 24

^a See c. 85.

summamque manum bello imponere sperans, supra Boamundum, qui partes relictas tuebatur, irruit; set Normannus, gentilicii roboris tenax adolescens, arietantes Grecos et ceteras^a que conuenerant gentes usu militari, quamuis multum numero inferior, fuge tradidit. Eodemque tempore Veneti, gens mari asueta, Guiscardum, propter que uenerat sedatis, transfretare uolentem aggressi, superiorem calamitatem sensere; pars mersi et cesi, pars fugati. Ille ceptam enauigans uiam multas ciuitates Alexii sue uoluntati applicuit. Sustulit imperator maleficio quem uirtute nequibat, uxori ipsius conubium augustale mentitus; cuius insidiis elaboratum uirus hauriens interiit, meliorem exitum si Deus sciuiset emeritus, inuincibilis hostili ferro et domestico obnoxius ueneno. Sepultus est apud Venusam Apulie, habens epytaphium:

Hic terror mundi Guiscardus. Hic expulit urbe

quem Ligures regem, Roma, Lemannus, habent.

Parthus, Arabs, Macetumque phallanx non texit Alexin,

at fuga; set Venetum nec fuga nec pelagus.

105. De Hildebrando.

Verum quia Hildebrandi mentio se ingessit, de eo dicam que non friuolo auditu addidici, set seria relatione eius audiui quia se illa ex ore Hugonis abbatis Cluniacensis audisse iuraret. Que ideo admiror et predico, quia cogitationes aliorum propheticis mentis intuitu pronunciabat. Alexander papa, efficax ipsius studium conspicatus, cancellis apostolorum prefeceat. Circuibat ergo pro sui contuitu officii prouincias, ut perpensa^a acta corrigeret. Accurrebatur ab omnibus ordinis hominibus, decisiones diuersorum negotiorum postulantis. Cuncta ei submittebatur secularis potencia, tum pro sanctitatis, tum pro ministerii ipsius reuerentia. Vnde die quadam, cum solito maior ad equitandum esset turma, abbas predictus in extremo agmine cum monachis suis sensim progrediebatur, uisoque eminens tanto uiri honore, quod tot mundane potestates nutum eius prestolarentur, huiusmodi sententias uentilabat animo: homuncionem exilis stature, despicibilis parentele, quo Dei iudicium toto^b diuitum sepi famulicio? Tumere illum procul dubio et metiri altiora merito per tot obambulatorum obsequio. Vix hec, ut dixi, mente uersarat cum archidiaconus, reflexo equo et calcaribus incito, a longe clamans et abbatem obuncans 'Tu, tu' inquit 'male cogitasti, falso huiusce infamans huiusce dum taxat rei innocentem. Non enim michi

^a perperam *Gesta Regum*, i, c. 263.

^b *Ibid.*

hanc gloriam, si gloria dici potest que cito transit, uel ego inputo uel <ab>^a aliis imputari uolo, set beatis apostolis, quorum exhibetur priuilegio'. Sufusus ille pudore, nec quicquam inficiari ausus, hoc solum retulit: 'Queso, domine, quomodo nosti cogitatum meum, quem nulli communicauit?' 'Ab ore tuo' ait 'quasi per fistulas ad aures meas omnis illa cogitacio deducta est.' |

106. *Miraculum aliud et prophetia eiusdem.*

Idem in eadem prouincia ecclesiam urbanam ingressi, ante aram continuatis et iunctis lateribus se prostrauerant. In multam horam protracta oratione, respexit archidiaconus abbatem turbulento rictu infrendens. Ille, cum diucius oratum esset fores egressus causamque commocionis percunctatus, responsum accepit: 'Si me amare uis, caue ne ulterius hac me iniuria expungas. Dominus meus Iesus, spetiosus ille pre filiis hominum, postulationibus meis uisibiliter astabat, intendens dictis et serenis fauens oculis; set tue orationis addictus uiolentia me deseruit, ad te conuersus. Puto quod tu ipse non diffiteberis esse genus iniurie si amico eripias auctorem salutis sue. Preterea prenoueris mortalitatem hominum, et huic loco inminere excidium; cuius coniecture signum habeo, quod angelum Domini super altare stantem uidi euaginatam gladium stringere et huc illucque rotare. Future cladis notabilius habeo indicium, quod iam spissus et nebulosus aer prouinciam istam circumuolat, ut uides. Maturemus ergo profugium, nisi cum aliis uelimus exire subicium.' Hiis dictis introeuntes diuersorium ad curam corporis assedere; continuoque dapibus appositis exortus in domo luctus audiditatem esuriencium repressit, siquidem unus et alter, et mox plures e familia, dubium qua pernicie intercepti animas subito amisere. Tum eadem peste per uicinas edes grassante, ascensis multis diffugiunt, festinacionem uie stimulis timoris accelerantes.

107. *Aliud miraculum eiusdem de quodam episcopo Symoniaco.*

In Gallia uice pape presederat concilio; ibi plures episcopi, olim per symoniam in ecclesias introducti, degradati potioribus locum dedere. Vnus erat quem suspicio istius apostasie insimulabat, set nullis testibus argui, nullis argumentis confutari poterat; quem cum putares constrictum maxime, more anguis lubrici elapsus mirareris; ita discendi arte callebat ut omnis eluderet. Tunc archidiaconus: 'Cesset hominum eloquium, producat in medium diuinum oraculum. Scimus profecto quod episcopalis gracia sancti Spiritus munus est, et quisquis episcopatum mercatur sancti Spiritus donum posse comparari opinatur peccunia. Coram nobis ergo, qui iudicio sancti Spiritus congregati sumus, dicat iste "Gloria Patri

^a *Ibid.*

et Filio et Spiritui sancto”; quod si expresse et sine titubantia dixerit, constabit apud me non illum uenaliter set legittime presulatu functum’. Libens hanc condicionem ille accepit, nil minus quam horum uerborum difficultatem ratus; et certe ‘Gloria Patri et Filio’ integre protulit, set in ‘Spiritu sancto’ hesit. Suscitato cunctorum strepitu, nullo conatu uel tunc uel in reliquo uite spacio Spiritum sanctum nominare potuit. Huius miraculi testis fuit abbas sepe nominatus, qui, deiectum episcopum per loca secum ducens, illius rei experimentum sepe risit; de cuius uerborum certitudine dubitantem omnis Europa confutat, que religionis Clunacensis numerum per eum augmentatum non nescit.

108. *De successione Hildebrandi in papam.*

fo. 25 Alexandro ergo defuncto successit Hildebrandus, Gregorius septimus dictus. Hic quod alii musitauerant palam extulit, excommunicans electos qui inuestituras ecclesiarum de manu laici per anulum et baculum acciperent; unde Henricus imperator Alemannorum, fremens quod sine sua conscientia talia presumeret, illum, ut predixi, post undecim annos Roma deturbauit, Guiberto | inducto. Nec multo post letali morbo papa ictus, quo se moriturum non ambigeret, rogatus est a cardinalibus ut papam constitueret, beati Petri exemplum referentibus, qui lactentis ecclesie rudimentis uiuens Clementem prefecerat. Negauit ille idem exemplum secuturum quod ab antiquo conciliis esset uentum,^a consilium uero daturum; si uellent hominem in seculo potentem, eligerent Desiderium abbatem Cassinensem, qui salubriter et in tempore numero militari uiolenciam Guiberti infringeret; set in ecclesiasticum et eloquentem, acciperent episcopum Hostiensem Odonem. Ita obiit uir apud Deum felicitis gracie, et apud homines austeritatis fortassis nimie. Denique fertur quod, inter eum et imperatorem primi tumultus inicio, illum nudipedem et forcipes cum scopis portantem nec eiam foribus admiserit, abhominatus hominem sacrilegum et sororii incesti inferebat reum. Abcessit Cesar exclusus, replusam illam multorum necis causam protestans; statimque quecumque posset incommoda Romane sedi infligens, e diuerso fautores pape in tyrannidem excitauit. Siquidem debellante quodam Radulfo, iussu ipsius apostolici, qui ei coronam ex parte apostolorum miserat, bellorum fragoribus undique conflictatus est; set ille, semper aduersis superior, et illum et ceteros improbe assurgentes tandem oppressit. Postremo non aliorum impetu set domestico filii odio extrusus imperio, miserabilem uite terminum habuit. Successit Hildebrando Desiderius, Victor appellatus, set ad primam missam, incertum quo discrimine, cecidit exanimatus, calice, si dignum est

^a uetitum, *Gesta Regum* i. c. 266.

credere, uenemo infecto. Tunc in Odonem declinavit electio; is natione Gallus, primum Remensis archidiaconus, inde prior Clunacensis, mox episcopus Hostie, ultimo papa Rome, Vrbanus est uocatus.

109. *De Henrico imperatore Alemannie.*

Illa est tempestas qua Henrici, de quo superius locutus sum, miserabile et pene funestum per quinquaginta annos Alemannia ingemuit imperium. Erat is neque ineruditus neque ignauus, set fato quodam ab omnibus ita impetitus ut rem religionis tractare tractare sibi uideretur quisquis in illum arma produceret. Habebat filios duos, Cunradum et Henricum. Prior nil nuptum^a contra parentem ausus, subiugata Italia apud Aretium ciuitatem Tuscie dies expleuerat; alter patrem, aliquantulum ab externis feriatum, primo eui tyrocinio aggressus cedere imperio compulit, nec multo post, defunctum imperialibus inferiis extulit. «Nunc adhuc, eiusdem sententie pertinaciter sequax pro qua patrem persequendum putauerat; nam et inuestituram ecclesiarum per baculum et anulum donat, et sine suo arbitratu papam electum non legitimum estimat, licet Calixtus, qui modo apostolice sedi presidet,^a immodicam uiri auiditatem egregie inhibuerit. Verum de hiis plura me dicturum lector prestoletur, cum series narrationis expetierit.

110. *De Vrbanus papa.*

fo. 25^v

Porro Hildebrando papa, ut dixi, mortuo et Vrbanus a cardinalibus electo, imperator hesit in proposito ut Guibertum preferret et papam dictitaret, Romeque altero expulso inferret. Set equiori, ut uidebatur, cause affuit malicia Matildis marcisse, que oblita sexus nec dispar antiquis Amazonibus ferrata uirorum agmina in bellum agebat femina. Eius posteriori tempore suffragio Vrbanus thronum indeptus apostolicum, per undecim annos actitauit ocium. Post eum Paschalis conspuita Henrici scientia a Romanis institutus est. Grauabat superas adhuc uiuendo Guibertus auras, unicus scismatis et sator, nec umquam quoad uixit, peruicaciam deposuit, ut iusticie manus daret, imperatoris iudicium pronuncians sequendum, non lanistrum uel pellificum Romanorum; quare ambo, ab Vrbanus frequentibus conciliis excommunicati, arguto sententiam suspendebant ludibrio. Inter hec erant multa que in Cesare probares, quod esset ore facundus, acer ingenio, multa eruditus lectione, impiger elemosinis; prorsus in eo bona animi corporisque cerneret: ad arma prompte concurrere, ut qui sexagesies et bis atie collata dimicarit; iuste lites

^a impium *Gesta Regum*, i. c. 288.

componere; cum res non successisset, querelis in celum conuersis inde opem expectare. Plures inimicorum eius uitam exitu miserando concludere.

111. *Prodigum de muribus.*

Audiui uirum ueracissimum referentem quod quidam ex aduersariis eius, homo impotens et factiosus, dum resupinatis ceruicibus in conuiuio resideret, ita a muribus repente circumuallatus est ut nusquam esset effugium. Tantus erat numerus bestiarum ut in quamlibet ampla prouincia tot esse non putarentur. Itaque fustibus et subselliorum que ad manum occurrissent fragminibus diu in eas seuitum, nec quicquam profectum; et quamuis a cunctis repellerentur, nulli tamen noxam uicariam referebant; illum solum dentibus, illum terribili quodam occentu persequebantur. Quapropter a famulis ultra iactum sagitte in pelagus proiectus, nec sic uiolentiam euasit; continuo enim tanta uis murium ponto inundauit ut marmor paleis constratum iurares. Set cum tabulata nauis corroderent, et naufragium indubitatum aqua per riuulas ingrediens minaretur, seruientes puppem ad litus retorquent. Tunc non animalia, iuxta carinam annauigantia, priora ad terram perueniunt; ita miser ille in aridam expositus, moxque totus dilaceratus, horrendam murium famem expleuit.

112. *Aliud de eisdem.*

Ideoque minus hoc mirum iudico quod certum est in Asyaticis regionibus si leopardus aliquem mordicus attigerit, confestim murium copiam aduentare ut uulneratum commingant, inmundum urine diluuium comitari hominis exicium; sin uero sedulitate arcentium ministrorum intra nouem dies uitata fuerit pernicies, aduocari medicorum industriam profecto ualituram. Conspiratus est relator meus quendam eiusmodi sautium, cum desperaret in terra salutem, in altum iactis ancoris processisse; nec mora, plus mille mures annasse corticibus malorum granatorum quorum medullas exederant inclusos (mirabile dictu), set obstrepentibus nautis demersos. Nichil enim ille Parens rerum creatum destituit ingenio, nichil porro noxium sine remedio.

113. *De Mariniano Monacho.*

Sub isto imperatore regnante floruit Marinianus Scottus, qui primo Fuldensis monachus, mox apud Magonciacum inclusus, contemptu presentis uite gratiam future demerebatur. Is, longo uite otio cronographos scrutatus, dissonancium ciclorum Dionisii Exigui ab euangelica ueritate deprehendit.

fo. 26 Itaque, ab inicio seculi annos singulos | recensens, uiginti duos qui circulis predictis deerant <superaddidit>,^a set paucos aut nullos sentencie sue sectatores habuit. Quare sepe mirari soleo cur nostri temporis doctos hoc respergat infortunium, ut in tanto numero discentium, in tam tristi pallore lucubrantium, uix aliquis plenam scientie laudem referat. Adeo inueteratus usus placet, adeo fere nullis nouis, licet probabiliter inuentis, serenitatem assensus pro merito indulget. Totis conatibus in sententiam ueterum reptatur, omne recens sordet; ita, quia solus fauor alit ingenia, cessante fauore obtorpuerunt omnia.

114. *De Vrbanus papa secundo.*

Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo quinto **predictus** papa Vrbanus secundus, qui presidebat apostolico culmini, transcens Alpibus uenit in Gallias. Aduentus causa ferebatur perspicua quod uiolencia Guiberti Roma extrusus citra montanas ad sui reuerentiam solitaret^b ecclesias. Illud repositius propositum non ita uulgabatur, quod Boamundi consilio totam pene Europam in Asyaticam expeditionem moueret, ut, in tanto tumultu omnium prouinciarum facile oberatis auxiliariis, et Vrbanus Romam et Boamundus Illiricum et Macedoniam peruaderet. Nam eas terras, et quicquid preterea a Dirachio usque in Thessalonicam protenditur, Guiscardus pater super Alexium adquisierat. Iccirco illas Boamundus iuri suo competere clamitabat, inops Appule hereditatis, quam genitor Rogerio minori filio delegauerat. Verumptamen quecumque transeundi fuit occasio, magno et illustri aduentus eius Christianis fuit emolumento. Coactum est ergo apud Clarum Montem concilium, que clarissima urbs est Auernorum; numerus fuit congregatorum episcoporum et abbatum trescentorum decem; ubi aliquot diebus primo de catholica fide et eorum qui inter se dissidebant pace tractatus prolixè habitus. Nam preter flagicia quibus licenter singuli incubabant, ad hoc calamitatis omnes Cisalpini deuenerant, ut nullis uel minimis extantibus causis quisque alium caperet, nec nisi magno redemptum abire sineret. Preterea symonicus anguis ita lubricum caput erexerat, ita uenenato fotu mortiferi germinis oua uaporauerant ut totus orbis sibilo letali infectus ecclesiasticos honores corrumperet. Tunc enim non dicam episcopi ad ecclesias, set nec quilibet ad quoscumque ordines nisi per peccuniam aspirabat. Tunc legitimis uxoribus exclusis multi contrahebant diuortium, alienum expugnantes matrimonium. Quare, quia in hiis et in illis

^a *Supplied from Gesta Regum, c. 292.*

^b *solicitaret Gesta Regum i. c. 344.*

erat confusa criminum silua, ad penam quorundam potenciorum designata sunt nomina. Vnde, ne longum faciam, tocius actionem concilii subnectam, quedam nostris sermonibus pro compendio breuians.

115. In concilio apud Clarum Montem sub presentia domini Vr bani pape hec capitula finita sunt: Quod ecclesia sit catholica in fide, casta pudicia, libera ab omni seculari seruitute. Vt episcopi uel abbates uel aliquis de clero aliquam ecclesiasticam dignitatem de manu principum uel quorumlibet laicorum non accipiant. Quod clerici in duabus cantatibus^a uel ecclesiis prebendas non habeant. Quod aliquis episcopus simul et abbas esse non possit. Quod ecclesiastice dignitates a nullo emantur uel uendantur. Quod nullus cuiuslibet sacri ordinis carnali commercio utatur. Quod eis qui ignorantes canonum prohibitionem canonicas emerunt ignoscatur. Quod eis qui scienter emptas a se uel a parentibus habuerunt auferatur. Quod nemo laicorum a capite ieiunii, nemo clericorum a Quinquagesima usque in Pascha carnes comedat. Quod omni tempore primum ieiunium quatuor temporum prima ebdomada Quadragesime fiat. Quod ordines omni tempore uel in uespere Sabbati uel perseuerante ieiunio in Dominica celebrentur. Vt in Sabbato Pasce non nisi post nonam officium celebretur. Vt ieiunium secundum in ebdomada Pentecostes fiat. Quod ab Aduentu Domini usque ad octauas Epiphanie, et a Septuagesima usque ad octauas Pasche, et a prima die Rogationum usque ad octauas Pentecostes, et a quarta feria occidente sole omni tempore usque ad secundam feriam oriente sole treuia Dei custodiatur. Quod qui episcopum ceperit, omnino ex lege habeatur. Quod qui sacri ordinis uiros uel eorum famulos ceperit, anathema sit. Quod qui episcoporum uel clericorum morientium bona ceperit, anathema sit. Quod qui usque ad septimam generacionem consanguinitati se copulauerit, anathema sit. Quod nemo in episcopum eligatur nisi presbiter aut diaconus aut subdiaconus, et cui natalium dignitas suffragatur, nisi maxima necessitate et licentia pape. Quod filii presbiterorum uel concubinarum ad presbiteratum non possunt prouehi, nisi prius ad religiosam uitam transierint. Quod qui ad ecclesiam uel ad crucem confugerit, data membrorum impunitate iusticie tradatur uel innocens liberetur. Quod unaqueque ecclesia decimas suas habeat, nec ad alteram transeant. Quod laicus decimas^a nec retineat. Quod pro sepultura mortuorum precium non exigatur. In eo concilio excommunicauit domnus papa Philippum regem Francorum et omnes qui eum regem uel dominum uocauerint et ei obedierint et ei locuti fuerint, nisi quod pertinet ad eum corrigendum; similiter et illam maledictam coniugem eius et omnes qui eam reginam uel dominam nominauerint, quousque ad emendacionem uenerint, ita ut alter ab altero discedat. Similiter Guibertum

fo. 26^v

^a ciuitatibus, *Gesta Regum*, i, c. 345.

Rauennatem, qui se papam appellat, et Henricum imperatorem Alemannorum, qui eum manutent et cetera.

116. *Adhuc de papa Urbano.*

Per ammonicionem predicti pape multi nobiles uiri cruce signati profecti sunt in subsidium terre sancte, quam Sa[...]a tunc temporis occupauerat. Inter quos Robertus comes Normannorum filius Willelmi regis, qui Angliam adquisierat, iter reliquit. Habuit socios Robertum Flandrensem, Stephanum Blesensem sororis maritum; omnes ample prosapie comites et quibus uirtus citra genus non erat. Parebant eis Angli et Normanni et Occidentales Franci et Flandrite, et omnium populorum cunei qui ab oceanno Britannico usque ad Alpes mediterraneo tractu iacent. Ita uiam profecti reppererunt apud Lucam papam Urbanum, qui Guiberto, ut dixi, infessus auxilio Matildis Italiam et Urbem armis circumsonabat, iamque tantum promouerat ut Quirites, ad graciam eius uersi, Guibertinos cum uerbis tum uerberibus lacerarent; nec erat alterutris uel in ecclesiis uel in triuiis parcendi animus, donec Guibertus uiribus impar Urbano sedem uacuefecit, Alemanniam lapsus.

117. *De maritacione Matildis, filie Henrici regis, imperatoris Henrici Alemannie.*

fo. 27 Filiam Matilden ex Matilde prima uxore sua susceptam dedit rex Henricus primus Henrico imperatori Alemannie, | filio Henrici de quo superius feci memoriam.^a Fuit hic Henricus quintus eius nominis apud Theutonicis imperator, qui licet pro contumeliis apostolice sedis patri grauiter succensuisset, ipse tamen eiusdem sententie sequax et propugnator suo tempore fuit infestus. Namque cum Urbano pape Pascalis successisset, uir nullo uirtutis genere carens, rursus questio de inuestituris ecclesiarum, rursus bella, rursus lites agitari, neutris partibus leo^b cedentibus. Imperator omnes episcopos et abbates regni sui quod citra montes est fautores habebat, quia Karolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia omnes pene terras ecclesiis contulerat, consilio sissime perpendens nolle sacri ordinis homines tam facile quam laicos fidelitatem domini reicere; preterea, si laici rebellarent, illos posse excommunicacionis auctoritate et potentie seueritate compescere. Papa ultra montanas ecclesias sue rationi subiecerat, parumque suspiciebant urbes Italie Henrici dominum, seruicio se putantes exutas post Conradi fratris eius

^a Erasure. One expects to see Sarraceni although the verb is singular; perhaps a variant of Solimanus?

^b loco *Gesta Regum*, i. c. 420.

interitum, qui a patre relictus Longobardie in regem apud Arecium obierat diem. At uero Henricus, antiquis Cesaribus in nullo uirtute deiecior, post pacatum regnum Teutonicum presumebat animo Italicum, rebellionem urbium subiugaturus questionemque de inuestitura suo libito recisurus. Set iter illud ad Romam magnis exercitacionibus pectorum, magnis angoribus corporum consumatum Dauid Scottus Bancornensis episcopus exposuit, magis in regis gratiam quam ystoricum deceret acclinis. Denique et inauditam uiolentiam, quod Apostolicum cepit, quamuis libere custodierit, laudi ducit ab exemplo quod Iacob, angelum uiolenter tenens, benedictionem ab eo extorsit. Preter hoc laborat asserere dictum apostoli 'nemo militans Domino implicat se secularibus negociis' non aduersari cupiditatibus pontificum per laicos inuestitorum, quia non sit seculare negocium si clericus laico fecerit hominum; que quantum sint friuola, cuiuslibet diiudicabit prudentia. Ego interim, ne bonum uirum uidear uerbo premere, statuo indulgendum, quia non hystoriam set panagericum scripsit. Non^a uero priuilegium et conuencionem, uiolenta trium septimanarum captione a papa extorta, ueraciter inseram, et qualiter non multo post religiosiori concilio eneruata sunt subiciam.

118. *De composicione pacis inter papa Paschalem et Henricum imperatorem.*

'Dominus papa Pascalis non inquietabit dominum regem nec eius imperium uel regnum de inuestitura episcopatum et abbatiarum neque de iniuria sibi illata et suis in persona et bonis neque aliquod malum reddet sibi uel alicui persone pro hac causa et penitus in personam regis Henrici nunquam anathema ponet nec remanebit in domino papa quin coronet eum sicut in ordine continetur et regnum et imperium officii sui auxilio eum tenere adiuuabit pro posse suo. Et hec adimplebit dominus papa sine fraude et malo ingenio. Hec sunt nomina illorum episcoporum et cardinalium qui precepto domini pape Paschalis priuilegium et amicitiam domino Henrico imperatori sacramento confirmauerunt: Petrus Portuensis episcopus, Cencius Sabinensis episcopus, Rodbertus cardinalis Sancti Eusebii, Bonifacius cardinalis Sancti Marci, Anastasius cardinalis Sancti Clementis, Gregorius cardinalis Apostolorum Petri et Pauli, item Gregorius cardinalis Sancti Crisogoni, Iohannes cardinalis Sancte Potentiane, Risus cardinalis Sancti Laurencii, | Reinerus cardinalis Sanctorum Marcelli et Petri, Vitalis cardinalis Sancte Balbine, Teuzo cardinalis Sancti Marci, Thedbaldus cardinalis Iohannis et Pauli, Iohannes decanus in Scola Greca, Leo decanus Sancti Vitalis, Albo decanus Sergii et Bachi.

fo. 27^v

^a nunc *Ibid.*

119. *Item inter Henricum et Paschalem.*

Ipsa etiam rex hoc sacramentum fecit: 'Ego Henricus rex liberos quarta dimittam uel quinta feria proxima et dominum papam et episcopos et cardinales et omnes captiuos et obsides qui cum eo uel pro eo capti sunt, et secure perduci faciam intra portas Transtiberine ciuitatis, pacem et securitatem seruabo tam per me quam per meos in personis qui pacem michi seruauerint. Dominum papam fideliter adiuuabo et papatum suum quiete et secure teneat. Patrimonia et possessiones Romane ecclesie que abstuli restituam, et cuncta que habere debet more antecessorum suorum recuperare et tenere adiuuabo bona fide et sine fraude et malo ingenio, et Domino pape Paschali obediam saluo honore regni et imperii, sicut catholici imperatores catholicis pontificibus Romanis.' Et isti sunt iuratores ex parte ipsius regis: Fredericus Coloniensis archiepiscopus, Gedebardus Tridentinus episcopus, Bruno Spirensis episcopus, Berengarius comes, Albertus cancellarius, Heremanus comes, Fridericus comes palatinus, Bonifacius marchio, Albertus comes de Blandriaco, Fridericus comes, Godefridus comes, Warnerius marchio.

120. *De coronacione Henrici imperatoris.^b*

Hac conuencione expleta in predictorum episcoporum et cardinalium sacramento, osculo utrinque dato, dominus papa quarto idus Aprilis Dominica Quasi modo geniti missam celebrauit, in qua post communionem suam et ministrorum altaris imperatori corpus et sanguinem Domini dedit in hec uerba: 'Hoc Dominicum corpus, quod sacrosancta tenet ecclesia, natum ex Maria uirgine, eleuatum in cruce pro redemptione humani generis, damus tibi, fili karissime, in remissionem peccatorum tuorum et in conseruationem confirmande pacis et uere amicitie inter me et te, et regnum et sacerdotium.' Altero uero die apostolicus et rex ad columnas que sunt in foro conuenerunt, dispositis presidiis loricorum ubicumque uidebatur opus esse, ne impediretur regis consecratio. Et in Argentea Porta receptus est rex ab episcopis et cardinalibus et toto Romano clero; et cepta oratione que in ordine continetur ab Hostiensi episcopo, quoniam Albanus deerat a quo debuisset dici si adesset, ad mediam rotam ductus est; et ibi recepit secundam orationem a Portuensi episcopo, sicut precepit Romanus ordo. Deinde duxerunt eum cum letaniis usque ad confessionem apostolorum, et ibi unxit eum Hostiensis episcopus inter scapulas et in brachio dextro. Post hec a domino apostolico ad altare eorumdem apostolorum deductus et ibidem, imposita sibi corona, ab ipso apostolico in imperatorem est consecratus. Post impositam coronam missa

^a ut *Gesta Regum*, c. 422.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Modus et ordo quomodo coronantur imperatores.

de Resurrectione Domini est celebrata, in qua ante communionem dominus apostolicum privilegium imperatori propria manu dedit, in quo sibi et regno suo quod hic scriptum est concessit et in eodem loco sub anathemate confirmavit.

121. *Epistola Paschalis ad Henricum.*

fo. 28

'Paschalis episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio et per Dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori augusto Henrico salutem et apostolicam | benedictionem. Regnum uestrum sancte Romane ecclesie coherere diuina dispositio constituit; predecessores siquidem uestri probitatis et prudentie amplioris gratia Romane urbis coronam et imperium consecuti sunt. Ad cuius uidelicet corone et imperii dignitatem tuam quoque personam, fili karissime Henrice, per nostri sacerdotii ministerium maiestas diuina prouexit. Illam igitur dignitatis prerogatiuam, quam predecessores nostri uestris predecessoribus catholicis imperatoribus concesserunt et priuilegiorum paginis confirmauerunt, nos quoque tue dilectioni concedimus et presentis priuilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis et abbatibus libere preter uiolentiam uel symoniam electis inuestituram uirge et anuli conferas; post inuestitionem uero canonice consecrationem accipiant ab episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem a clero uel populo preter assensum tuum electus fuerit, nisi a te inuestiatur, a nemine consecretur, exceptis nimirum illis qui uel in archiepiscoporum uel in Romani pontificis solent dispositione consistere. Sane archiepiscopi uel episcopi libertatem habeant a te inuestitos episcopos uel abbates canonice consecrandi; predecessores enim uestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt ut regnum suum maxime episcoporum uel abbatum presidiis oporteat communiri, et populares dissensiones, que in electis omnibus sepe contingunt, regali oporteat maiestate compesci. Quamobrem prudentie tue et potestati cura debet sollicitius imminere, ut Romane ecclesie magnitudo et ceterarum salus tuis, Domino prestante, beneficiis et seruiciis conseruetur. Si qua igitur ecclesiastica uel secularis persona, hanc nostre concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu uenire temptauerit, anathematis uinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis sue periculum patiat; obseruantes autem hec diuina misericordia custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem suum et gloriam feliciter imperare concedat.'

122. *Quomodo Romani sibi ciuitatem Rome dederunt.*

Peracto itaque toto consecrationis ipsius officio, apostolicus et imperator complexis inuicem dextris iuerunt cum celebri papa^a ad cameram que est ante confessionem sancti Gregorii, ut ibi deponeret apostolicus sua sacerdotalia, imperator autem sua regalia. Imperatori autem exeunti de camera et suis regalibus exuto occurrerunt Romani patricii cum aureo circulo, quem imposuerunt imperatori in capite, et per eum sibi dederunt summum patriciatum Romane urbis communi consensu omnium et uolenti animo.

123. *De concilio Romano.*

Omnem hanc ambicionem priuilegiorum et consecracionis uerbo de scriptis prefati Daud transtuli, que ille, ut <dixi>,^b pronius quam deberet ad gratiam regis inflectit. Sequenti uero anno congregatum est concilium Rome, non tam precipiente quam conniunte papa, et priuilegium illud irritum factum est. Auctores fuere huiusce mutacionis archiepiscopus Viennensis, qui sedem postea apostolicam rexit, et episcopus Engolismensis, Girardus nomine, qui coepiscopus ad hec exinanienda irritabant. Eius ergo concilii actio hec est.

124. *Epistola Paschalis.*

fo. 28^v

Anno ab incarnatione millesimo centesimo duodecimo, indictione quinta, anno pontificatus domini pape Paschalis secundi tertio decimo, mense | Marcio, quinto decimo kalendas Aprilis, celebratum est concilium Rome Lateranis in basilica Constantiniana. In qua cum dominus Paschalis resedisset, cum archiepiscopis et episcopis et cardinalibus et alia multitudine clericorum et laicorum, ultima die concilii facta coram omnibus professione catholice fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: `Amplector omnem diuinam scripturam Veteris ac Noui Testamenti, legem a Moyse scriptam et a sanctis prophetis; amplector quatuor euangelia, septem canonicas epistolas, <epistolas>^c gloriosi doctoris beati Pauli apostoli, sanctos canones apostolorum, quatuor concilia uniuersalia sicut quatuor euangelia, Nicenum Ephesinum Constantinopolitanum Calcedonense; preterea Antiochenum concilium, et decreta sanctorum patrum Romanorum pontificum et precipue decreta domini mei pape Gregorii septimi et beate memorie pape Urbani. Que ipsi laudauerunt laudo. Que tenuerunt teneo. Que confirmauerunt confirmo. Que dampnauerunt dampno. Que repulerunt repello. Que interdixerunt interdico. Que prohibuerunt prohibeo; in omnibus et per omnia in hiis semper perseuerabo.' Quibus expletis surrexit pro omnibus

^a pompa *Gesta Regum*, i. c. 425.

^b *Gesta Regum*, i. c. 426.

^c *Gesta Regum*, i. c. 427.

Girardus Engolismensis episcopus, legatus in Acquitannia, et communi assensu domini pape Paschalis tociusque concilii legit hanc scripturam’.

125. *Item aliud de eisdem.*

‘Priuilegium illud, quod non est priuilegium set uere debet dici priuilegium,^a pro liberatione captiuorum et ecclesie a domino Paschali papa per uiolenciam regis Henrici extortum, nos omnes, in hoc sancto concilio cum domino papa congregati, canonica censura et ecclesiastica auctoritate iudicio sancti Spiritus dampnamus et irritum esse iudicamus atque omnino quassamus et, ne quid auctoritatis et efficacie habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo dampnatum est, quia in eo priuilegio^b continetur quod electus canonice a clero et populo a nemine consecratur nisi prius a rege inuestiatur, quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem.’ Perlecta uero hac carta, acclamatum est ab omnibus et uniuerso concilio, ‘Amen, amen, fiat, fiat.’

126. *Nomina archiepiscoporum et episcoporum concilii.*

Archiepiscopi qui cum suis suffraganeis interfuerunt hii sunt: Iohannes patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus, Landulfus Beneuentanus, Amalfitanus, Regitanus, Hidrontinus, Brundisinus, Capsanus, Girontinus, et Greci Rosanus et archiepiscopus Sancte Seuerine. Episcopi uero: Cencius Sabinensis, Petrus Portuensis, Leo Ostiensis, Cono Prenestinus, Girardus Engolismensis, Galo Leonensis legatus pro Bituricensi et Viennensi archiepiscopis, Rogerius Wlturnensis, Gaufridus Senensis, Rollandus Populonensis, Gregorius Terracinensis, Guillelmus Troianus, Guillelmus Siracusanus legatus pro omnibus Siculis, et alii fere centum episcopi. Sywinus et Iohannes Tusculanus episcopi, cum essent Rome illa die, concilio non interfuere; qui postea, lecta dampnacione priuilegii,^c consenserunt et laudauerunt.

127. *De obitu Paschalis pape et successore Gelie pape.*

Ferebantur ista per orbem, nec dissimulabat omnis Gallia imperatorem execrari, ecclesiastici zeli in eum uigore intentato. Hiis commotus Romam septimo decimo anno Paschalis pape contendit, acrius in illum ulturus; set iis felici transitu mundanas effugerat erumpnas, ridebatque in requie positus ex alto con|tumacis Cesaris minas. Cuius morte accepta, alacrius imperator celerabat uiam, ut Iohanne Gaitano

fo. 29

^a prauilegium, *Gesta Regum*, i, c. 428.

^b prauilegio, *Ibid.*

^c prauilegii, *Gesta Regum*, c. 429.

superioris pape cancellario, qui iam electus et Gelasius dictus fuerat, eiecto Mauricium Braccarensis episcopum, cognomento Burdinum, intenderet. Set hec epistola Gelasii tercius proponet.

128. *Epistola Gelasii pape.*

'Gelasius seruus seruorum Dei archiepiscopis, abbatibus, episcopis, clericis, principibus et ceteris per Galliam fidelibus salutem. Quia uos Romane ecclesie membra estis, que in ea nuper acta sunt dilectioni uestre significare curamus. Siquidem post electionem nostram dominus imperator, furtiue et inopinata uelocitate Romam ueniens, nos egredi compulit. Pacem postea et minis et terroribus postulauit, dicens que posset se fracturum, nisi nos ei iuramento pacis certitudinem faceremus. Ad que nos ista respondimus: "De controuersia que inter ecclesiam et regnum est, uel conuentioni uel iusticie libenter acquiescimus loco et tempore competenti, uidelicet Mediolani uel Cremone in proxima beati Luce festiuitate, fratrum nostrorum iudicio, qui a Deo sunt iudices constituti in ecclesia, et sine quibus hec causa tractari non potest. Et quoniam dominus imperator a nobis securitatem querit, nos uerbo et scripto eam promittimus, nisi ipse interim impediatur. Alias enim securitates facere nec honestas ecclesie nec consuetudo est." Ille statim die post electionem nostram quadragesimo quarto Braccarensem episcopum, anno preterito a domino predecessore nostro Pascali papa in concilio Beneuenti excommunicatum, in matris ecclesie inuasionem ingressit; qui etiam, cum per nostras olim manus pallium accepisset, eidem domino nostro et catholicis successoribus, quorum primus ego sum, fidelitatem iurauit. In hoc autem tanto facinore nullum de Romanis dominus imperator, Deo gracias, socium habuit; set Guibertini soli, Romanus de Sancto Marcello, Centius qui dicebatur Sancti Grisogoni, Teuzo qui multo per Daciam debellatus est tempore, tam infamem gloriam celebrarunt. Vestre igitur experientie litterarum presentium perceptione mandamus ut, super hiis per Dei gratiam communi deliberacione tractantes, ad matris ecclesie ultionem communibus prestante Deo auxiliis, sicut oportere cognoscitis, attingamini. Data Gaite, septimo decimo kalendas Februarii.'

129. *De Calixti Pape consecratione.*

Expulsus autem Gelasius et Salerni nauibus conscensis, inde uenit Genuam; itidemque itinere Cluniacum contendens, ibidem obiit. Tunc, id est, anno Dominice incarnationis millesimo centesimo nono decimo, cardinales qui cum Gelasio uenerant, simulque omnis ecclesia Cisalpina, Guidonem archiepiscopum Vienensem in papam grandi paratu leuantes Calixtum uocarunt, religionis et efficacite ipsius intuitu,

fo. 29^v

sperantes se per illius potenciam, quod esset in auxiliando facultatis maxime, imperatoris uiribus obniti posse. Nec ille credulos spei effectu exinaniens, mox concilio Remis celebrato inuestitos uel inuestiendos a laicis ab ecclesiis remouit, pariterque et imperatorem, nisi resipisceret, inuoluens. Ita tempore aliquanto in inferioribus plagis moratus, ut partes suas auget, Romam compositis in Gallia rebus uenit, libenterque a ciuibus (nam iam imperator discesserat) receptus est. Tum Burdinus, in medio relictus, Sutrium effugit, multis peregrinorum calamitatibus papatum suum fouere meditatus; set quomodo inde sit | eiectus, sequenti epistola cognosces.

130. *Epistola Calixti pape.*

Calixtus episcopus seruus seruorum Dei dilectis fratribus et filiis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et ceteris tam clericis quam laicis beati Petri fidelibus per Gallias constitutis salutes et apostolicam benedictionem. Quia dereliquit populus legem Domini et in iudiciis eius non ambulat, uisitat Dominus in uirga et in uerberibus peccata eorum; paterne tamen conseruans uiscera pietatis, de sua confidentes misericordia non relinquit. Diu siquidem, pietatis exigentibus, per illud Teutonicorum regis idolum, Burdinem uidelicet, fideles ecclesie conturbati sunt, et alii quidem capti, alii usque ad mortem carceris maceracione afflicti sunt. Nuper autem, festis Paschalibus celebratis, cum peregrinorum et pauperum clamores ferre non possemus, cum ecclesie fidelibus ab urbe digressi sumus, et tamdiu Sutrium obsedimus donec diuina potentia et supradictum ecclesie inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, et locum ipsum omnino in nostram tradidit potestatem. Rogamus itaque caritatem uestram ut pro tantis beneficiis una nobiscum Regi regum gratias referatis, et in catholice ecclesie obedientia et seruicio constantissime maneatis, retributionem debitam in presenti et in futuro seculo ab omnipotenti Domino per eius gratiam recepturi. Rogamus eciam ut has litteras alter alteri presentari omni remota negligentia faciatis. Data Sutrii, quinto kalendas Maii.'

131. *Quomodo Burdus episcopus captus est.*

Urbana omnino et excogitata facecia, ut eum quem oderat regis Teutonici uocaret idolum, quod ille Mauricii periciam tum in litteris tum in ciuilibus negociis paruipensaret.^a Erat is, ut dixi, Bracharensis archiepiscopus, que est ciuitas Hyspannie; quem multum quislibet reuereri et pene adorare pro uiua magne industrie specie debuisset, nisi tam famoso facinore enitescere maluisset. Nec enim sacratissimam

sedem nummis nundinari dubitasset, set tam desperatus inueniretur uenditor quam paratus erat emptor. Tunc autem captus et monachus factus in Caueam (monasterium ita uocant) directus est.

132. *De liberatione ecclesie Romane.*

Processit ulterius in augendo bono laudabilis pape magnificenciam, ut illam effrenem et ingenitam Romanorum cupiditatem cohiberet. Nulle ipsius tempore uiantibus circa Romam insidie, nulle urbem ingressis iniurie. Oblationes apud Sanctum Petrum, quas pro peculantia proque libidine potentes diripiebant, anteriores apostolico^s^a qui uel mutire auderent indignis afficientes contumeliis, Calixtus reuocauit ad medium, scilicet ad apostolice sedis rectoris publicum usum. Nec quisquam in eius pectore peccuniarum uel habendarum ambitus uel habitatum amor operari bono potuit, adeo ut Anglos peregrinos magis ad Sanctum Daud quam Romam pergere ammoneret pro uie longitudine: ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendum commodum quod haberent qui semel Romam irent. Quid quod illam inueteratam controuersiam inter regnum et sacerdotium, que iam plus quinquaginta annis turbas fecerat, adeo ut aliquo heresis fautore morbo uel morte succiso illico quasi idre capita plura pullularent, ipse sua industria abrasit, descidit, euellit. Teutonice animositatis colla uigore securis | apostolice denunciens. Quod et eius et apostolice professiones mundo hiis dictis ostendent.

fo. 30

133. *Epistola Calixti pape ad Henricum imperatorem.*

'Ego Calixtus episcopus seruus seruorum Dei tibi dilecto filio Henrico, Dei gracia Romanorum imperatori augusto, concedo electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni qui ad regnum pertinent in presentia tua fieri, sine symonia et absque ulla uiolencia, ut, si qui inter partes discordia emergerit, metropolitani uel prouincialium consilio uel iudicio saniori parti assensum et auxilium prebeas. Electus autem regalia a te recipiat, et que ex hiis tibi iure debet faciat; ex aliis uero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia a te per sceptrum recipiat, et que ex hiis iure tibi debet faciat, exceptis omnibus que ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus uero michi querimoniam feceris et auxilium postulaueris, secundum officium michi^b debitum auxilium tibi prestabo. Do tibi ueram pacem, et omnibus qui in tua parte sunt uel fuerunt tempore huius discordie. Vale.'

134. *Henricus imperator ad Calixtum.*

^a *Gesta Regum, i, c. 435.*

^b mei *Gesta Regum i. c. 436.*

'In nomine sancte et <in>diuidue^a Trinitatis. Ego Henricus, Dei gracia Romanorum imperator augustus, pro amore Dei et sancte Romane ecclesie et domni Calixti pape, et pro remedio anime mee, dimitto Dei et sanctis Dei apostolis Petro et Paulo sanctisque^b catholice ecclesie omnem inuestituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis que in regno uel imperio meo sunt canonicam fieri electionem et liberam consecracionem. Possessiones et regalia beati Petri, que a principio huius discordie usque ad hodiernum diem siue tempore patris mei siue eciam meo ablata sunt, que habeo, eidem sancte Romane ecclesie restituro; que non habeo, ut^c restituantur fideliter iurabo. Possessiones eciam omnium aliarum ecclesiarum et principum et omnium aliorum tam laicorum quam clericorum que in werra ista amisse sunt, consilio principum uel iusticia, quas habeo, reddam; quas non habeo, fildeliter iuuabo. Et do ueram pacem domino pape Calixto et sancte Romane ecclesie et omnibus qui in parte ipsius sunt uel fuerunt; et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulauerit, fideliter iuuabo; et de quibus michi querimoniam fecerit, debitam sibi faciam iusticiam. Hec omnia acta sunt consensu et consilio principum quorum nomina subscripta sunt: Albertus archiepiscopus Magontie, Fredericus Coloniensis episcopus, Ratisbonensis episcopus, Baben Bergensis episcopus, Bruno Spirensis episcopus, Augustensis, Traiectensis, Constantiensis, abbas Florensis, Heremannus dux, Fredericus dux, Bonefacius marchio, Theobaldus marchio, Ernulfus comes palatinus, Odbertus comes palatinus, Berengarius comes.'

135. *Quomodo idem Henricus subiugauit sibi totam Italiam.*

Sedato itaque tam ueterno morbo, qui ecclesie statum conturbauerat, magnum gaudium quisquis Christiane sapuit accepit, quod is imperator, qui proxima fortitudinis gloria acriter Karoli Magni inuaderet uestigia, eciam a deuotione ipsius in Deum non degeneraret, qui, preter Teutonici regni nobiliter sopitas rebelliones, eciam Italicum ita subegit ut nullus adeo. Ter enim in decennio Italiam ingressus urbium tumorem conpescuit, primo aduentu | Nouariam, Placentiam, Aretiam, secundo et tercio Cremonam et Mantuam incendio exterminans. Set et Rauenne motum paucorum obsidione dierum leniuit; namque Pisani et Papiensis cum Mediolanensibus amiciciam eius quam uim experiri malebant. Huic, ut ante fatuus sum, filia regis Anglie nupta exhibebat patrem fortitudine, matrem religione; contendebat in ea pietas industrie, nec quod magis probares discerneres facile.

fo. 30^v

^a *Gesta Regum, i, c. 437.*

^b *sanctaque Ibid.*

^c *Ins. above line.*

136. *De Episcopis Ierusalem.*

Iacobus frater Domini filius [...],^a Symeon filius Cleophe consobrinus Christi (Cleophas autem fuit frater Ioseph), Iustus, Zacheus, Tobias, Benjamin, Iohannes, Macabeus, Philippicus, Senecca, Iustus, Leui, Effrem, Iesse, Iudas (hii quindecim circumcisi fuerunt); Marcus, Cassianus, Publius, Maximus, Iulianus, Gaius (iste primus celebrauit Pascha et Quadragesimam more Romanorum), Simmachus, Gaius, Iulianus, Capito, Maximus, Antonius, Valens, Docilianus, Narcissus, Dius, Germanio, Gordius, Alexander, Mazabanus^a (huius temporibus inuenta est sancta crux a beata Helena), Cyriacus, Maximus, Cyrillus (iste construxit ecclesiam sancti Sepulcri et montis Caluarie et Bethleem et uallis Iosaphat).

137. *De Patriarchis.*

Hii omnes uocati sunt episcopi. Post hos surexere patriarche: Cyrillus protus patriarcha, Iohannes, Prailius, Iuuenalis, Iohannes, Zacarias (in cuius tempore uenit Cosdroe rex Persarum Iherusalem, et destruxit ecclesias Iudee et Iherusalem, et occisa sunt ab exercitu suo triginta sex milia Christianorum), Modestus (iste constitutus est patriarcha ab Eraclio imperatore, postquam reuersus est uictor de Perside), Sophronius (cuius temporibus uenere Sarraceni et eiecere Christianos omnes de Iherusalem, extra patriarcham, quem ob reuerenciam sanctitatis dimiserunt ibi: illud fuit tempus quo Sarraceni totam Egiptum et Affricam et Iudeam et etiam Hispaniam et Baleares insulas peruaserunt; partem Hispanie abstulit eis Karolus Magnus, reliquam et omnes quas nominauit terras possident usque hodie, annis ab hinc circiter quingentis).

138. Theodorus, Ilia, Georgius, Thomas, Basilius, Sergius, Salomontes, Theodosius (hunc Theodosium fuisse abbatem Bernadus memorat, et raptum de monasterio suo, quod distabat ab Iherusalem quindecim milibus, et factum fuisse patriarcham Iherosolime; tunc etiam Michaellem, dicit fuisse patriarcham Babilonis super Egiptum, translato patriarchatu Alexandrie in Babilonem), Ilia, Sergius, Leonthos, Athanasius, Christodolus, Thomas, Ioseph, Orestes (in cuius tempore uenit Achim Soldanus de Babilonia, nepos Orestis patriarche, et misit exercitum suum Iherusalem, et destruxit omnes ecclesias, scilicet quatuor milia, et auunculum suum patriarcham adduci fecit Babiloniam et ibidem occidi), Theophilus, Nicephorus (hic edificauit casam Sepulcri qui nunc est, fauente Soldano Achim), Sophronius (in cuius tempore Turchi Iherosolimam uenientes pugnaverunt cum Sarracenis et omnes interfecere et optinere

^a Erasure: Ioseph, *Gesta Regum* i. c. 368.

ciuitatem; Christiani autem remanserunt ibi sub dominio Turchorum), Euthimius, Symeon (huius tempore uenerunt Franci Iherusalem et liberauerunt eam de manibus Turchorum et regis Babilonie).]

139. ^aSecundo anno regni eius terremotus ingens totam Angliam exteruit tertio idus Augusti, horrendo miraculo, ut edificia omnia eminus resilirent et mox pristino more residerent. Secuta est inopia omnium fructuum, tarda maturitas frugum, ut uix ad festum sancti Andree menses^b reconderentur

140. Quarto anno tumultus fulgurum, motus turbinum: denique idus Octobris apud Winchelecumbam ictus de celo emissus latus turris impulit tanta ui ut debilitata maceria in confinio tecti ingens foramen ad modum humane grossitudinis aperiretur. Ibi ingressus trabem maximam perculit, ut fragmina in tota spargerentur ecclesiae; quin et crucifixi caput cum dextra tibia et imaginem sancte Marie deiecit. Secutus est odor teterimus, hominum inportabilis naribus. Tandem monachi felici ausu irrumpentes benedicte aque aspergine prestigias Inimici effugarunt.

141. Quid illud omnibus incognitum seculis? Discordia uentorum inter se desidentium ab eust^c austro ueniens sexto decimo kalendas Nouembris Londonie plusquam sexcentas domos effregit. Cumulabantur ecclesie cum domibus, macerie cum parietibus. Maius quoque scelus furor uentorum ausus tectum ecclesie sancte Marie quod ad Arcus dicitur pariter sulleuauit, et duos ibi homines obruit; ferebanturque tigna cum trabibus per inane, spectaculo a longe uisentibus, timori prope stantibus ne obruerentur. Quatuor tigna, sex et uiginti pedes longa, tanta ui in humum impacta sunt ut uix quatuor pedes extarent; notabili uisu, quomodo duriciam strate publice perruperint, eo ibi ordine posita quo in tecto manu artificis fuerant locata, quoad ob impedimenta transeuntium ad planiciem terre sunt desecta, quod aliter erui nequirent.

142. Quinto anno eadem uiolencia fulminis apud Salesbiriam tectum turris ecclesie omnino deiecit, multumque maceriam labefactauit, quinta sane die postquam eam Osmundus dedicauerat, preclare memorie episcopus.

^a *Scribe 5.*

^b *messes Gesta Regum i. c. 322, so corrected here by a later scribe.*

^c *euro Gesta Regum, i, c. 324.*

143. Sexto anno tantum pluuium diluuium, tanta tempestas imbrum quantam nullus meminerat. Mox accedente hieme fluuii ita sunt congelati ut essent peruii equitantibus et plaustra ducentibus; nec mora, resoluta gelu impetu glaciū pontes effracti.

144. Septimo anno, propter tributa que rex in Normaniam positus edixerat, agricultura defecit; qua fatiscente fames e uestigio; ea quoque inualescente mortalitas hominum subsequuta, adeo crebra ut deessent morituris cura, mortuis sepultura. Tunc etiam Walenses in Normannos efferati Cestrensem pagum et partem Scrobberiensem <de>populati^a Anglesiam armis obtinuerunt.

145. Decimo anno kalendis Octobris apparuit cometes quindecim diebus, maiorem crinem emittens ad orientem, minorem uersus euroaustum. Apparuerunt et alie stelle, quasi inter se iacula emittentes. Ille fuit annus quo Anselmus, lux Anglie, ultro tenebras erroneorum effugiens, Romam iuit.

fo. 31^v

146. Undecimo anno rex Noricorum Magnus cum Haroldo | filio Haroldi regis quondam Anglie Orchadas insulas et Meuanias, et si que alie in oceano iacent, armis subegit. Iamque Angliam per Anglesiam obstinatus petebat; occurrerunt ei comites Hugo Cestrensis et Hugo Scrobberensis, et antequam continentem ingrederetur, armis expulerunt. Cecidit ibi Hugo Scrobberensis, eminus ferreo astili perfossus.

147. Duodecimo anno fluctus marinus per Tamensem fluuium ascendit, et uillas multas cum hominibus mersis.

148. Tertio decimo anno, qui et extremus uite fuit, multa aduersa quare^b in milletiaro.

149. Multa de ipsius interitu et preuisa et predicta homines ferunt, quorum tria probabiliū uirorum testimonio lecturis communicabo. Edmerus, nostrorum temporum hystoricus, sinceritate ueritatis laudandus, dicit nobilem illum Anselmum exulem, cum quo pariter omnis religio exulabat, Marcenniacum uenisse, ut Hugonis abbatis Cluniacensis conscientia querelas curarum suarum ingereret. Ibi cum de rege Willelmo sermo uolutaretur, abbatem predictum dixisse proxima nocte regem illum ante Deum ductum, et adiudicatum librato nosset nec tunc ipse exposuit nec aliquis audientium requisiiuit; uerumtamen pro

^a *Gesta Regum*, i, c. 327.

^b quere?

contuitu religionis eius nulli presentium de fide dictorum inhesit ambiguum. Nec multo post, occiso ut dicemus rege, uenit nuntius ut sedem suam dignaretur archiepiscopus.

150. Predie quam periret, uidit per quietem se fleubotomi ictu sanguinem emittere; radium cruoris in celum usque protentum lucem obnubilare, diem interpolare. Ita inclamata sancta Maria, somno excussus, lumen inferri precepit, et cubicularios a se discedere uetuit. Tunc aliquot horis antelucanis non nichil uigilatum. Paulo post, cum iam aurora diem inuehere meditaretur, monachus quidam transmarinus retulit Roberto filio Hamonis, uiro magnatum principi, somnium quod eadem nocte de rege uiderat mirum et horendum: quod in quandam ecclesiam uenerit, superbo gestu et insolenti, ut solebat, circumstantes despiciens. Tunc crucifixum ^ain ordicus^a apprehendens, brachia illi coroserit, crura pene trunccauerit; crucifixum dicit tolerasse, sed tandem pede ita regem depulisse ut suspinus caderet; ex ore iacentis tam effusam flammam exisse ^aut fumi magnitudo eciam sidera obnubilaret.^a Hoc somnium Robertus non negligendum arbitratus, regi confestim, quod ei a secretis erat, intulit: at ille cachinno in geminans 'Monachus' inquit 'est, et causa nummorum monachialiter sompniat. Date ei centum solidos.' Multum tamen motus, diu cunctatus est an insulam,^b sicut intenderat, iret, suadentibus amicis ne suo dispendio ueritatem sompniorum experiretur. Itaque ante cibum uenatu abstinuit, seriis negociis cruditatem | indomite mentis eructuans; ferunt ea die largiter epulatum crebrioribus quam consueuerat poculis frontem serenasse. Mox igitur post cibum in saltum contendit, paucis comitatus; quorum familiarissimus erat Guauterus cognomento Tyrel, qui de Francia liberalitate regis adductus uenerat. Is, ceteris per moram uenationis quo quemque casus tulerat dispersis, solus cum eo remanserat. Iamque Phebo in oceanum procliuo, rex ceruo ante se transeunti, extento neruo et emisa sagitta, non adeo seuum uulnus inflixit. Diutine adhuc fugitantem uiuacitate oculorum prosecutus, opposita contra uiolentiam solarium radorum manu. Tunc Guaterius pulchrum facinus animo parturiens, ut rege alias interim intento ipse alterum ceruum, qui forte prope transibat, prosterneret, inscius et impotens regium pectus (Deus bone) letali harundine traiecit. Saucius ille nullum uerbum emisit, sed ligno sagitte quantum extra corpus extabat effracto, moxque supra uulnus cadens, mortem accelerauit. Accurrit Guaterius; sed quia nec sensum nec uocem hausit, perniciter cornipedem insiliens beneficio calcarium euasit. Nec uero fuit qui persequeretur, illis coniuuentibus, istis miserantibus, omnibus postremo alia molientibus; pars receptacula sua munire, pars furtiuas predas agere, pars regem nouum iamiamque circumspicere. Pauci rusticorum

fo. 32

^{a-a} mordicus *Gesta Regum*, i. c. 333.

^b in siluam *Gesta Regum*, i. c. 333.

cadauer, et reda caballaria compositum, Wintoniam in episcopatum deuexere, cruore undatim per totam uillam stillante. Ibi infra ambitum turris, multorum procerum conuentu, paucorum planctu terre traditum. Neque defuere oppiniones quorundam dicentium ruinam turris, que posterioribus annis accidit, peccatis illius contigisse, quod iniuria fuerit illum sacrato tumulari loco qui tota uita petulans et lubricus moriens eciam Cristiano caruerit uiatico. Obiit anno Dominice incarnationis millesimo et centesimo, regni tercio decimo, nonas Augusti quarto, maior quadragenario, ingentia presumens et ingentia, si pensa Parcarum euoluere, si uiolenciam fortune abrumpere et eluctari potuisset, facturus.

151. *De Henrico fratre predicti Willelmi.*

fo. 32^v Henricus iunior filius Willelmi Magni natus est in Anglia anno tercio postquam pater eam adierat. Infans iam tum omnium uotis conspirantibus educatus egregie, quod solus omnium filiorum Willelmi natus esset regie, et ei regnum uideretur competere. Itaque tyrocinium rudimentorum in scolis egit litteralibus, et litterarum mella adeo auidis medullis indidit ut nulli postea bellorum tumultus, nulli curarum motus eas excutere illustri animo possent. Quamuis ipse nec multum palam legeret nec nisi summis cantaret, fuerunt tum, ut uere confirmo, littere, quamuis tumultuare, magna suppellex ad regnandum scientie, iuxta illam Platonis sententiam, qua dicit beatam esse republicam si uel philosophi regnarent uel reges | philosopharentur. Philosophia ergo non adeo exilit^a informatus, sensim discebat ut successu temporis prouinciales mitis^b contineret, milites non sibi diligentissime explorata necessitate committere sineret. Itaque puericiam ad spem regni litteris muniebat, sub inde, patre quoque audiente, iactitare prouerbium solitus `rex illiteratus, asinus coronatus.' Ferunt quin eciam genitorem, non pretereunt^c notata morum eius compositione quibus uiuacem prudentiam aleret, ab uno fratre lesum et lacrimantem hiis animasse: `Ne fleas, fili, quoniam et tu rex eris.' Vicessimo ergo primo regni paterni anno, etatis sue nonodecimo, in Pentecoste apud Westmonasterium sumpsit arma a patre, cum quo tunc Normanniam nauigans, non multo post presens funeri eius astitit, ceteris fratribus quoquemque spes tulerat dilapsis. Quapropter paterna benedictione et materna hereditate, simul et multiplicibus thesauris nixus, supercilium germanorum parum faciebat, utrique uel assistens uel aduersans pro merito; inclinatio porro Roberto pro mansuetudine, eius lenitatem suo rigore satagebat acuere. Contra ille, noxia facilitate delatoribus credulus, fratrem immeritum iniuriis uexabat, et omnem illam pecuniam testamento patris

^a *Gesta Regum, i, c. 390.*

^b *mitius, Ibid.*

^c *Ibid.*

adolescentulo legatam, que erat trium milium marcarum, in stipendiarios suos absumpsit. Id Henricus licet forsitan egre tulisset, taciturna preterit industria.

152. Occiso uero rege Willelmo in regem electus est, et statim plausu plebeio concrepante, in regem coronatus est Lundonie nonis Augusti, quarto post obitum fratris die. Nec multo post, suadentibus amicis ac maxime pontificibus ut remota uoluptate pelicum legitimum amplecteretur conubium, die sancti Martini accepit Mathildem filiam regis Scottorum, cuius iam pridem amori animum impulerat, paruipendens dotales diuitias, dum modo diu cupitis potiretur amplexibus. Erat enim illa, licet genere sullimis utpote regis Edwardi ex fratre Edmundo abneptis, modice tamen domina suppellectilis, utroque tunc parente pupilla. Walenses rex Henricus, semper in rebellionem surgentes, crebris expeditionibus in declinationem premebat, in quarum una, incertum cuius audacia, eminus insidiantis harundine impetitus pulchre euasit, fideliter hamati toracis adiutus beneficio et simul perfidiam frustrante Dei consilio. Sed nec tunc actor sceli^a eminuit, nec unquam postea inuestigari ualuit, quamuis ille statim non hesitasset dicere sagittam non a quolibet Walense sed a prouinciali emissam, 'per mortem Domini nostri' talia pronuncians, quem morem iurandi uel ire nimietas uel rei serietas ab ore principis extorquebat. Nam et ea hora in proprio solo, non in hostica regione progrediebatur sensim et caute exercitus, ut nichil minus quam insidias quis opinari possit. Nec tamen intestini discriminis metu pedem ab incepto retulit, donec Walenses, datis obsidibus nobilium suorum filiis cum aliquanta pecunia et multo peculio, regie magnanimitatis motum sedarent.

fo. 33

153. Erat Henricus in rebus suis prouidendo efficax, defendendo pertinax; bellorum quatenus posset cum honestate repressor, cum uero decreuisset non pati, impaciendus iniuriarum exactor, obuia pericula uirtutis umbone decutiens. Odii at amicitie in quamlibet tenax, <in altero nimio irarum estui>^b in altero regie magnanimitatis satisfaciendis, hostes uidelicet ad miseriam deprimens, amicos et clientes ad inuidiam efferens; nam et hanc curam uel primam uel maximam boni principis philosophia proponit, ut parcat subiectis et debellet superbos. Iusti^c rigore inflexibilis, prouinciales quiete, proceres dignanter continebat, fures et falsarios latentes maxima diligentia perscrutans, inuentos puniens. Paruarum quoque rerum non negligens: cum nummos fractos, licet boni argenti, a uenditoribus non recipissent,^d audisset,

^a teli *Gesta Regum* i. c. 401.

^b *Gesta Regum*, i. c. 411.

^c iustitie *Gesta Regum* i. c. 411.

^d recepi *better*, *Gesta Regum*, i. c. 411.

omnes uel frangi uel incidi precepit. Mercatorum falsam ulnam castigauit, brachii sui mensura adhibita omnibus per Angliam proposita. Curialibus suis, ubicumque uillarum esset, quantum a rusticis gratis accipere, quantum et quoto precio emere debuissent, edixit, transgressores uel graui pecuniarum multa uel uite dispendio afficiens. Principio regni, ut terrore exempli reos inureret, ad membrorum detruncationem, post ad pecunie solutione^a procliuior. Primorum ergo prudentia, ut fere fert natura mortalium, optimatibus uenerabilis, prouincialibus ama^blis^b habebatur. In ceteris quoque genitoris emulus, rapinas curialium, furta, stupra edicto compescuit, deprehensis oculos cum testiculis euelli precipiens. Contra trapezatas, quos uulgo monetarios <uocant>,^c precipuam sui diligentiam exhibuit, nullum falsarium, quin pugnum proderet, impune abire permittens qui fuisset intellectus falsitatis sue commercios <fatuos>^d irrisisse. Nec propter rebellionem aliquorum procerum unquam suorum appetitus est insidiis, nisi semel. Auctor earum fuit cubicularius, plebei generis patre, sed pro regionum thesaurorum custodia famosi nominis <h>omine natus; it^e deprehendens et facile confessus, penas perfidie acriter luit. Preter hoc uita securus, animes omnium timori, sermones amori obstricos habebat. Statura minimos supergrediens, a maximo uincebatur, crine nigro et iuxta frontem profugo, oculis dulce serenis, thoroso pectore, carnosio corpore. Facietiarum pro tempore plenus, nec pro mole negotiorum, cum se communioni dedisset, minus iocundus. Minus pugnacis fame, Scipionis Affricani dictum representabat: 'Imperatorem me mea mater, non bellatorem reperit.'^f Quapropter sapientia nulli modernorum regum secundus, et pene dicam omnium antecessorum in Anglia facile primus, libentius bellabat consilio quam gladio; uincebat, | si poterat, sanguine nullo, si aliter non poterat, pauco. Omnium tota uita obscenitatum cupidinearum expers, quamquam ut a sconsciis accepimus non effreni uoluptate, sed gignende prolis amore mulierum gremio infunderetur, nec dignaretur aduene delactationi prebere assensum, nisi ubi regium semen procedere posset in effectum, effundens naturam ut dominus, non obtemperans libidini ut famulus. Cibis indifferenter utens magnumque^g explens esuriem, quia multis obsoniis urgens ingluuiem; potui nunquam preter sitim indulgens; continentie minimum excessum cum in suis tum in omnibus execrans. Sompni grauis, et quam frequens roncato interrumperet. Facultatis in

fo. 33^v

^a *Gesta Regum, i. c. 411.*

^b *Gesta Regum, i. c. 411.*

^c *Ibid., c. 399.*

^d *Gesta Regum, i. c. 399.*

^e *is Ibid., i. c. 411.*

^f *peperit, Gesta Regum, i. 412.*

^g *magisque better, Gesta Regum, i. c. 412.*

dicendo magnum^a fortuite quam elaborate, nec precipitis, sed mature. Post multas controuersias inter eum et Alselmum archiepiscopum habitas uix tandem ad consentiendum, pro ingenti Dei gratia, ingloriosa de fratre uictoria inflexus, inuestituras ecclesiarum per anulum et baculum Deo et sancto Petro remisit in perpetuum, retento tamen electionis et regalium priuilegio. Sed harum causarum tenorem multorum uerborum circuitu Edmerus egit.

154. Vxor regis ex antiqua et illustri regum stirpe descendit Mathildis. A teneris annis inter sanctimoniales apud Wiltoniam et Romeseiam educata, litterisque femineum pectus exercuit; unde, ut ignobiles nuptias respueret plusquam semel a patre oblatas, peplum sacrate professionis index gestauit. Quapropter, cum rex eam suscipere uellet thalamo, res in discepcionem uenit, nec nisi legitimis productis testibus, qui eam iurarent sine professione causa procorum uelum gessisse, archiepiscopus adduci potuit ad consentiendum. Hec igitur duobus partibus, altero alterius sexus, contenta in posterum et parere et parturire destitit, equinamiterque ferebat rege alias intento ipsa currie ualedicere, Westmonasterio multis annis morata; nec tamen quicquam ei regalis magnificentie deerat. Hoc regis iubebat liberalitas, hoc ipsius grata et dulcis attrahebat benignitas, sanctitudinis egregie non usque qua desplicabilis forme; maturne pietatis emula, nil sinistrum quantum ad se moribus admittens, preter regium cubile pudoris integra, nulla eciam suspicione lesa. Cilicio sub regio cultu conuoluta, nudipes diebus Quadragesime terebat ecclesiarum limina, nec horrebat pedes lauare morbidorum, ulcera sanie distillantia contrectare, postremo longa manibus oscula protelare, mensam apponere. Erat ei in audiendo seruicio Dei uoluptas unica, ideoque in clericos bene melodos inconsiderate prodigia, blande quoscumque alloqui, multa largiri, plura polliceri. Nec in hiis solum expensas conferebat, sed eciam omni generi hominum, presertim aduenarum, qui muneribus acceptis famam eius longe per terras uenditarent. Est enim cupiditas glorie ita innata mentibus hominum ut uix aliquis bone conscientie preciosis | contentus fructibus, si quid bene fecerit, non dulce habeat efferri in uulgus. Vnde aiunt, et constat, domine esse surreptum ut extraneos quos posset premiis deliniret, ceteros promissis aliquando efficacibus, aliquando et sepius inanibus suspenderet. Eo effectum est ut prodige donantium non effugeret uitium, multimodas colonis suis deferens calumpnias, inferens iniurias, auferens substantias, quo bone largitricis nacta famam suorum parui pensaret contumeliam. Sed qui recte iudicare uolet, consiliis ministrorum imputabit, qui, more arpiarum, quicquid poterant corripere unguibus, uel infodiebant marsupiis uel insumebant conuiuuiis,

fo. 34

^a magis, *Ibid.*

quorum fecullentes susurris aures oppleta neuum honestissime menti contraxit, de reliquo factis omnibus approbanda et sancta. Inter hec erepta est patrie, magno prouincialium dampno, suo nullo; nam et funus, nobiliter curatum apud Westmonasterium, quietum accepit et Spiritus sancte^a celum incolere non friuolis signis ostendit. Obit regno post septemdecim annos et septem^b menses libenter relicto, fatum parentum experte, qui pene uirente potissimum euo excessere mundo. Successit thoro eius, sed non ita cito, Adeliza filia ducis de Louiano, quod est castellum, caput Lotharingie.

155. Filium habuit rex He<nri>c<us> ex Mathilde nomine Willelmum, dulci spe et ingenti cura in successionem educatum et prouectum; nam et ei, uix cum duodecim annorum esset, omnes sibi liberi homines Anglie et Normannie cuiuscumque ordinis et dignitatis, cuiuscumque domini fideles, manibus sacramento se dedere coacti sunt. Filiam quoque Fulconis comitis Andegauensis uix nubilem ipse eciam inpubis despondit et accepit, dato sibi a socero comitatus Cinomannico pro munere sponsalicio; quin et Ierosolimam Fulco ire contendens comitatum commendauit regi suum si uiueret, futurum profecto generi si non rediret. Enim uero socero tunc annitente simulque Thedbalto filio Stephani et Adela amita, Ludouicus rex Francie Normanniam concessit puero, ut facto sibi homino possideret eam iure legitimo. Ordinabat hec et efficiebat prudentissimi patris prudentia, ut hominum, quod ipse pro culmine imperii fastidiret facere, filius delicatus et qui putabatur uiam seculi ingressurus non recusaret. Verumptamen tam splendide et excogitate pacis serenum, tam omnium spes in speculam erectas confudit humane sortis uarietas. Namque indicto in Angliam reditu, rex sub ipso noctis crepusculo septimo kalendas Decembris apud Barbefluet naues soluit, eumque qui impleuerat carbasa uentus feliciter regno et ample fortune inuexit. At uero adolescentulus, iam septemdecim annorum et paulo plus, cui nil deliciarum preter nomen regis pro paterna indulgentia deesset, sibi nauem pararari precepit, omnibus pene adolescentibus procerum filiis | quasi pro colludio etatis puerilis eo accurrentibus. Quin et remiges, inmodice mero ingurgitati, uoluptate nautica quam potus ministrabat mature illos qui precesserant post tergum relinquendos clamitabant; erat enim nauis optima, cablatis nouis et clauis recenter compacta. Itaque ceca iam nocte iuuentus sapientie indiga simulque potu obruta nauem littore inpellunt. Volat illa pennata pernitior harundine et scrispantia maris terga radens imprudencia ebriorum impiget in scopulum, non longe a litore supra pelagus extantem. Consurgunt ergo miseri et magno clamore ferratos contos expediunt, diu certantes ut nauem a rupe propellerent; sed obsistebat Fortuna, omnis eorum conatus in

fo. 34^v

^a se *Gesta Regum, i, c. 418.*

^b sex *Ibid.*

irritum deducens. Itaque et remi in saxum obnixa crepuere concussa que prora pependit. Itaque alios undis exponebat, alios ingressa primas^a aqua enecabat, cum eiecta scapha filius regis excipitur; saluarique potuisset ad litus regressus, nisi soror eius notha, comitissa Pertice, in maiori naue cum morte luctans femineo ululatu fratris opem implorasset, ne tam impie se relinqueret. Ille misericordia infractus lembum carine applicari iussit, ut sororem exciperet, mortem misellus pro clementie teneritudine indeptus; continuo enim multitudine in silentium scapha uicta subsedit, omnesque pariter fundo inuoluit. Euasit unus, et ille agrestis, qui tota nocte malo supernatans mane tocius tragredie actum expressit. Nulla unquam fuit nauis Anglie tante miserie, nulla orbi tam patule fame. Periit ibi cum Willelmo alter filius regis Ricardus, quem ante regnum ex prouinciali femina susceperat, iuuenis magnanimus et patri pro obsequio acceptus; ^aRicardus comes Cestrensis et frater eius Otuelus, nutricis et magistri filii regis; filia regum, comitissa Pertice,^c et neptis eius soror Thobaldi, comitissa Cestre; preterea quisquis erat in curia lectissimus miles uel capellanus, et optimatum filii ad miliciam prouehendi. Accurrerant enim undique, non leue glorie sue numeraturi commodum si filio regis uel differrent ludicrum uel conferrent obsequium. Accumulauitque calamitatem difficultas inueniendorum cadauerum, quia dispersis per littora quesitoribus nullum facile repertum est, sed ierunt tan^b delicata corpora equoreis crudelia pabula monstris. Iuueniculi ergo morte cognita res mirum in modum mutata. Parens enim celibatui renuntiauit, cui post mortem Matildis studuerat, futuros heredes ex noua conuge iamiamque operiens.

156. *Filiam Matildem ex Mathilde susceptam dedit rex Henricus Henrico imperatori Alemanie, filio Henrici. Fuit hic Henricus quintus eius nominis apud Theutonicos imperator, qui licet pro contumeliis apostolice sedis patri grauiter successuisset, ipse tamen eiusdem sentencie sequax et propugnator suo tempore fuit infestus.*

157. *Rex Hendricus decessit apud Sanctum Dionisium in Silua Leonum post triginta quinto annos regni sui. ^cEt sepultus fuit in Anglia in conuentuali ecclesia monachorum apud Redinges quam ipse construxerat. |*

fo. 35

158. *De Stephano rege.*

^a per rimas *Gesta Regum*, i. c. 419.

^b tam *Ibid.*

^c *Scribe 8.*

Mortuo Henrico rege predicto, Stephanus comes Bolonie filius sororis eius audita morte eius transfretauit in Angliam, et a Willelmo Cantuarie archiepiscopo inunctus est in regem apud Londonias anno millesimo centesimo tricesimo quinto. Hoc anno ecclesia Sancti Pauli Londoniis combusta est de illo igne qui accensus ad pontem Londoniarum et perrexit usque ad ecclesiam Sancti Clementis Danorum.

159. Anno regni sui quinto inperatrix filia predicti regis Henrici cum Roberto fratre suo comite Glouernie uenit in Angliam in festo sancti Michaelis [29 September].

160. Postea anno regni sui septimo captus est idem rex in bello et ductus ad predictam inperatricem et in castello de Bristoue positus in custodia. ^αTunc inperatrix a Londoniensibus et ab omni pene gente Anglorum suscepta est in dominam exceptis Cantensibus. Set tandem a Londoniensibus expulsa est in die sancti Iohannis baptiste [24 June] proximo sequenti.^α Sciendum quod ista inperatrix fuit filia predicti regis Henrici, que defuncto inperatore marito suo nupsit Galfrido comiti Andegauensi. Anno predicto statim in illa estate obcessa est turris Londoniarum a Londoniensibus quam Willelmus de Magnauilla tenebat et firmauerat. Obsedit eciam inperatrix castellum Wintonie cum auunculo suo Dauide rege Scottorum et predicto fratre suo Roberto; set Willelmus Ypriensis et regina regis Stephani cum Londoniensibus fecerunt eam inde recedere. Captus est tunc Robertus comes predictus cum multis cuius sola liberatione rex liberatus est; et sic absolutus est uterque. Captus fuit igitur comes predictus in die Exaltationis sancte Crucis [14 September], et rex liberatus est in festo Omnium Sanctorum [1 November] et in regno restitutus.

161. Anno sequenti rex Stephanus obsedit inperatricem in Oxonia set illa tandem euasit.

162. Postea anno regni sui nono cepit rex Galfridum de Magnauilla in curia sua apud Sanctum Albanum post festum sancti Michaelis [29 September], qui ut liberaretur reddidit regi turrim Londoniarum et castella sua; ipse uero postea in Aduentu Domini fecit castellum ecclesiam de Rameseya.

163. Anno sequenti fuit maxima fames.

164. Anno regis predicti quarto decimo translatus est sanctus Erkenewaldus octauo decimo kalendas Octobris [14 September] apud Sanctum Paulum Londoniis.

165. Anno sequenti fuit hyems maxima, qui incipiens quarto idus Decembris [28 November] durauit usque ad decimum kalendas Marcii [20 February], et Tamisia sic congelata fuit ut pede et equo transferetur.

166. Postea anno regni sui nono decimo obiit filius suus Eustacius; et Henricus dux Normannie filius inperatricis predictae et comitis Andigauie uenit in Angliam in manu ualida contra regem Stephanum bellaturus infra octabas Epyphanie [6 January] et castellum de Malmesberia obsedit et milites intus obcessos ad deditionem coegit. Postea facta est pax inter regem et ipsum ducem apud Wintoniam octauo kalendas Decembris [14 November].

167. Anno sequenti obiit Stephanus rex et sepultus est in abathia de Fauersham quam construxerat.

168. *De Henrico rege secundo.*

Tunc predictus Henricus dux Normannie audito rumore ^ade morte^a predicti regis uenit Barbefluum et ibi per unum mensem uentum expectauit; et ueniens in Angliam septimo idus Decembris [25 November] ab omnibus electus est, et apud Westmonasterium in regem unctus a Theobaldo archiepiscopo Cantuarie quarto decimo kalendas Ianuarii [19 December] anno gracie millesimo centesimo quinquagesimo quarto.

169. Postea idem rex anno regni sui quarto duxit exercitum in Wallias ubi plures de gente sua perdidit, tamen Walenses sibi subiugauit.

170. Anno sequenti idem rex coronatus est apud Wigorniam duo decimo kalendas May [20 April], et post celebrationem diuinorum coronam super altare posuit nec ulterius coronatus est. Eodem anno noua moneta creata est in Anglia.

^{a-a} *Marginal ins.*

- 171.** Anno septimo | regni predicti regis Maria abbatissa filia regis Stephani nupsit Matheo comiti Bolonie.
- 172.** Anno octauo regni istius obiit Theobaldus archiepiscopus Cantuarie;
- 173.** Et sequenti anno Thomas cancellarius regis et Cantuarie archidiaconus consecratus est in archiepiscopum Cantuariensem tercio nonas Iulii [5 July], Dominica proxima post Pentecosten.
- 174.** Anno undecimo regni istius Thomas archiepiscopus predictus subiit exilium orta discordia inter ipsum et regem et omnis parentela sua expulsa est ab Anglia per preceptum regis.
- 175.** Anno quarto decimo regni sui Matildis filia sua nupsit Hendrico duci Saxonie de qua genitus fuit Otho postea imperator Romanorum.
- 176.** Anno septimo decimo regni sui Henricus primogenitus filius eius inunctus est in regem apud Westmonasterium a Rogero Eboracensi archiepiscopo nec tamen unquam regno potitus est; ^aet sanctus Thomas archiepiscopus predictus Cantuarie eodem anno impie occiditur.^a
- 177.** Anno uicesimo istius regis captus est comes Laycestrie qui habuit gueram cum ipso rege.
- 178.** Anno uicesimo secundo facta est pax inter ipsum regem et filios suos; nam antea magna discordia orta fuit inter ipsos, qui ipsum ante et post in iram et furorem et ad arma et ad bella dense et indesinenter prouocauerunt. Eodem anno Reginaldus comes Cornubie diem clausit extremum filius scilicet Henrici regis primi, et apud Redinge sepultus quiescit.
- 179.** Anno sequenti Iohanna regis predicti filia, scilicet Henrici secundi filii inperatricis, transfretauit Willelmo regi Siculorum nuptura septimo kalendas Septembris [26 August].
- 180.** Anno uicesimo sexto regni istius Lodowicus rex Francie uenit ad Sanctum Thomam in peregrinatione per licenciam regis Anglie; eodem anno coronatus est Philipus filius predicti

Lodowici adhuc patre suo uiuente. ^αEt ut annum eundem, annum benignitatis et fertilitatis intelligas, uide qui sequitur; post hyemis nimiam siccitatem, post asperos prunarum incursus, post flatos aquilonales toto tempore uerno continuos, post fulgura discurencia circa medium regionis a partibus occidentis in oriente, repente placitus imber idus Iunii faciem irrigauit agrorum, animos colonorum nullam spem reponencium consternatos, felici communicatione resultans, fructibus arborum, fetibus animalium, qui nunquam prorsus deperierant, grata subministrans fomenta. Temptoriis itaque desuperi lapsa benignius semencia, radici unculis uix aliquantulum in nitentem, roris et pluue succedaniis irrigationibus fecundata, restituit. Solarius quoque fomes intencior et prouenientibus fructibus per multa accommodus rura prius arancia ad tantam ubertatem ex insperato reduxit, ut locis in pluribus septem spicas in uno culmo conspiceres. Euentu tali ^asitis uobis^a esse commonitum aliquid aliud subitum, insperatum, insolitum, tuis imminere diebus.^α

181. Anno regni regis predicto obiit Lodowicus rex Francie cui successit Philippus filius eius in regnum Francie; eodem anno noua moneta in Anglia.

182. Anno tricesimo regni sui obiit Henricus rex iunior filius regis Henrici predicti, numquam regno potitus, tertio idus Iunii [11 June].

183. Anno tricesimo secundo regni sui Heraclius patriarcha Ierosolomitani uenit in Angliam pro auxilia a rege postulando ad succarrendum terram sanctam.

184. Anno sequenti obiit Galfridus [comes Britannie]^b filius predicti regis apud Parisius [et ibi sepultus est].^c

fo. 36 **185.** Anno gracia millesimo centesimo octogesimo septimo [capta est crux domini]^a a Sara|cinis in bello et abducta, rex Ierusalem captus est, et Acon et omnes fere muntitiones terre sancte.

^{a-a} satis debes, *Diceto, i, 436; Ann. Merton, fo. 166r.*

^b *Supplied from Ann. Merton, fo.166r.*

^c *Supplied from Ann. Merton, fo.166v.*

186. Anno sequenti rex Francie et predictus rex Anglie pace formata inter eos cruces susceperunt apud Gisoxtium et multi alii principes, archiepiscopi, episcopi et populus innumerabilis eundi in terram sanctam.

187. Anno ultimo uite predicti regis orta est iterum guerra inter ipsum et predictum regem Francie, et filius suus Ricardus comes Pictauiæ primo stetit cum eo contra regem Francie. Postmodum uero idem Ricardus in parlamento de Beuesiu, presente et nolente patre suo, predicto regi Francie fecit humagium et ipsi adhesit: unde prefatus Henricus secundus ultramodum motus in iram proprii sanguinis sui perturbatione in lectum incidit, ubi diem clausit extremum secundo nonas Iulii [6 July] et sepultus fuit ad Fonteueroth. Eodem anno extitit magna fames et mortalitas hominum grandis.

188. *De Ricardo rege.*

Predicto rege mortuo successit predictus Ricardus filius eius in regnum Anglie, et coronatus est a Baldewino archiepiscopo Cantuarie tertio nonas Septembris [3 September] apud Westmonasterium anno gratie millesimo centesimo octogesimo nono. Nocte sequenti facta est maxima strages Iudeorum in Londoniis et domus eorum ex magna parte igne sunt consumpte.

189. Anno primo regni sui Baldewinus archiepiscopus Cantuarie celebravit consilium apud Westmonasterium undecimo kalendas Marcii [19 February], ibique ualedicens fratribus uersus Ierusalem iter arripuit. Predictus rex Anglie Ricardus et predictus Philippus rex Francie modico elapso tempore post Natiuitatem sancti Iohannis [baptiste [24 June] iter aggressi sunt eundi]^b Ierusalem et infinitus [populorum numerus]^c cum eis cruce signatus. Eodem anno Willelmus Helyensis episcopus legationem adeptus est et septimo decimo kalendas Nouembris [16 October] apud Westmonasterium consilium

^a Supplied from *Ann. Merton fo. 166v. Marginal ins. crux.*

^b Supplied from *Ann. Merton, fo. 167r.*

^c Supplied from *Ann. Merton, fo. 167r.*

celebrauit. Illo anno obiit Fredericus imperator Romanorum in itinere uersus Ierusalem, et predictus Baldewinus archiepiscopus Cantuarie, et Ranulfus de Granuilia.

190. Anno secundo regni sui idem rex et rex Francie profecti sunt a Missena uersus terram sanctam ante Dominicam Palmarum [7 April]; et postea, undecimo kalendas May [21 April], applicuit rex Francie ad Acon, et rex Anglie quarto nonas Iunii [2 June] *ibidem applicuit*; postea capta est Acon, quarto idus Iunii [10 June] a Christianis. Eodem anno coronatus est Henricus filius predicti Frederici in imperatorem a Celestino papa quinto decimo kalendas Iulii [17 June]. Hoc anno Galfridus Eboracensis archiepiscopus Turonis consecratus ueniens in Angliam Doobernie uenit, [qui]^a comperiens sibi insidias preparari a conplicibus Helyensis episcopi cancellarii regis in ecclesiam se recepit; qui deinde a satellitibus predictis uiolenter abstractus in castellum Dowobernie ductus est et per aliquot dies ibi detentus donec a Iohanne comite fratre suo et ceteris iusticiis regis liberatus est. Post breue spacium illius temporis predictus cancellarius sublimitate quam prius habuit priuatus Dowoberniam uenit, qui dolose transfretare cupiens muliebri habitu se inreueranter occultauit; quem quidam comperientes eum deprehenderunt et contumeliis affecerunt et huiusmodi factum iusticiariis nunciauerunt: nec mora postea idem cancellarius transfretauit.

fo. 36^v

191. Anno sequenti predictus rex Ricardus grediens a Ierosolimis interceptus est in Allemannia a duce de Hostrice inter festum sancti Andree [30 November] et Natale Domini et retentus ab imperatore Alemanie; qui postea redemptus fuit pro centum mille marcis sterlingorum. Ad quam redemptionem perficiendam uniuersi calices ecclesiarum per Angliam confracti sunt et conflati, preter illos qui redempti sunt cum aliis thesauris ecclesiarum. Eodem anno Hubertus Walteri Sareses episcopus factus est archiepiscopus Cantuarie et intronisatus septimo idus Nouembris [7 November].

192. Postea anno quinto regni sui liberatus est predictus rex a potestate predicti imperatoris, pridie nonas Februarii [4 February], et tercio idus Marcii [13 March] apud Sanwiz applicuit, et feria quarta post apud Londonias cum magno aparatu receptus est. In kalendario dies fuit mala quando iste rex fuit

^a *Supplied from Ann. Merton, fo.167r.*

coronatus, dies mala quando suscepit crucem, dies mala quando exiuit de terra sua uersus terram sanctam, dies mala quando captus fuit in Almanea, dies mala quando liberatus est. Postea idem rex, quinto decimo kalendas May [17 April], apud Wintoniam coronatus est et, quarto idus eiusdem mensis [12 May], transfretauit in Normanniam.

193. Anno sexto regni illius regis predictus Hubertus Cantuarie archiepiscopus, secundo kalendas May [30 April], suscepit legacionem tocius Anglie et Wallie et Scoscie et eciam Eboracensis ecclesie.

194. Postea anno septimo regni illius Willelmus cognominatus 'cum Barba' per procuracionem Londoniensum suspensus est octo ydus Aprilis [6 April], et cum eo nouem ex sociis eius.

195. Anno sequenti obiit predictus Willelmus Heliensis episcopus regis cancellarius kalendis Februarii [1 February].

196. Postea anno nono regni ipsius, circa festum sancti Michaelis [29 September], mutatae sunt omnes carte quas idem rex prius fecerat nouo sigillo sue.

197. Ultimo uero anno regni sui ipse obsidens castellum de Chaluz uulneratus est a iaculo baliste in humero sinistro septimo kalendas Aprilis [26 March]; qui statim postea diem clausit extremum, septimo idus^a Aprilis [7 April], apud Chaluz, et sepultus apud Fonteueraud ad pedes patris sui tertio idus eiusdem mensis [11 April].

198. *De Iohanne rege.*

Predicto rege Ricardo pro dolor sic mortuo sine liberis successit in regnum Anglie Iohannes frater eius, cognominatus Sineterra, et coronatus est a Huberto Cantuarie archiepiscopo sexto kalendas Iunii [27 May], scilicet tunc temporis die Assensionis apud Westmonasterium, anno gratie millesimo

^a *Ins. above line.*

centesimo nonagesimo nono; qui, collecta multitudine magna militum et peditum et nauium apud Scorham, **quarto** decimo kalendas Iulii [18 June] transfretauit in Normanniam.

199. ^aAnno eodem desponsauit idem rex filiam comitis de Angelaum Isabellam nomine et fecit eam coronari in reginam apud Westmonasterium octauo idus Octobris [8 October].

200. Septimo anno regni sui cepit idem rex terciam decimam partem **omnium** catallorum et auerorum tocius Anglie, tam de uiris religiosis quam de laicis.

201. Eodem anno electus fuit apud curiam Romanam magister Stephanus de Langedone, pro qua eleccione rex motus in iram fecit expelli omnes de ecclesia Cantuarie monachos; et expulsi sunt sexaginta quatuor in una die, scilicet in festo Translacionis sancti Swythuni [15 July].

fo. 37 **202.** Eodem anno natus est ei quidam filius nomine Henricus in festo sancti Remigii [1 October]. |

203. Hoc anno factum est interdictum generale in Anglia a domino papa Innocencio tercio quia Iohannes rex noluit admittere predictum Stephanum archiepiscopum in sede sua Cantuarie neque monachos ad institutionem domus sue. Incepit autem interdictum nono kalendas Aprilis [24 March].

204. Anno predicti regis **nono** natus est ei filius, sciiicet in uigilia Epiphanie [5 January], et uocatus est Ricardus.

205. Anno eiusdem regis **decimo** idem rex captiuauit omnes Iudeos per totam Angliam et spoliauit eos usque ad sexaginta sex mille marcarum argenti.

206. Item eodem anno destruxit omnes domos alborum monachorum per totam Angliam, circa festum sancti Martini [11 November], ita quod predicti monachi per diuersas domos dispersi sunt; et annumerata est redempcio eorum usque ad triginta mille marcarum et tria mille marcarum et trecentas marcas et triginta tres marcas.

^a *Scribe 1.*

207. Hoc eciam anno fecerunt finem uersus eundem regem omnes domus religionis per Angliam constitute, tam monachorum quam canonicorum, hospitalarum et templariorum circa Pascha.

208. Anno predicti regis tercio decimo idem rex congregato exercitu fere tocius Anglie et Londoniensibus uenit apud Doueriam, tercio kalendas Maii [29 April], resistendo contra Philippum regem Francorum, qui ad monicionem predicti pape Innocencii magnum exercitum congregauerat in partibus suis ueniendi in Angliam super predictum regem Iohannem.

209. Vnde statim facta est concordia inter dominum papam et dictum regem et iurata a multis comitibus terre hoc modo: quod idem rex recipiet bona pace Stephanum archiepiscopum Cantuarie et ceteros episcopos Anglie et restituet eis omnia ablata, et satisfaciet sancte ecclesie in omnibus et clericis et laicis et aliis quibus causa interdicti dampna illata sunt. Idem uero rex obligauit regna sua Anglio et Hibernio reddendo inde annuatim Romane ecclesie mille marcarum sterlingorum, scilicet pro regno Anglie septingentas marcas et pro regno Hibernie trecentas marcas; et tunc absolutus est idem rex prius tamen prestito iuramento quod in omnibus satisfaceret sancte ecclesie de ablatis restituendis.

210. Anno predicti regis quarto decimo relaxatum est predictum interdictum in ecclesia Sancti Pauli Londoniis in die sanctorum Processi et Marcelliani [2 July], presente ibidem Nicholao apostolice sedis legato et Stephano Cantuarie archiepiscopo et multis aliis; quod interdictum durauit per totam Angliam per sex annos et per quatuordecim ebdomadas et tres dies.

fo. 37^v

211. Anno quinto decimo cruce signatus est idem rex | a domino Willelmo^a Londoniarum episcopo in ecclesia Sancti Pauli et quamplures magnates Anglie in Capite Quadragesime [4 March], tunc temporis quarto nonas Marcii.

212. Eodem anno orta est gwerra inter ipsum regem et barones suos, circa festum Inuencionis sancte Crucis [3 May], quia ipse noluit permittere eos uti libertatibus suis quas habuerunt per

^a *Ins. above line.*

cartas predecessorum suorum regum Anglie. ^aQui uero barones, licet fuissent de diuersis partibus regni Anglie, tamen omnes fuerunt uocati Norences;^a qui, in uigilia sancti Iohannis Ante Portam Latinam [5 May], defidere fecerunt eundem regem per quendam canonicum nigrum apud Redinges. Ipsi autem fecerunt Robertum filium Walteri et Galfridum de Maundeuile marescallos exercitus eorum, quem exercitum ipsi uocauerunt exercitum Dei.

213. Anno eodem reddita^a est ciuitas Londoniarum baronibus, sexto decimo kalendas Iulii [16 June], in die Dominica ante horam primam nullo resistente nec ictum apponente; qui barones cum Londoniensibus confederati sunt et iurati se nullam pacem facturos cum rege sine assensu utriusque partis. Postea, die Martis ante festum sancti Iohannis baptiste [23 June], ^afacta est pax^a inter predictum regem et barones in prato qui uocatur Runmade inter Stanes et Wyndleshoram, domino Stephano archiepiscopo mediante cum aliis suis coepiscopis suffraganeis: ^bet super hoc fecit idem rex cartam suam que nuncquam fuit obseruata.^b

214. Postea eodem anno, post festum sancti Bartholomei [24 August], apud Stanes ^bcaptum est parlamentum^b ubi predictus archiepiscopus et fere omnes episcopi Anglie et predicti barones conuenerant, et fecerunt ibi moram per tres dies continuos. Idem uero rex absentauit se et noluit ibi uenire, set misit nuncios suos in partes transmarinas pro militibus et seruientibus ut uenissent cum equis et armis in Angliam bellaturi cum dicto rege contra dictos barones.

215. Et hac de causa ipsi barones miserunt pro Lodewyco filio primogenito Philippi regis Francie ut ueniret eis in auxilium et fecerunt ei securitatem et per cartas et per obsides missos ei ultra mare; et similiter et eodem modo fecerunt Londonienses.

216. Anno sexto decimo regni sui applicuit idem Lodewycus apud Tanatos in Insulam septimo kalendas Iunii [26 May], qui ueniens uersus Londonias cepit castellum de Roucestria, et, die Iouis in ebdomoda Pentecostes [2 June], uenit Londonias et ibi cum magna processione in ecclesia Sancti Pauli receptus est; et in crastino barones et ciues Londoniarum fecerunt ei homagia apud Westmonasterium.

^{a-a} *Marginal ins. scribe 1.*

^{b-b} *Marginal ins. scribe 1.*

fo. 38 ^αPostea multa castra uel reddita sunt ei uel ab eo capta, scilicet: castellum de | Reigate, castellum de Geldeford, castellum de Farenham, ciuitas Wyntonie cum castro, castrum de Odiham. Postea ipse Lodewycus, die Lune post festum sancte Margarete [25 July], duxit magnum exercitum apud Doueriam et moram fecit in obsessione dicti castri per quindecim septimanas, **set nichil adquisiuit**; set recessit et uenit apud Lambeheth die Veneris ante festum sancti Leonardi [4 November], et, in festo sancti Leonardi [6 November], reddita est ei turris Londoniarum in hora uespertina.^α Postea ultimo anno regni sui, quarto decimo kalendas Nouembris [19 October], ipse rex dum portaretur super feretrum caballinum egrotus, ut dicitur, obiit inter Stanford et Muncerel, et ita ipse qui cognominatus erat Sineterra obiit sine terra. Regnauit autem in Anglia idem rex septendecim annis et mensibus quinque et diebus quinque qui multa mala et pessimas crudelitates fecerat que non sunt scripta in libro hoc.

217. Anno Domini millesimo ducentesimo sexto decimo.

<H>enricus^a statim post mortem dicti regis, in festo Simonis et Iude [28 October], scilicet filius suus primogenitus, ^αquia propter gwerram perseuerantem Londonias uenire non potuit,^α coronatus fuit apud Glouuerniam, presentibus ibidem domino Gallo domini pape legato; dominis Petro Wyntoniensi, Iocelino Batoniensi, Willelmo Cicestrenci^b episcopis; domino Willelmo Marescallo, comite de Ferrariis, et ^βWillelmo Briwere^β et Isabella regina matre eius. Fuit autem puer tempore quo coronatus est etatis nouem annorum et uiginti septem dierum. Postea predictus Lodewycus cum exercitu suo cepit castellum de Herteford et castrum de Berkamstede circa festum sancte Lucie [13 December]; et tunc facte sunt treuge inter iuuenem regem et predictum Lodewycum; ^γqui uero Lodewycus capta uilla de Rya in comitatu Sussexie ibidem transfretauit.^γ Postea anno millesimo ducentesimo septimo decimo uenit iterum dictus Lodewycus in Angliam cum magno exercitu.

^a A space left for an illuminated H.

^b Supplied by scribe 1 over an erasure, originally Cestrensis.

218. Anno eodem, in crastino sancti Dunstani [20 May], apud Lincolniam regales et barones conflixerunt, ubi regales habuerunt uictoriam, et capti sunt de baronibus numero duo et quinquaginta, et comes Percie occisus est.

219. Eodem tempore Eustacius dictus Monachus dux exercitus predicti Lodewyci ueniens in Angliam per mare cum innumerabili populo peditum et equitum armatorum, qui in mare interfectus est antequam applicuisset, et omnes quos duxerat secum occisi sunt siue capti ab Anglicis.

220. Anno eodem, tercio idus Septembris [11 September], facta est pax inter predictum regem Henricum et predictum Lodewycum apud Kingestonam per dominum Gallonem legatum domini pape, existente ibidem | et congregato per preceptum domini regis maximo exercitu militum et liberorum tenencium ab omni parte tocius Anglie, qui omnes fuerunt crucesignati in pectore per predictum legatum eundi super predictum Lodewycum et Londonienses et complices eorum. ^aIpse uero Lodewycus et milites sui, qui ibidem presentes fuerunt eodem die, fuerunt absoluti. Nam antea dominus papa ipsum Lodewicum et omnes qui steterunt contra regem Anglie excommunicacionis uinculo innodauerat,^a eo quod ipse rex fuit in proteccionem domini pape, quasi firmarius suus de terra sua Anglie et de terra Hybernie per concessionem Iohannis regis patris sui, sicut prescriptum est. Et sciendum est quod predictus papa Innocencius tercius semper in litteris suis uocauit predictum regem Anglie uasallum suum.

221. Postea, nono kalendas Octobris [23 September], uenerunt apud Mertonam dominus legatus, dominus Lodewycus et omnes fere magnates Anglie, comes Britannie et multi alii de Francia ubi firmata est pax inter ipsos. ^aEt sciendum est quod idem Lodewycus potuit licite et secure repatriare et exire de Anglia ^asine aliqua obligacione^a cum omnibus suis si uellet permittere regem

^{a-a} *Marginal ins. scribe 1.*

Anglie capere uindictam de Anglicis qui steterunt contra ipsum et patrem suum in predicta gwerra. Set ipse^a noluit quod aliquis qui ei adhesit fuisset extra pacem: unde ipse Lodewycus per assensum Londoniencium et per assensum baronum et militum Anglie tunc cum eo presencium, qui uero fuerunt perpauci quia maior pars ipsorum capta fuit in conflictu apud Lincolniam, et plures contra sacramentum quod ei fecerunt quando uenit in Angliam recesserunt ab eo et adheserunt domino regi Anglie, assensum prebuit ad predictam pacem confirmandam sub forma subscripta, uidelicet: quod omnes transgressiones in predicta gwerra facte omnino sint condonate; et quod omnes prisonos capti in conflictu Lincolnie et omnes qui capti fuerunt in mare ubi Eustacius dictus Monachus interfectus fuit, exceptis illis qui antea fecerant finem pro redempcione sua, sunt liberati et soluti.^α

fo. 39 **222.** Dominus uero rex Anglie concessit et carta sua confirmauit omnibus liberis hominibus regni sui omnes libertates et liberas consuetudines quas habuerunt tempore predecessorum suorum^b regum Anglie, cum augmentacione aliarum libertatum in predicta carta contentarum, | ^αque quidem carta quia dominus rex nullum proprium sigillum tunc temporis habuit propter minorem etatem, sigillata fuit sigillo predicti legati et sigillo domini Willelmi Marescalli Anglie senioris rectoris predicti regis et regni sui.^α

223. Dicta uero carta postea anno regni predicti regis nono fuit renouata et sigillo suo proprio sigillata, et tunc temporis idem rex fecit eis cartam de foresta per quam multum fuerunt alleuiati de grauamine et molescia; nam antea quilibet homo pro una fera capta fuit oculis uel uita priuatus, qui postea pro tali transgressione fuerunt tantummodo

^a *Ins. above line.*

^b *Ins. above line.*

in carcerati et grauiter redempti. Pro predictis uero cartis dedit uniuersitas Anglie tam clerici quam laici dicto regi quintam decimam partem omnium mobilium suorum.

224. In predicta uero pace concessit predictus Lodewycus quod ipse^a et omnes quos adduxerat in Angliam statim exeundi de Anglia festinarent nuncquam cum equis et armis in Angliam reuersuri.

225. Predictus uero Lodewycus concessit quod quam cito fuisset in regem Francorum coronatus, quod Normanniam et omnes terras transmarinas quas Philippus rex Francie pater suus Iohanni regi abstulerat, predicto regi Anglie restitueret. Que quidem forma pacis in omnibus sacramento prestito et litteris ex utraque parte fuit confirmata.

226. Post hoc dictus Lodewycus uenit Londoniis capiens licenciam a Londoniensibus et a boro qui ei adhererunt, et transfretauit in patriam suam.^b

227. Vbi inueneris talem figuram^c require residuum de hiis que contingebant temporibus predicti regis in cronicis in ultima parte huius libri scriptis de maioribus et uicecomitibus Londoniarum. Et quia nulla mencio facta fuit in hiis cronicis qua de causa predicta forma pacis non fuit in omnibus obseruata, ideo super hoc uos uolo certificari sicut patebit in subscriptis.

228. Anno Domini millesimo ducentesimo uicesimo tercio mortuo Philippo rege Francie coronatus est in regem Francorum predictus Lodewycus filius suus.

229. Anno sequenti quidam alienigena nomine Faukes de Briaute, quem Iohannes rex cum aliis^d alienigenis fecit adduci in regnum Anglie, cui eciam dederat comitissam de

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 2,* Et sciendum quod predictus Lodewycus quando reuersus fuit in patriam suam mera liberalitate sua transmisit mille libras sterlingorum Londoniensibus quas ipsi ei accomodauerant.

^c *Marginal ins. scribe 1, .l.. See c. 617.*

^d *Ins. above line.*

Insula in uxorem cum omnibus possessionibus suis et multas terras ablatas a baronibus Anglie dederat ei, contra regem et regnum et pacem eius et regni tranquillitatem castrum de Bedeford iure alterius fundatum et tempore guerre pro uoluntate regis Iohannis alienatum, et alia que de dominicis regis et de terris baronum ui et uiolenter extorta possidere uidebatur, restituere contradixit et regiis mandatis obedire contempsit. Vnde dominus rex predictum castrum armis et armatis munitissimum obsedit per plures septimanas, et tandem cepit et penitus in terra prostravit in uigilia Assumpcionis beate Marie [14 August], uniuersis cuiuscumque condicionis in castro inuentis suspendio interemptis, numero plusquam sexaginta decem.

230. ^aDum uero Henricus rex Anglie fuerit in obsidione dicti castri, rex Francie Lodewycus predictus conuocatis exercitibus inopinate Pictauiam ingressus^a est occupans eam cum terris adiacentibus, circa predictum festum Assumpcionis beate Marie, contra sacramentum quod fecerat quando pax facta fuit inter ipsum et regem Anglie.

231. Vnde dominus rex statim misit ad predictum regem Francie nuncios solempnes, scilicet Stephanum Cantuarie archiepiscopum et Willelmum Marescallum Anglie iuniorem deferentes secum litteras domini regis. Cum autem constaret regi Francie de aduentu predicti Willelmi Marescalli prohibuit ne ipse ueniret in presencia sua uocans ipsum periurum et fidei sue transgressorem, eo quod ipse recessit ab eo quando fuit in Anglia contra sacramentum suum post mortem Iohannis regis Anglie et adhesit dicto Henrico regi filio suo. Veniente autem dicto archiepiscopo coram rege Francie et litteris regis quas tulerat lectis et intellectis, rex Francie sine aliquo colloquio cum consilio suo habito statim respondit, dicens ^a“Quia rex Anglie formam pacis inter nos compositam quando fui in Anglia non obseruauit, suspendens ciuem Londoniensem sine iudicio Constantinum nomine filium Alulfi, eo quod cum aliis Londoniensibus michi adhesit, ideo non teneor illam compositionem pacis de cetero tenere. Set Normanniam cum

^a *Marginal ins. scribe 2*, Predictus uero Faukes abiurans regnum exiit a terra.

terris adiacentibus, quas pater meus michi reliquit, uolo possidere, et ceteras terras regis Anglie cismarinas uolo perquirere pro posse meo.’^a

fo. 40 **232.** Cum tale uero responsum habito et non alio recessit dictus archiepiscopus et uenit in Angliam; et ita dictus rex Francie Normanniam cum pertinentiis et multas alias terras quas postea perquisiuit, possedit | omnibus diebus uite sue et reliquit illas Lodewyco filio suo post eum regi Francie.

233. ^aMemorandum que lendemeyn au uestre de la seinte Lucie [14 December], par un iedy, fust le eclips de la lune durant parmy le quartier de la nuht, l’an deu rei Edward de Carneruan, fiz au rei Edward, en son regne syme et cetera.

234. ^bMemorandum ke l’an Edward fis a rey Edward .ix.^{ime} comensa la serte de ble; fourment a de primes .j. marc, e pus a .xx. sous, e pus a .xxxij. sous le quarte durant ieces a neuue ble emey; l’an graun morine de ient e graun serte de tote manere de witayle parmi le reume. Steuene d’Abindone meyre de Loundres.

235. Memorandum l’an Edward .x. Ion de Vandegrawe meyre de Loundres. Sel han morut l’ewecce Gileberd de Segrawe Loundres. Sel han fut dur iel la simeyne de Nouel e sel han dura la serte de ble et graun morine de poure gents.

fo. 40^v **236.** Item l’an Edward .xj. Ioun de Wandegraue meyre de Loundres; Ioun Priour, Willame Fourneys, wicountes. Gileberd de Mideltone, iualaler de Norhehoumberlaund e soun frere treyne e pendus pur tresoun. Cel han l’appottoyle ordina la feste de le seyn Sacremeunt a tener le ieudi preieyn apres a la Trinite et graun pardoun. |

237. Wicountes de Londres l’an Edward .xij. Ioun Poyntel, Ioun de Dallinge; Ioun de Wandegraue meyre l’an par .iij. hans.

^a *Scribe 9.*

^b *Scribe 4.*

238. L'an Edward .xiiij. wicountes de Loundres Ioun de Prestone, Simond d'Abindone. Sel han meyre de Loundres Hamound de Gigewelle.

239. Item l'an Edward .xiiij. wicountes Renaud de Counduit, Willem Prodomme. L'eyre a la Tour de Loundres.

240. Item l'an Edward .xv. wicountes Riiard Costentein, Riiard de Haceneye. Sel an la gere d'Ecose.

241. Et waleyte le quarter de fourment .xxx. sous comensaunt l'an Edward .xviij. Hamond de liceuelle meyre; wicountes Ioun de Gantan, groser; Roier d'Eli, pessoner.

242. L'an .xviij. Nicole de Farendone meyre par le rey. Wicountes Hadam de Sallesberi, groser; Ioun d'Oxsenford, wineter.

243. Hamound de Gikewelle meyre par .ij. hans; l'an .xviij. wicountes Beneyt de Folehaum, groser; Ioun de Haustone, merser.

244. L'an .xix. wicountes Ioun Cotoun, peleter; Gilleberd de Mordone, pessoner.

245. Wicountes de Loundres Rosser Iauntecler, Riiard de Rokinge; Riiard de Beyttheyne meyre de Loundres. Le rey pris en sa terre de meyne.]

fo. 41

246. ^aVisio quam beatus Eadwardus uidit in ultimis uite sue diebus in sompnis.

Anno incarnationis Domini millesimo sexagesimo sexto beatus Eadwardus Confessor, cum regnasset uiginti tribus annis mensibus sex et uiginti septem diebus, dedicata ecclesia Westmonasterii in festo Innocencium [28 December], quam ipse construxerat ultimo anno^b regni sui, statim post dedicacionem eiusdem ecclesie infirmitate correptus cecidit in lectum. Qui infirmitatis graui dolore cepit fatigari, ita quod fere biduo iacebat

^a *Scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

quasi exanimis; tandem quasi de graui sompno euigilans, aperuit oculos et resedit, erectisque in celum manibus, ‘Deus’, inquit, ‘omnipotens, in cuius dictione cuncta sunt posita et nosci omnia antequam fiant, si ea que^a michi reuelata sunt ex ueritatis tue luce processerunt, presta uoci mee uocem uirtutis ut enarrem mirabilia tua, et discant qui me audiunt timere te in spiritu humilitatis et animo contrito placare faciem tuam ut peniteat te super malo, quod proposuisti facere populo huic’.

247. Mira res! Vix oracioni finem dederat, et ecce robur corpori et uoci uirtus accessit, resoluit ligwam gracia quam uinxerat egritudo. Assumpta igitur parabola uir beatus refert huius uisionem dicens:

248. ‘Cum adolescens in Normannia exularem, grata michi semper extitit bonorum uirorum amicitia et religiosorum uirorum consortia, inter quos duos ratione sanctitatis et bone conuersacionis eorum specialius et frequencius uisitabam. Hos uero pluribus annis transactis de hoc seculo translatis, uidi nunc paulo ante in sompnis michi assistere quid genti mee post meum obitum sit futurum ex Dei mandato referentes. Impleta est, dicunt, Anglorum nequicia, quorum iniquitas iram prouocat, uindictam accelerat, nam sacerdotes preuaricati sunt pactum Domini, polluto pectore et manibus inquinatis sancta contractant, et non pastores set mercennarii exponunt lupis oues. Lac et lanam querunt, non oues, ut detrusos ad inferos mors pastores et oues depascat. Set et principes terre infideles, socii furum, predones patrie, quibus nec Deus timori est nec lex honori, itaque nec prelati iusticiam nec seruant subditi disciplinam. Et ecce^b Dominus gladium suum uibrauit, arcum | suum tedendit et parauit illum, ostendens deinceps populo huic iram et indignacionem, immissiones insuper per angelos malos quibus traditi sunt anno uno et die uno, igne simul et gladio puniendi’. Hiis dictis ob intentam

fo. 41^v

^a *Ins. above line.*

^b *Ins. above line.*

mee genti calamitatem dolens atque suspirans dixi, 'Si conuersi egerint penitentiam, nuncquid non ignoscet Deus? Suadebo genti mee ut peniteant de preteritis et caueant de futuris et sic forte miserebitur Deus, ut non inducat super eos malum hoc grande, set qui punire preparauit aduersos recipiet in gratiam solita bonitate conuersos'.

249. 'Nequaquam' inquiunt, 'quoniam induratum est cor populi huius, et eccecati oculi et aures aggrauati ut nec audiant corripientem, nec intelligant commonentem, nec terreantur minis, nec beneficiis prouocentur'. Hiis eorum uerbis dum michi maior accresceret sollicitudo, 'Ita ne in quam irascetur Deus, et non apponet ut complaceor sit adhuc quando tot tristibus leta succedant? Aut tot aduersa qualis consolacio temperabit? Quale sperandum est in hiis malis remedium ut sicut illinc terret et contristat affliccio, ita hinc aliquantulum mulceatur diuine miseracionis promissio?'. Ad hec sancti tale michi problema proponunt.

250. 'Arbor quelibet uiridis a suo trunco decisa ad trium iugerum spacium a radice propria separetur. Que cum nulla hominis manu cogente, nulla urgente necessitate, ad suum reuersa truncum in antiquam radicem sese receperit, resumpto quoque succo rursum floruerit et fructum fecerit; tunc sperandum est aliquid in hac tribulacione solacium et de ea quequam prediximus aduersitate remedium. Hec cum dixissent, ipsi celo, uobis ego redditus sum'.

251. Postea idem sanctus in ecclesia beati Petri apostoli quam ipse a fundamentis construxerat, sepulcrum sibi fieri postulauit, suumque transitum astantibus propallauit. Omnibus igitur sicut oportebat dispositis iubet sanctus sacerdotes cum ecclesie ministris adesse, et mox exitum suum Dominice corporis et sangwinis percepcione muniuit, totum se demum commendans Deo in fide Christi et in spe |

252. ^aSeptuaginta duo fuerant et mille ducenti,

Quando uir hic obiit post partum Virginis anni;

^bPer quinquaginta sex annos atque diebus

fo. 42^v Bis decies regnum rexerat iste suum. |

253. ^cCarta libertatis episcopi Londoniarum.

Sachent touz ceus qui sunt e qui auenir sunt ke entre sire Eustace le Euesque de Lundres et le chapitre de Seint Pol de Lundres et les citeyns de Lundres est issi couenu en amur sur les destances des franchises, les queus cele euesque diseit que aparteneient a sa eglise, et les citeyns affermanz le contrarie. Ceo est a sauere ke les deuantdiz citeyns granterent qe nul uisconte ne nul baillif de Lundres desormes n'entra le sokne l'euesque de Cornhulle pur attachement fere, si la plainte ne seit plus tost mustre al uisconte ou au baillif de Lundres ke a les baillif le euesque. Ou si le larrun ne seit troue en cel sokne qui ne seit attache par le baillif l'euesque; ne meismes en cest cas si le baillif l'euesque ne seit appele, et par la uenues de li seit fet l'attachement. Et s'il ne ueut nepurquant, seit fait l'attachement par les baillif de la cite. Ensi seit ke le larrun ke le larrun seit attache par les baillifs de la cite, seit deliuerer a les baillif l'euesque a iuger en meime cel sokne en la curt l'euesque. Et quant le larrun serra iuge une moitie de ses chateus seient liuerer a l'euesque e l'autre meite au baillif de la cite. Et si le larrun seit pris ou attache par les baillif l'euesque, nul des baillif de la cite de li ne de ses chateus, s'il soient trouez en le sokne, nule chose s'entremete. Et si issi seit que pestur de les tenanz del sokne l'esuesque seit troue od pain de faus peis ^den meime le sokne^d par le uisconte, seit

^a *Scribe 2.*

^b *Scribe 1.*

^c *Scribe 10.*

^{d-d} *Ins. above line.*

atache par la ueue des baillif l'esuesque a ceo apele, et ke le pestur seit iuge en la Gildhale deuant les bayllif, s'il ueut estre; et nepurquant k'il ni soit pas mande. Et s'il seit pris hors de cel sokne, il serra iuge en la Gildhale, si le baillif l'esuesque i uenge ou non, pur quei il seit pris ou faus pain. Et s'il seit dedenz le sokne ou dehors pris od peins de faus peis trois fiez ou plusor fiez pris, et atteint, il serra puni solum la custume de la cite, ceo est a sauer tut seit il pris e atache dedenz le sokne par les baillif l'esuesque, ou pris ou attache dehors par les baillif de la cite. «Par les baillif l'esuesque est comande, s'il ueut uenir.» Puruu est ensur ke tut ke les pesturs del sokne le rei d'Escoce deiuent aider a les pesturs del sokne l'esuesque a rendre al uisconte .xxviiij. sous d'argent par an, sicum il soleient fere. Tuz les homes a des terres del fe l'esuesque ou del fe de Seint Pol <et> de lur successors, des queuz fiez l'esuesque ouek l'eglise de Seint Pol de Lundres furent seisis cel iour ke cet acord fu fet, frans et quites seient de totes custumes en Smethefeud ou aillurs de tut ceo k'il attacherunt a lur propres ho<m>es ou ke lur nest et pest; mes de tot ceo k'il atacherunt a uendre, le uisconte | de Lundres receuera les custumes deues, ou k'il oukes l'attachent; et touz les charettes qui sunt del fe l'esuesque ou del fe Seint Pol, ke sa charette les choses l'esuesque ou des chanoynes ou des homes del fe Seint Pol par tant seient franchises sanz custumes. Si issi ne seit del fe l'esuesque ou del fe Seint Pol, ke charette ne loue dekes a Londres pur porter merchandise de acun. Et si nul meyne merchandise d'acun qui par sa franchise deit estre quite, dunkes pur sa charrette durra il custume due et acustume. Ausi a l'esuesque e a ses successors cum as citeins auant ditz, et s'il meinent merchandise d'acun qui par franchise ne deit estre quite, dunque paiera la merchandise la custume due, sicum il est auantdit, e la charette serra quite. Nul uisconte ne baillif de Lundres nul manoir l'esuesque ne nul manoir de Seint Pol pur custume demander ou prendre ne deit entrer; mes prengent les en lowez as coustumes e establiz, ceo est a sauer, en Smethefeud ou aillurs hors des manoirs ou hors de lur fe. Et

fo. 43

ceo est a sauier ke ben list as baillis de la cite sanz les baillif le euesque entrer en la sokne l'euesque pur coillir le coillage le roi ou ses dettes e destreindre, sauuez soient totes assisas as citeyns de Lundres ou pur fere ent le commun pru de la cite, que <ne> seient pas <contre> les deuant diz articles. Et que cest amiable acord seit seur e estable a touz iours e nient bruse, les deuantdiz euesque et le chapitre lur seaus, et les citeins de Lundres lur sel de la commune, od les seus sire Roger le Duc le meyre de Lundres et de sire Richard Feuker en cest present escrit en la manere de cirografe en quatre parties fet ont penduz. Des queus les deux parties seelees del sel de la commune et des seaus le deuant Roger et Richard demorerent l'euesque et le chapitre, e les deus parties seeles des seaus le euesque et le chapitre demorerent od les citeins de Lundres. ^βCeo fut fet en l'an de grace .mccxxviiij. la .xx. ide de May.^β |

fo. 43^v

254. ^aL'an Edward quint.

Memorandum ke Peres de Blaceneye, wicounte de Loundres, morut .viiij. simeynes deuaunt la seyn Miel [29 September], et fut Ioun de Grauntebigge, merser, gardeyt iure pur l'awandit Peres en la bayllie ieces a la seyn Miel proieyn seuaunt en preseunse de la comeune par la maynprise des enseceours l'awantdit Peres.

255. Memorandum de wicountes de Loundres l'an Edward quint Simond de Manewourhe, beureler, Riiard de Welleforde.

256. Memorandum qe le iour seyn Simond seyn Iude [28 October] fut elu meyre de Loundres Ioun de Gisors.

257. Memorandum ke sire Peres de Gawastone, counte de Cornewayle, fus en le iattel de Scardebourk e la l'asega le counte de Garenne, le counte de Penebrok; a ques sire

^a *Scribe 4.*

Peres se rendi;^a e l'amenerent a la wile de d'Adintone.^b E la wint le counte de Warewik e prit l'awandit Peres e l'amena o lui et si au iattel de Warewik. E le lundi preieyn dewant la seyn Ioun [19 June 1312] fut l'awant sire Peres decole en hun iaunp entre Warewik e Cenilewourthe en la presense le counte de Launkatre, le counte Hereford.

258. Memorandum ke le mardi preieyn dewant la Maundeleyne [18 July] wint le rey, le counte de Garenne, le counte de Penebrok, sire Henri de Beumound, sire Simound de Maule senesal l'eweke de Loundres, a la croys en le simiteire Seyn Pol e plusours de la site de Loundres contre asemble de folcesmot; e se coniurent tenir ou lour seynur liuge en tote dreytures, sa coronne meyntenir e la cite garder a soun heirs com lour eritases. |

fo. 44

259. L'an Edward segond.

Memorandum ke la ueylle seyn Colas e lendemeyn ausey fut graun teppetee de toner e de ecleyre.

260. Memorandum de wicountes de Loundres, Iaces le Boteyller, draper; Willem' de Basinges, laner: .j. han, Nicolle de Farendone meyre de Loundres.

261. Iaces de Seynt Edmond, beuryler; Roier le Paumer, blader, wicountes:^c .j. han Tomas Romeyn meyre de Loundres.

262. Memorandum ke le dimeyne preieyn dewaun la Natiuite nostre Seinur [21 December 1309] comensa a ieller; et dura le iel par .xxvij. iours ke le peuple alerent sous la glase outre Tamisie e al tere par .xix. iours.

^a *Marginal ins. scribe 4*, Le iour seyn Dunstanus [19 May].

^b *Marginal ins. scribe 4*, Le rey fut a Eweruik.

^c *Marginal ins. scribe 4*, L'an Edward .ijj..

263. Le rey Edward ala en Ecose gerer sus Roberd de Brus.^a Simound de Corp, peuerer; item Peres de Blaceneye,^b laner, wicounte; .j. han Riier de Refam meyre de Loundres.

264. Memorandum .j. meyns dewaunt la seyn Miiel e sis semenynes apres fut morine de iens en wiles e oupelaunde a grant demesure de la maladie de flux par frut de sel hane trop en pris.

265. Fet a remembrer ke le preieyn samadi ^cdu comensemeunt^c de Careme [27 February 1311] fut Henri de Lasi, counte de Nicolle, aporte de soun outtel ou countes e barouns e .ij. iuallers armes seur iuwaus cowers, et .iiij. walles imountes portauns .iiij. baneres des armes le counte Henri duraunt le iemin ieces en la montter Seyn Pol; e le dimeyne preieyn fut entere au dettre de l'auter de Nostre Dame en le Nowel Heuure, e graunt foule. |

fo. 44^v

266. L'an Edward sime.

Memorandum ke sire Louis, fre<re> au rey de Fraunse, le cardinal Blaunk, l'ewecce de Peyters iaumberleyn la Pape windrent au rey en Loundres quinseyne dewaunt la seyn Miiel [15 September] a treter de la pes entre le rey et se countes.

267. Memorandum ke le iour seyn Brise ewecce [13 November 1312] fu ne Edward fis au rey Edward de Carnerwam en le iatel de Windelsore en la presense le cardinal Blaunc, monsire Louis de Fraunse, dame Meregrete reyne d'Engleterre; pur la quele bone nowele le meyre e les audermauns e la comune de Loundres firent fettes ^den la Giale,^d

^a *Marginal ins. scribe 4, L'an Edward quart.*

^b *Marginal ins. scribe 4, Morut en sa baylie.*

^{c-c} *Ins. above line.*

^{d-d} *Ins. above line.*

karoles de gens quentis duraun quinseyne apres, e le coundut corant de win; e de sa la croys le counte de Glousettre en Iepe, .j. toneu de win en paeloun a dependre.

268. Et la weylle de Nouel preieyn apres leua la reyne Isabel de iisine en l'awaun iattel, peurifie, a graun fette la ueylle et le iour de Nouel e lendemeyn.

269. Memorandum de wicountes de Loundres l'an awaundit, Ioun Lambin, pessonier, e Riiard de Weleford, elu a le iecere par la defaute Riiard de Horsam avant elu, ke se absentia a la lexsion e au presentement.

270. E l'awaundit Riiard de Weleford morut en le primer quarter de l'an.

271. Et fut Adam Lodecin wicounte ieces a la seyn Miiel [29 September] en soun lu iure et presente.

272. Memorandum ke le weylle de l'Aseynsioun [23 May 1313] le rey Edward e Isabelle reyne d'Eggleterre passerent la mer e awiewereunt a Wissaunt e alerent a Paris, ou le rey de Fraunse fit soun fils iuwaler e rey de Nauuare, a grant nombre de fettes le iour de la Pentecoute [3 June].

273. L'an suiuant wicountes de Loundres Roberd Bordeyn, Hue de Garton.

274. Memorandum l'an du rey Edward .viiij. fut la croys ou la pomel, tout d'ore, leue sous le cloier Seyn Pol; e l'ewecce de Loundres, Gileberd de Segrawe, metant plusours delices en l'awaundite cros en clos le wenderdi preieyn apres la seyn Miiel en l'an awant
fo. 45 [4 October 1314]. |

275. ^aHic subnotatur quomodo procedendum sit in ciuitate in placito quod uocatur assisa. ^aRequire casum in quinto folio precedenti ad tale signum T.^b

^a Scribe 1.

276. Anno Domini millesimo centesimo octogesimo nono, scilicet, primo anno regni illustris regis Ricardi, existente tunc Henrico filio Aylwyni maiore, qui fuit primus maior Londoniarum, prouisum fuit et ordinatum per discretos uiros ciuitatis ad contenciones pacificandas que quandoque oriuntur inter uicinos in ciuitate super claustris inter terras eorum factis uel faciendis, et rebus aliis; ita quod, secundum quod tunc prouisum fuit et ordinatum debent tales contenciones pacificari. Dicta uero prouisio et ordinacio uocata est assisa.

277. Ad quam assisam prosequendam et ad effectum producendam electi sunt duodecim uiri de ciuitate in pleno hustingo, et ibidem iurati quod ad illam exequendam fideliter intendent, et ad summonicionem maioris uenient, nisi causa rationabili sint impediti. Necesse est tamen quod maior pars predictorum duodecim uirorum intersint cum maiore ad predictum negocium exequendum.

278. Sciendum est quod qui petit assisam debet eam petere in pleno hustingo; et maior assignabit ei diem infra illos octo dies, quod per predictos duodecim uiros uel per maiorem partem illorum, sicut predictum est, assisa illa terminetur.

279. Si uero hustingus non sedeat, ut tempore quo sunt nundine sancti Botulfi, et tempore messium, et tempore quo Nundine sunt apud Wyntoniam, et aliquis habeat necesse ad dictam assisam petendam, gratis ei debet concedi a maiore, aliquibus de ciuibus cum maiore presentibus, et terminari, sicut predictum est, per predictos duodecim uiros iuratos uel per maiorem partem illorum, et semper in presencia maioris.

280. Predicta uero prouisio et ordinacio que assisa uocata est, talis est, ut subnotatur.

^{b-b} *Added by scribe 9.*

281. Quando contigit quod duo uicini uoluerint hospitare inter se de lapide, quilibet eorum debet prebere pedem et dimidium de terra sua; et sic construent communi custo murum lapideum inter se spicitudine trium pedum et altitudine sexdecim pedum. Stillicidium autem inter se, si uoluerint, facient communi custo ad aquam de domibus suis recipiendam et conducendam, sicut melius uiderint, expedire. Si uero <non> uoluerint, potest quilibet eorum per se facere stillicidium ad aquam stillantem de domo sua recipiendam super terram suam propriam, nisi illam possit in uicum regium perducere. |

fo. 45^v

282. Possunt eciam, si in unum consenserint, predictum murum communi custo exaltare quantum uoluerint. Et si contigerit quod quidam uelit murum illum exaltare, alter uero non, bene licet uolenti super pede suo et dimidio, quantum uoluerit, exaltare, et super partem suam edificare sine dampno alterius de proprio custo suo; et aquam stillantem recipiet, sicut predictum est.

283. Et si ambo uoluerint in muro arcus habere, fiant arcus in utraque parte profunditatis tantummodo unius pedis; ita quod spicitudi murum inter arcus sic continens unum pedem. Si autem unus uoluerit arcus habere, alter uero non, tunc ille qui arcus habere uoluerit, inueniet liberam petram et illam excidi faciet, et arcus de communi custo assedeatur.

284. Et si aliquis uelit de lapide hospitare per assisam, et uicinus eius paupertate coactus non poterit uel forsitan noluerit, tunc prebere debet per assisam uolenti hospitare tres pedes de terra sua; et alter faciet murum super terram illam proprio custo suo spissitudinis trium pedum et altitudinis sexdecim pedum; et ille qui terram prebet, debet habere dimidium murum absolutum et desuper pannam suam ponere et edificare. Et facient stillicidia ad aquam de domibus suis stillantem recipiendam et conducendam,

sicut predictum est, de muro uicinorum communi custo constructo. Semper autem licet uolenti partem suam proprio custo exaltare sine dampno alterius. Si uero arcus habere uoluerint, fiant in parte utraque, sicut predictum est. Set tamen ille, qui inuenerit terram, inueniet liberam petram et illam excidi faciet, et alter de proprio custo suo illam assedeat.

285. ^aLicet aliquis fuerit ^bper longum tempus^b in seisina quod aqua stillans de domo sua, tamen non uallata lapide, ceciderit super terram uacuum uicini sui, nichilominus potest predictus uicinus hospitare super predictam terram, quandocumque uoluerit, et amouere seuerundam predicte domus; et tunc oportet ut ille conducet aquam de predicta domo stillantem sine dampno uicini sui. Eodem modo fiat de stillicidiis cadentibus super terram uacuum.^a

286. ^cSet si stillicidium alicuius introierit in stillicidio uicini sui uel currenit per medium tenementi sui, ille uicinus non potest stillicidium illud opturare; et eciam si ille illam domum prostrauerit et illam noluerit de nouo edificare, tamen debet aquam de predicto stillicidio currentem super terram suam propriam recipere et conducere, sicut antea solebat. Set quod notum fuerit uiris de assisa quod aqua predicti stillicidii ita recepta fuerit at conducta.^c

287. Hec autem assisa non conceditur alicui per quod husseria, introitus uel exitus uel schopa ad nocumentum uicini sui extrecietur uel artetur.

288. Conceditur eciam hec assisa qui illam pecierit de terra uicini sui, licet illa fuerit hospitata, si non fuerit hospitata de lapide.

^{a-a} *Ins. at foot of fo. 45v.*

^{b-b} *Ins. above line.*

^{c-c} *Ins. at foot of fo. 46r.*

289. Si uero aliquis habeat proprium murum lapideum super terram suam propriam, altitudinis sexdecim pedum, uicinus eius debet facere stillicidium sub seuerunda domus que sita est super murum | illum, et in illo aquam stillantem de dicta domo recipere, et illam conducere super terram suam propriam, nisi illam conducere possit in uicum regium, et nichil tamen habere in predicto muro, quando edificauerit iuxta murum illum. Et si non edificauerit, semper tamen debet aquam stillantem de domo super murum illum edificata super terram suam recipere et conducere sine dampno illius cuius murus est.

290. Item nullus illorum qui habent communem murum lapideum inter se constructum, potest nec debet aliquid de parte sua illius muri prosternere uel attenuare, nec in illa arcus ponere, sine assensu et uoluntate alterius.

291. Item de cameris necessariis que sunt in domibus ciuium, ita statutum est et ordinatum quod fouea in tali camera facta, si uallata est muro lapideo debet ^aapericio dicte fouee^a distare spacio duorum pedum et dimidii a terra uicini sui, ^blicet habeat inter se murum communem.^b Si autem non sit muro uallata, debet distare per spacium trium pedum et dimidii a terra uicini sui. Et super talibus foueis assisa prebetur et conceditur unicuique qui eam pecierit et tam de antiquis quam de nouis, nisi facte fuissent ante prouisionem et ordinacionem predictam que facta fuit anno primo regni regis Ricardi, sicut predictum est. Ita quod per uisum predictorum duodecim uirorum, uel per maiorem partem illorum discussum sit si tales fouee racionabiliter facte sint an non.

^{a-a} *Marginal ins. scribe 1.*

^{b-b} *Supplied over an erasure.*

292. ^aEodem modo procedendum est super contencionibus ortis de quibuscumque foueis aquam mundam siue immundam receipientibus.^a

293. Item si aliquis habuerit fenestras uersus terram uicini sui, licet fuerit in seisinam de uisu predictarum fenestrarum per longum tempus, et eciam si predecessores sui fuerunt in seisina de predictis fenestris, tamen bene potest uicinus suus uisum illarum fenestrarum opturare edificando ex opposito illarum fenestrarum, uel ponendo ibidem super terram suam,^b sicut melius uiderit sibi expedire; nisi ille qui habet fenestras possit ostendere aliquid scriptum per quod ille uicinus non poterit uisum fenestrarum illarum opturare.

fo. 46^v

294. Item si aliquis habeat corbellos in muro uicini sui, qui murus totus est predicti uicini, ille non potest predictos corbellos amouere ut illos in aliquo | alio loco predicti muri ponat, nisi assensu illius cuius murus est; nec plures corbellos quam antea habuit in predicto muro ponere.

295. Sciendum est quod si aliquis edificet iuxta tenementum uicini sui, et uisum sit dicto uicino illum iniuste et ad dampnum tenementi sui ibidem edificare, bene potest edificacionem illam impedire, datis uadio et pleggio uicecomitibus ciuitatis de prosequendo; et tunc cessabit illa edificacio quousque per duodecim uiros predictos, uel per maiorem partem illorum, discussum sit si edificatum fuerit iniuste uel non. ^cEt tunc necesse est ut ille, cuius edificacio impeditur, petat assisam.^c

296. Die autem statuto et duodecim uiris predictis sumonitis, debet maior ciuitatis cum predictis uiris super tenementa illorum inter quos assisa petitur, accedere, et ibidem secundum uisum predictorum duodecim uirorum, aut maioris partis illorum,

^{a-a} *Marginal ins. scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Marginal ins. scribe 1.*

auditis hinc inde querimonia conquerentis et responso aduersarii sui, illud negocium terminare.

297. Potest autem uterque pars ad diem statutum se assoniare et habebunt diem a die illa in quindenam in eodem loco.

298. Si uero pars conquerens fecerit defaltam, aduersarius suus recedet sine die et pleggii conquerentis in misericordia uicecomitum. Si autem ille, de quo querimonia facta fuerit, fecerit defaltam, nichilominus procedet assisa et per considerationem predictorum duodecim uirorum uel per maiorem partem illorum; et quod^a per illos iudicatum fuerit debet per uicecomites illi qui fecit defaltam intimari, ut quod iudicatum fuerit infra quadraginta dies proximo sequentes ad effectum perducatur.

299. ^bEt sciendum est quociens predictum iudicium infra quadraginta dies non fuerit perfectum, et super hoc querimonia facta fuerit maiori Londoniarum, tunc debent duo uiri de assisa uel tres per preceptum maioris ibidem accedere; et si uiderint quod ita sit, tunc erit ille contra quem assisa processit in misericordia uicecomitis; et uicecomes proprio custu ipsius illud iudicium statim perducere ad effectum tenetur.^b

300. Item si quis habet murum inter se et uicinum suum constructum, in summitate muri panna sua et meremio suo totum coopertum, licet uicinus suus habeat in predicto muro corbellos uel trabes ad sustentandum solarium suum, uel eciam arcus siue almaria; qualicumque modo ipse uicinus illa habuerit in predicto muro, uel ex concessione illius qui murum habet coopertum seu antecessoris sui uel eciam illis ingnorantibus, tamen nichil amplius potest in predicto muro exigere nec habere quam habet in seisinam sine assensu | illius qui murum habet coopertum; et debet recipere

fo. 47

^a *Marginal ins. scribe 1.*

^{b-b} *Ins. at foot of fo. 47r.*

aquam stillantem de domo super murum edificata sub seuerunda dicte domus, sicut predictum est in hoc libro, et conducere proprio custu suo.

301. Item si quis habet duas partes unius muri et uicinus habeat nisi terciam partem, tamen ille uicinus potest super partem suam pannam suam ponere et edificare ita libere sicuti ille qui habet duas partes muri illius: et eodem modo debent fieri stillicidia inter ipsos, sicut prenotatum est in hoc libro, de illis qui habent inter se murum in toto communem; set tamen quod ^ailla pars sit altitudinis sexdecim pedum.^a

302. Item sciendum est quod predicta assisa non procedit, nisi testificatum fuerit quod ille uersus quem assisa petitur fuerit sumonitus. Et si testificatum fuerit, tunc apparente petente assisam et duodecim uiris de assisa, uel maiore parte illorum, cum maiore ciuitatis procedat assisa, si ipse summonitus uenerit an non. Potest tamen ipse assoniare se ad predictam diem et habebit diem usque ad quindenam, sicut predictum est.

303. Item sciendum est quod si^b testificatum fuerit per uicecomites quod ille uersus quem assisa petitur non fuerit in ciuitate, tunc eodem die^c remanet assisa, et dicetur per uicecomites illis qui in tenemento manent, de quo assisa petitur, quod ille, cuius tenementum est, sit premonitus ut ueniat a die illa in quindenam; et tunc, si uenerit, an non uenerit nec se assoniauerit, procedat assisa.

304. Item si contingat quod homines de assisa non uenerint super terram de qua assisa petitur per aliquod impedimentum, tunc necesse erit ut illa assisa de nouo petatur uel in hustingo uel illo modo, quo pro diuersitate temporum fieri solet, sicut in hoc libro prenotatur. Si ipsi autem super terram uenerint, presentibus partibus litigancium et

^{a-a} *Marginal ins. scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

^c *Ins. above line.*

maior pars duodecim uirorum absens fuerit, licet tunc assisa remaneat, possunt tamen continuare diem illum usque in crastinum uel ad quem diem uoluerint infra quindenam sequentem.

fo. 47^v **305.** Memorandum quod temporibus antiquis maior pars ciuitatis hospitata fuit de lingno, et domus cooperte de stramine et | stipula et de huiusmodi coopertura. Ita, quando aliqua domus ingne fuerit accensa, maxima pars ciuitatis illo ingne fuit combusta, sicut contingebat anno primo regni regis Stephani ^aut in cronicis in hoc libro prescriptis notatur;^a scilicet quod de^a ingne qui accensus fuit ad pontem Londoniarum, combusta fuit ecclesia Sancti Pauli, et deinde processit ille ignis comburendo domos et edificia usque ad ecclesiam Sancti Clementis Danorum. Postea multi ciues ad euitandum tale periculum pro posse suo edificauerunt in fundis suis unam domum lapideam spiscis tegulis coopertam et munitam contra seuciam ignis, unde sepe contingebat quod quando ignis accensus fuerit in ciuitate et multa edificia uastauerit et peruenerit ad talem domum, non potens illi aliquid nocere, ibidem remansit extinctus; sic quod multe domus uicinorum per illam domum ab igne fuerunt omnino saluate.

306. Ideo in predicta ordinacione que assisa uocatur, ordinatum fuit et prouisum ut ciues libenti animo^b hospitarent de petra, quod unusquisque qui habuerit murum lapideum super terram suam propriam ^caltitudinis sexdecim pedum^c illum possideat ita libere et digne, sicut in hoc libro predictum est; uidelicet quod uicinus suus semper debet recipere aquam de domo super murum illum^d edificata super terram suam et illam conducere proprio custu suo. Et si uoluerit hospitare iuxta dictum murum, debet stillicidium suum sub seuerunda dicte domus facere ad aquam recipendam; ita quod

^a *Ins. above line.*

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Marginal ins. scribe 1.*

^d *Ins. above line.*

dicta domus remaneat segura et defensibilis contra seuciam ignis aduenientis, et sic per eam multe domus uicinatorum possunt saluari et a^a uiolencia ingnis indempnes conseruari.

307. Si quis uoluerit murum totum super terram suam propriam edificare, et uicinus suus petat aduersus eum assisam, in eleccione illius erit aut communicare construendo communem murum inter ipsos aut edificare murum super terram suam propriam, et illum habere et possidere ita libere et digne, sicut predictum est. Potest tamen uicinus suus, si uoluerit, iuxta predictum murum alium talem murum edificare et eiusdem altitudinis. Et tunc quidem fient stilli|cidium aut stillicidia inter ipsos eodem modo, sicut predictum est de communi muro.

fo. 48

308. Memorandum quod quociens uiri de assisa uenerint super terram de qua assisa petitur, partibus litigancium presentibus, semper debet unus de predictis exigere uersus quem assisa petitur, si^b sciat aliquid dicere per quod assisa debeat remanere. Et si dixerit quod non, statim procedit assisa. Si autem dixerit se habere cartam ipsius qui petit assisam uel alicuius antecessoris sui et illam proferat, illa statim allocetur ei. Set si dicat quod ipse habebit illam cartam ad diem et terminum, tunc dabitur ei dies ad quindenam; ad quem diem poterit se assoinare et habebit diem usque ad aliam quindenam. Ad quam diem, si proferat illam cartam, allocabitur ei; et si ad predictum diem non uenerit, seu uenerit et cartam non produxerit, statim sine ulteriori dilacione procedat assisa.

309. Memorandum quod hec assisa omnibus modis, ut prenotatur in hoc libro, procedit et agendo et defendendo tam uersus illos qui sunt infra etatem quam uersus alios qui sunt de plena etate; ita quod propter tenerem etatem alicuius assisa predicta

^a *Ins. above line.*

^b *Ins. above line.*

non impeditur. Set quia talis non habet discrecionem quod sciat agere uel defendere in aliquo placito, necesse est ut custos illius et ipse coniunctim submoneantur; ita quod custos suus omnino respondeat pro eo omnibus modis, quibus placitaret, si causa illa esset sua propria; et tunc quod inde factum fuerit per iudicium sine reclamacione illius, qui fuerit infra etatem, quando ad etatem peruenerit firmum et stabile permanebit.

310. Item si quis fecerit pauimentum in uico regio ad nocumentum ciuitatis et uicini sui iniuste, bene potest ille uicinus illud prohibere per balliuos ciuitatis; et ita remanebit quousque per uiros de assisa sit discussum et terminatum.

311. ^aEt sciendum quod non pertinet ad uiros de assisa ad emenda<ndu>m aliquam occupacionem, de qua aliquis habuerit pacificam seisinam per unum annum et unum diem. |

fo. 48^v

312. ^bWyntoniences episcopi.

Primus apud West Saxones beatus Birinus in Dorsetria sedit episcopus. Post eum Agelbertus, Leutherius, sanctus Hedda, quo defuncto diocesis eius diuisa est in duas: una data est Danieli, uidelicet Wyntonia; altera sancto Aldelmo, Schireburnia. Successit Danieli: Hunfredus, Kinehardus, Edelardus, Egbad, Dud, Kinebero, Almoth, Wydem, Herefrid, Eadmundus, Elmstan, Swithunus, Alfridus, Dunbertus, Denewlfus, Fridestanus, Brinstanus, Elfegus, Elsius, Bricthelmus, Alwoldus - hic clericos expulit et monachos induxit, Elfegus, Elnodus, Elsius, Elfwinus, Stigandus, Walkeninus, Willelmus, Henricus, Ricardus, Godefridus de Lucy, Petrus de Rupibus, Willelmus de Raile, Hemerus frater Henrici regis tercii ex matre sua, Iohannes ^cmissus Romam per legatum ubi obiit,^c Nicholaus presulatus in sedem Wintonie anno Domini millesimo ducentensimo sexagesimo septimo, antea Wygorniensis.

313. Saresberientes episcopi.

^a *Scribe 2.*

^b *Scribe 1.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

In Schireburnia primus sedit episcopus Aldelmus, Fordehere, Herewoldus, Adelmod, Denefrid, Wlbertus, Alstanus, Edmundus, Edelgus, Alcius, Asserus. ^aDeinde in tres parochias diuisa est: unam tenuit Adelwaldus, id est Schireburniam; alteram tenuit Athelmus, id est Wellensem ecclesiam; terciam Eadulfus, id est Cridiensem ecclesiam.^a Sigelmus, Werstanus, Adelbaldus, Aluredus, Wlsinus, Alsiwoldus, Edelricus, fo. 49 Edelsius, Brichwinus, Alwoldus - hic mutauit sedem in Malmesberiam, Elstanus, Odo, Osulfus, Algarus, | Elstanus, Siricius, Aluericus, Brichthwoldus, Heremannus - hic transtulit eamdem sedem Salesberiam, Osmundus, Rogerus, Iocelinus, Hubertus, Herebertus. Ricardus, Robertus, Willelmus dictus de Euerwik, Egidius, Walterus obiit^a anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo.

314. Wygornientes episcopi.

Beatus Theodorus archiepiscopus Cantuarie cum consensu Adelredi regis Mericorum dioscesim Saxsulfi episcopi in quinque diuisi<t>, cui episcopali sede in ciuitate constitua Leogera; Cudwynum ad Licheffeldam; Edwynum ad Lindesim prouinciam; Edam ad Dorchecestram; Bosel ad Wygorniam ordinauit^a episcopos. Post Bosel: Ostro, Egwynus, Milredus, Wermundus, Tilherus, Headoredus, Denebert, Alwynus, Vuerferd, Edelhinus, Coenwaldus, Dunstanus, Oswaldus - hic clericos expulit et monachos induxit in ecclesia Wygornie, Aldulfus, Wlstanus, Leolsius, Brichtege, Liuingus, Aldredus, Wlstanus, Samson, Theolfus, Simon, Iohannes, Alueredus, Rogerus, Baldewynus, Willelmus, Robertus, Henricus, Iohannes, Malgerius, Siluester,^b Willelmus, Walterus de Cantilupo, Nicholas postea Wyntoniencis, Godefridus Giffard consecratus anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octauo. | fo. 49^v

315. Lincolniences episcopi.

Dorchecestria est uilla in pago Oxnefordensi ibi post Adead hii episcopi fuerunt: Adelwynus, Edgarus, Kynebertus,^a Lewinus - qui ambos coniuxit episcopatus, Elnod, Ascwy, Alfemus, Ednod, Adericus, Ednod, Wlwi, Remigius - hic sedem transtulit ad Lincolniam ciuitatem ibique fundatam ecclesiam canonicis multis impleuit. Cenobium monachorum apud Sanctam Mariam de Stowe adauxit, alterum apud Baldeneie ex ueteri fauore suo innouauit. Successit ei Robertus qui monacos apud Stowe sumoueri et apud Egenham

^a *Supplied over an erasure.*

^b *Marginal ins. scribe 3.*

locari iussit. Successit Alexander, Robertus, Galterus, Hugo, Willelmus, Hugo, Robertus ^aGroseteste, Henricus de Lexontune, Ricardus de Grauesende.^a

316. Eliences episcopi.

Annus ab incarnatione Domini millesimus centesimus nonus tunc temporis effluebat quando rex Henricus filius regis Willelmi, consilio uenerabilis patris Anselmi Cantuarie archiepiscopi simul et auctoritate summi pontificis Urbani secundi, statum mutauit in alterum monasterium Eliense, cui preerat abbas Simeon et ipsum infulis episcopalibus insigniri decreuit, perficiens ibi Herueum Bangorensem episcopum, uirum sicut dicitur religiosum, cui curam de salute sua commiserat, et ad anime sue proficuum potius attendebat quam ad aliquid commodum temporale. Ne uero Lincolniensis ecclesia detrimentum pateretur in aliquo, manerium quoddam quod uocatur Espaldwick, Eliensibus monachis ab antiquis collatum temporibus, Robertus Bloet Lincolniensis episcopus in escambium sue iurisdictionis in proprios usus conuertendo accepit. Herueus predictus accedens ad ecclesiam Eliensem eam multis possessionibus dilatata inuenit, eam ornamentis preciosissimis decorata, iuxta profeticum illud 'erit deauratio in templis', plurimum adaugere curauit. Herueo successit Nigellus regis Tesaurarius. **Post hunc Galfridus.**

570. Isti fuerunt primi uicecomites London' facti ad festum sancti Michaelis [29 September], anno gracia millesimo centesimo octagesimo octauo, anno primo regni regis Ricardi; et eodem anno destructi sunt Iudei per Angliam. Eodem anno factus est Henricus filius Eylwine de Londenestane maior London'. Qui fuit primus maior in ciuitate, et durauit maior usque ad finem uite sue, scilicet, fere per uiginti quinque annos. ^aEt eodem anno idem rex et Philippus rex Francie aggressi sunt uersus Ierosolimam et innumerabilis populus cruce signatorum cum eis.^a

571. Iohannes Herlisun, Rogerus le Duc.

572. Anno millesimo centesimo nonagesimo - Willelmus de Hauerille, Iohannes Bokointe.

573. Nicholaus Duket, Petrus Neuelun - ^bmillesimo centesimo nonagesimo primo.^b

574. Hoc anno captus est idem rex in Alemannia dum reddiret a terra sancta; et redemptus centum mille marcas^c argenti.^d

^a *Scribe 6.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^c *Supplied over an erasure.*

^d *Marginal ins. scribe 1, De capcione regis Ricardi.*

575. Rogerus le Duc, Rogerus filius Alani - ^amillesimo centesimo nonagesimo secundo.^a
576. Hoc anno liberatus est idem rex et, tercio idus Martii [13 March], applicuit apud Sandwyse; et feria quarta post uenit cum magno apparatu ad London'.
577. Willelmus filius Ysabelis, Willelmus filius Athulfi - ^bmillesimo centesimo nonagesimo tercio.^b
578. Robertus Besaunt, Iukel Aldermannus - ^cmillesimo centesimo nonagesimo quarto.^c
579. Hoc anno Willelmus cum Barba detractus fuit et suspensus octo idus Aprilis [6 April].^d
580. Godardus de Antiochia, Robertus filius Duraunt - ^emillesimo centesimo nonagesimo quinto.^e
581. ^fRobertus Blundus, Nicholaus Duket - millesimo centesimo nonagesimo sexto.^f
582. Constantinus filius Athelhulphi, Robertus le Bel - ^gmillesimo centesimo nonagesimo septimo.^g
583. Arnulphus filius Athulfi, Ricardus filius Bartholomei - ^hmillesimo centesimo nonagesimo octauo.^h

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^d *Marginal ins. scribe 1, De detraccione Willelmi cum barba.*

^{e-e} *Add. scribe 3.*

^{f-f} *Marginal ins. scribe 3.*

^{g-g} *Add. scribe 3.*

^{h-h} *Add. scribe 3.*

- 584.** Hoc anno wlnneratus est predictus rex iaculo baliste in humero sinistro, qui septem idus Aprilis [7 April] obiit. Eodem anno coronatus est Iohannes rex in Ascensione Domini [27 May].
- 585.** Rogerus de Deserto, Iacobus Aldermannus - ^amillesimo centesimo nonagesimo nono.^a
- 586.** Anno millesimo ducentesimo - Symon de Aldermannebyria, Willelmus filius Alicie.
- 587.** Hoc anno fuerunt uiginti quinque electi de discrecioribus ciuitatis et iurati pro consulendo ciuitatem una cum maiore.
- 588.** Normannus Blundus, Iohannes de Kayo - ^bmillesimo ducentesimo primo.^b
- 589.** Walterus Brun, Willelmus Camerarius - ^cmillesimo ducentesimo secundo.^c
- 590.** Thomas de Hauerill', Hamo Brond - ^dmillesimo ducentesimo tercio.^d
- 591.** Iohannes Walrauen, Ricardus de Wyntona - ^emillesimo ducentesimo quarto.^e
- 592.** Hoc anno fuerunt placita corone apud turrim Lond'.
- 593.** Iohannes Heliland, Eadmundus de la Hale - ^fmillesimo ducentesimo quinto.^f
- 594.** Serlo le Mercer, Henricus de Sancto Albano - ^gmillesimo ducentesimo sexto.^g
- 595.** Robertus de Wyntona, Willelmus Hardel - ^hmillesimo ducentesimo septimo.^h |

fo. 64

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^{d-d} *Add. scribe 3.*

^{e-e} *Add. scribe 3.*

^{f-f} *Add. scribe 3.*

^g *Add. scribe 3.*

^{h-h} *Add. scribe 3.*

- 596.** Hoc anno factum est interdictum per totam Angliam nono kalendas Aprilis [24 March], quod per sex annos et quattuordecim septimanas et tres dies durauit.^a
- 597.** Thomas filius Nigelli, Petrus le Duc - ^bmillesimo ducentesimo octauo.^b
- 598.** Hoc anno uniuersitas Anglie fecit homagium regi Iohanni apud Merleberga.
- 599.** Petrus Iunior, Willelmus Wite - ^cmillesimo ducentesimo nono.^c
- 600.** Stephanus Crassus, Ada<m> de Wyteby - anno millesimo ducentesimo decimo.
- 601.** Hoc anno concrematus est quidam Ambigensis apud London'.
- 602.** Ioceus filius Petri, Iohannes Garlaund - ^dmillesimo ducentesimo undecimo.^d
- 603.** Hoc anno fuit uehemens ignis de Suthwerk' et combussit ecclesiam Sancte Marie, et pontem cum capella, et maximam partem ciuitatis.^e
- 604.** Constantinus Iunior, Radulphus Helyland - ^fmillesimo ducentesimo duodecimo.^f
- 605.** Hoc anno obiit Henricus filius Eylwyni primus maior Lond'; et successit Rogerus filius Alani.
- 606.** Martinus filius Alicie, Petrus Bath - ^gmillesimo ducentesimo tercio decimo.^g
- 607.** Hoc anno obiit Galfridus filius Petri iusticiarius regis Anglie apud turrim Lond'.
- 608.** Salomon de Basinges, Hugo de Basinges - ^amillesimo ducentesimo quarto decimo.^a

^a *Marginal ins. scribe 1, De interdicto.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^{d-d} *Add. scribe 3.*

^e *Marginal ins. scribe 1, De igne de Suwerk.*

^{f-f} *Add. scribe 3.*

^{g-g} *Add. scribe 3.*

609. Hoc anno effectus est maior Serlo le Mercer, et barones Anglie intrauerunt Lond' contra regem Iohannem in festo Gordiani et Ephimachi [10 May].^b

610. Andreas Neuelun, Iohannes Trauers - ^emillesimo ducentesimo quinto decimo.^c

611. Hoc anno applicuit Lodowicus filius Philippi regis Francie quem barones Anglie adduxerunt ad eorum subsidium contra predictum regem Iohannem; qui uero Lodowycus obsedit castrum de Dowre.^d Eodem anno factus est maior Lond' Willelmus Hardel.

612. Benedictus Campanarius, Willelmus Blundus - ^emillesimo ducentesimo sexto decimo.^e

613. Hoc anno factus est maior Iacobus Aldermannus, qui durauit a Pascha [26 March] usque ad festum sancte Trinitatis [21 May]; quo condempnato a maioratu factus est maior Salomon de Basinges eodem die. Et eodem anno obiit Iohannes rex et coronatus est Henricus filius eius apud Glouerniam, quia propter guerram inter ipsum et predictum Lodowycum et barones Anglie adhuc perseuerantem ad Lond' uenire et ibi coronari non potuit.^f

614. Item Radulfus Helylaund', Thomas Bukerel - ^gmillesimo ducentesimo septimo decimo.^g

615. Hoc anno recessit Lodowycus de Anglia facta pace inter regem predictum Henricum et ipsum Lodowycum et barones Anglie; et iterum Serlo le Mercer factus est maior London', qui durauit per quinque annos.

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Barones intrauerunt Londonias.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^d *Marginal ins. scribe 1, De aduentu Leodewyci.*

^{e-e} *Add. scribe 3.*

^f *Marginal ins. scribe 1, De coronacione regis Henrici.*

^{g-g} *Add. scribe 3.*

- 616.** Iocus Ponderator, Iohannes Vyel - ^amillesimo ducentesimo octauo decimo.^a
- 617.** Item Iohannes Vyel, Ricardus de Wymbeldon' - ^bmillesimo ducentesimo nono decimo.^b
- 618.** Hoc anno in die Pentecostes [17 May] coronatus est idem rex Henricus apud *fo. 64^v* Westmonasterium;^c Huberto de Burgo iusticiario tocius Anglie; et beatus Thomas martir translatus est postea in crastino^d octauarum apostolorum Petri et Pauli [7 July].
- 619.** Anno millesimo ducentesimo uicesimo - Ricardus Rynger, Iocus Iunior.
- 620.** Hoc anno fuerunt placita corone apud Turrin.
- 621.** Item Ricardus Renger, Thomas Laumbert - ^emillesimo ducentesimo uicesimo primo.^e
- 622.** Hoc anno suspensus fuit Costantinus filius Athulfi: et sine iudicio.^f
- 623.** Item Thomas Laumbert, Willelmus Ioynier - ^gmillesimo ducentesimo uicesimo secundo.^g
- 624.** Hoc anno factus est maior Lond' Ricardus Renger, qui durauit per quinque annos.
- 625.** Item Iohannes Trauers, Andreas Bukerel - ^hmillesimo ducentesimo uicesimo tercio.^h

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3. Marginal ins. scribe 1, .l.. see c. 227.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De coronacione eiusdem Henrici.*

^d *Ins. above line scribe 1.*

^{e-e} *Add. scribe 3.*

^f *Marginal ins. scribe 4, Pur ce-ce ienson Louys de Fraunse. Et pur l'en iesoun et pur autre prit le rey Louys Normandie en sa meyn.*

^{g-g} *Add. scribe 3.*

^{h-h} *Add. scribe 3.*

- 626.** Item Andreas Bukerel, item Iohannes Trauers - ^amillesimo ducentesimo uicesimo quarto.^a
- 627.** Martinus filius Willelmi, Rogerus le Duc - ^bmillesimo ducentesimo uicesimo quinto.^b
- 628.** Item Martinus filius Willielmi, item Rogerus le Duc - ^cmillesimo ducentesimo uicesimo sexto.^c
- 629.** Hoc anno fuerunt placita corone apud turrin, et Iohannes Herlisun defecit in lege sua quam uadiavit pro morte Lamberti de Legis, cui dominus rex concessit uitam et membra ad instanciam precum mulierum ciuitatis, et factus est hospitalarius in hospitali Ierosolyme.
- 630.** Henricus de Cokham, Stephanus Bukerel - ^dmillesimo ducentesimo uicesimo septimo.^d
- 631.** Hoc anno factus est maior Lond' Rogerus le Duc, qui durauit per quatuor annos.
- 632.** Item Stephanus Bukerel, item Henricus de Cokham - ^emillesimo ducentesimo uicesimo octauo.^e
- 633.** Walterus de Wyntonia, Robertus filius Iohannis - ^fmillesimo ducentesimo uicesimo nono.^f
- 634.** In recessu istorum de balliua sua, contra festum sancti Michaelis [29 September], omnes aldermanni et magnates ciuitatis per assensum uniuersorum ciuium ^{***a} quod

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^{d-d} *Add. scribe 3.*

^{e-e} *Add. scribe 3.*

^{f-f} *Add. scribe 3.*

nullo tempore permetterent aliquem uicecomitem admitti in uicecomitatu per duos annos continuos, sicut prius exstiterant.

635. Iohannes de Wouburne, Ricardus filius Walteri - anno millesimo ducentesimo tricesimo.

636. Walterus le Bufle, Michael de Sancta Helena - ^bmillesimo ducentesimo tricesimo primo.^b

637. Hoc anno factus est maior Andreas Bukerel in festo Symonis et Iude [28 October] et durauit per septem annos.

638. Henricus de Edelmetona, Gerardus Bat - ^cmillesimo ducentesimo tricesimo secundo.^c

639. ^aHoc anno persecutus est predictus Hubertus de Burgo iusticiarius maximis persecucionibus, ita quod preceptum fuit maiori et uicecomitibus per literas domini regis quod ipse captus fuisset ubicumque esset inuentus; qui postea fugiens posuit se in quandam capellam apud Boscum Arsum, unde extractus fuit per uim et postea remissus ibidem per Rogerum episcopum Lond'. Ipse uero post modicum tempus reddidit se domino regi in misericordiam suam et ductus est apud turrim Lond', deinde apud castrum de Deuises; de quo castro euasit et posuit se in quadam ecclesia pro securitate habenda; de qua ecclesia eum eiecit Ricardus Marescallus tunc comes de Penbrok – inter quem et dominum regem mota fuit magna discensio; quo Ricardo mortuo, idem Hubertus cum Gileberto fratre predicti Ricardi et aliis baronibus, | qui antea fuerunt contra regem, ad pacem domini regis apud Glouerniam et admissus fuit.^a ^βEodem anno,

fo. 65

^a confirmauerunt?

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

in uigilia Assumpcionis beate Marie [14 August], ciues Lond' monstraerunt se armatos a la Mile Ende et in foro London' bene paratos.^β

640. Rogerus Blundus, Symon filius Marie - ^amillesimo ducentesimo tricesimo tercio.^a

641. Iste Symon in primo termino uicecomitatus sui tam male dissipauit bona que exierunt a uicecomitatu quod non permissum est ei ea amplius recipere, sed per maiorem et ciues commissa est cura clericis uicecomitatus ad illa colligenda et saluo ponenda ad firmam domini regis adquietandam.

642. Radulfus Eswy mercer, Iohannes Norman - ^bmillesimo ducentesimo tricesimo quarto.^b

643. Item Gerardus Bat, Robertus Hardel - ^cmillesimo ducentesimo tricesimo quinto.^c

644. Hoc anno Alianora, filia comitis Prouincie, uenit in Angliam et ibidem coronata est regina.^d

645. Item Henricus de Cokham, Iordanus de Couentre - ^emillesimo ducentesimo tricesimo sexto.^e

646. Isti ceperunt omnes nautas in kidellis stantibus per Tamisiam et adduxerunt cum recibus suis ad London' et incarcerationunt eos in Neuwegate; qui omnes amerciati fuerunt coram domino rege apud Kenington, qua misericordia remansit uicecomitibus Lond' per iudicium; et tunc fuerunt recia eorum in Lond' concremata.^f

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^d *Marginal ins. scribe 1, De coronacione regine add. scribe 3, tempore Gerardus Bat et Robertus Hardel uicecomites.*

^{e-e} *Add. scribe 3.*

^f *Marginal ins. scribe 1, De capcione kidellorum.*

- 647.** Iohannes de Tulesan, Geruasius Camerarius - ^amillesimo ducentesimo tricesimo septimo.^a
- 648.** Hoc anno obiit Andreas Bukerel et factus est maior Ricardus Renger.
- 649.** Iohannes de Wylehale, Iohannes de Koudres - ^bmillesimo ducentesimo tricesimo octauo.^b
- 650.** Hoc anno obiit predictus Ricardus Renger maior et factus est maior Willelmus Ioynier.
- 651.** Item Radulfus Eswy mercer, Reginaldus de Bungeye - ^cmillesimo ducentesimo tricesimo nono.^c
- 652.** Electis istis ante festum sancti Michaelis [29 September] orta est disencio in ciuitate, quia Symon filius Marie impetrauerat litteras regias ut ipsum admitterent uicecomitem. Quidam autem magnates cum maiore suo Willelmo Ioynier noluerunt consentire, sed dicebant ipsum hoc impetrasse contra libertates suas: et quia ipse Symon tunc temporis non fuit admissus uicecomes, dominus rex motus fuit in iram. Vnde ciues adierunt curiam regiam ad impetrandam gratiam regis et non potuerunt, ita quod maiore carebant usque ad festum sancti Hyllarii [13 January], et tunc admissus est Gerardus Bat qui remansit maior usque ad festum Symonis et Iude [28 October].^d
- 653.** Iohannes de Geseorz, Mychael Thoui - anno millesimo ducentesimo quadragesimo.

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^d *Marginal ins. scribe 1, Hoc anno natus est primogenitus regis, Edwardus nomine, quarto decimo kalendas Iulii [18 June].*

fo. 65^v **654.** ^αHoc anno dedicata est ecclesia Sancti Pauli^a Lond'.^α ^βHoc anno iterum electus Gerardus Bat maior, cum quo quidam ciues perrexerunt apud Wodestok' ad illum presentandum; et dominus rex noluit eum ibi admittere antequam ueniret Lond'. Et cum uenisset ibi tercia die admisit eum, et sacramento suo accepto quod omnia prius capta et accepta restitueret et quadraginta libras non acciperet, quas maiores antea a ciuitate capere solebant, dixit in recessu suo 'heu domine ex hiis possem | filiam meam maritare.' Et hac de causa motus est rex in iracundiam et incontinenti iurauit super altare sancti Stephani per sanctum Edwardum et per suum sacramentum quod eo die conficiebatur in illo altari, dicens 'tu non eris maior hoc anno, et pro minimo dicerem quod numquam. Vade, modo.' Ille autem Gerardus nolens habere maliuolenciam domini regis reliquit maioratum, et directus est Reginaldus de Bungeye maior Lond'.^β

655. Iohannes filius Iohannis Vyel, Thomas de Dunelmo - ^bmillesimo ducentesimo quadragesimo primo,^b ^cin fine anni regni regis uicesimo quinto.^c

656. ^αHoc anno factus est eclipsis solis infra quindenam sancti Michaelis [29 September],^d circa horam nonam, dum sepelietur Rogerus episcopus Lond'.^α ^βHoc anno factus est maior Radulfus Eswy, qui durauit per tres annos.^β ^γHoc anno rediit comes Ricardus frater regis Henrici in festo sanctorum Fabiani et Sebastiani [20 January] anno regni eiusdem regis uicesimo sexto a terra sancta in Lond'.^γ ^δEt hoc anno dominus rex petiit licenciam a ciuibus ad Crucem Sancti Pauli, die Iouis in epdomada Parasceues [17 April], transfretandi in Wasconiam ad subsidium comitis de la Marche contra regem Francie;^e qui post modicum tempus transfretauit.^δ ^εHoc anno captus est Willelmus de Marisco, qui rectatus fuit de prodicione domini regis in insula de Landey per Willelmum

^a *Marginal ins. scribe 1*, Dedicacione ecclesia Sancti Pauli.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^{c-c} *Add. scribe 1*.

^d *Marginal ins. scribe 1*, De eclipsi solis.

^e *Marginal ins. scribe 1*, De transfretacione regis. *Marginal ins. scribe 3*, Anno quadragesimo secundo

Bardulf et Ricardum de Warene, et ductus apud turrim Lond'. Postea, in uigilia sancti Iacobi apostoli [24 July], detractus et suspensus; et in crastino sancti Iacobi in quatuor partes diuisus,^a quarum una pars cum capite remansit Lond' suspensa, et altera.^ε

657. Item Robertus filius Iohannis, Radulfus Eswy, aurifaber - ^bmillesimo ducentesimo quadragesimo secundo^b ^cin fine regni regis uicesimo sexto.^c

658. Hoc anno iterum factus est maior Radulfus Eswy, et quia dominus rex non fuit in Anglia, presentatus fuit capitali iusticiario domini regis, scilicet archiepiscopo Eboracensi apud Keningtonam, et ibi iuratus et a<d>missus. Et hoc anno rediit rex de Wasconia contra festum sancti Michaelis [29 September]. ^dAnno quadragesimo tercio.^d

659. Hugo Blundus, aurifaber, Adam de Giseburne - ^emillesimo ducentesimo quadragesimo tercio,^e ^fin fine anni regni regis uicesimo septimo.^f

660. Hoc anno iterum factus est maior Radulfus Eswy et presentatus domino regi apud Westmonasterium. Hoc anno fuerunt placita corone apud turrim Lond', in crastino de le Hokeday [19 April], et durauerunt usque ad festum sancti Barnabe apostolici [11 June]. ^αIn illis placitis remissa sunt essonia que solebant presentari in die precedenti ante diem placitorum corone apud portam turris Lond' de morte illorum qui attachiati fuerunt usque ad placita corone;^α ita quod plegii talium semper erint indempnes coram iusticiario, si mors illorum, qui plegiati fuerunt per aldermannum et ui<s>netum testificata fuerit. ^βIn istis placitis ordinata fuit lex foraneis attachiatis in ciuitate pro morte hominis, siue huius felonia, ita quod ipsi se ponent super ueredictum quadraginta duos uirorum iuratorum de tribus propinquioribus wardis, ubi malum factum fuerit,

^a *Marginal ins. scribe 1*, De detraccione Willelmi de Marisco.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^{c-c} *Add. scribe 1*.

^{d-d} *Add. scribe 3*.

^{e-e} *Add. scribe 3*.

^{f-f} *Add. scribe 1*.

utrum ipsi sint culpabiles inde an non: et hoc coram iusticiariis.^β γIn istis placitis uadiauit Willelmus Bream magnam legem et compleuit eam per optime.γ δTunc temporis cepit dominus rex ciuitatem in manu sua, scilicet in crastinum sancte Trinitatis [30 May], pro receptacione Walteri Buriler sine waranto, et iterum tradidit eam Radulfo Eswy maiori Lond' ad custodiendam donec rediret de Scocia.^δ εNam post modicum tempus ipse militauit cum magno exercitu super regem Scocie, sed concordati sunt.^ε |

fo. 66

661. Nicholaus Bat, Radulfus de Arcubus, speciarius - ^amillesimo ducentesimo quadragesimo quarto,^a ^bin fine anni regni regis uicesimo octauo.^b

662. αIstis electis et iuratis tercia die ante festum sancti Michaelis [26/27 September], rediit dominus rex de Scocia in Lond' in uigilia sancti Michaelis [28 September] et iterum cepit ciuitatem in manu sua pro predicta causa prohibens ne ipsi uicecomites aliquid officii sui facerent; et commisit ciuitatem Radulfo Eswy tempore maiori et Michaeli Touy, qui eam custodierunt usque ad festum sancti Luce [18 October]; in quo die ciues fecerunt finem uersus regem pro mille libris. In crastino autem presentati sunt predicti uicecomites.^α βHoc anno in festo sancti Dionisii [9 October] consecratus est Fulco Basset in episcopum Lond' in ecclesia Sancte Trinitatis de Alegate.^β Hoc anno factus est maior Michael Touy. γHoc anno militauit dominus rex super Daid filium Lewelini in Walliam cum exercitu suo.γ δIn recessu istorum de balliua sua conuenientibus ciuibus apud Gildhalliam quarto die ante festum sancti Michaelis [25/26 September] ad eligendos uicecomites, oriebatur in ciuitate maxima dissentio per Symonem filium Marie, qui intelligens maiorem uelle admittere Nicholaum Bat in uicecomitatu anno sequenti dicebat se probaturum illum periurum si dictum Nicholaum permetteret in uicecomitatu per biennium, contra sacramentum quod uniuersi aldermanni fecerunt per

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

assensum tocius ciuitatis tunc temporis quindecim annis transactis, sicut prenotatum est.^a Propter quod dictus Symon commisit pro reuerencia maioris aldermannatum suum in manum ciuitatis in misericordiam. In uigilia sancti Michaelis [28 Sepember] elegerunt quidam de wlgo Nicholaum Bat per assensum maioris, et magnates elegerunt Adam de Benetleye contradicentes dictum Nicholaum non esse admittendum per biennium;^b et exierunt fere omnes aldermanni de Gildhallia et remansit Nicholaus Bat uicecomes.^δ

663. Item Nicholaus Bat, Adam de Benetleye, aurifaber - ^cmillesimo ducentesimo quadragesimo quinto,^c ^din fine anni regni regis uicesimo nono.^d

664. Dicto uero Nicholao amicioto positus est loco ipsius Iohannes de Gyseorz. Iohanne autem facto maiore factus est uicecomes Robertus de Korenhelle.

665. Hoc anno electus est maior Michael Touy in festo Symonis et Iude [28 October], et quia dominus rex tunc temporis erat in Wallia incontinenti, non fuit presentatus. Sed postea, tercia die post festum sancti Bricii [15 November], presentatus fuit domino regi apud Wudestok' in aduentu suo de Wallia. Et dominus rex noluit eum admittere in absentia fratris sui comitis Ricardi, sed posuit ciuibus diem usque ad tercium decimum diem post predictum diem apud Wyndlesoram. Ad quem diem ciues uenerunt et predictus Michael apud dictum locum deferentes secum cartas suas de libertate sua et de maioratu, quibus lectis coram domino rege posuit ciuibus iterum dominus rex diem apud Lond' in aduentu suo. Qui uero ueniens apud Lond' in uigilia sancte Lucie [12 December] fecit uenire coram se omnes aldermannos ciuitatis in crastino apud Westmonasterium; qui omnes exceptis Michaele Touy, Nicholao Bat, Thoma de

^a c. 634.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto natus est regi filius nomine Eadmundus, *Marginal ins. scribe 1*, De electione Nicholai Bat in uicecomitatum contra statuta ciuitatis.

^{c-c} *Add. scribe 3*.

^{d-d} *Add. scribe 1*.

Dunelmo, Radulfo Sperling, Iohanne de Koudres iurati coram domino rege examinati fuerunt de electione Nicholai Bat, qui dixerunt quod ipsi contradixerunt electionem illam die quo illa facta fuit, quia nullus uicecomes deberet esse per biennium, secundum statutum ciuitatis et sacramenta aldermannorum et magnatum ciuitatis quod fecerant tunc temporis quindecim annis elapsis. Vnde dictus Nicholaus depositus fuit in crastino sancte Lucie [14 December] a uicecomitatu, et dominus rex posuit in loco suo Iohannem de Gyseorz. Postea uero dictus Iohannes | factus est maior in secunda die ante festum sancti Hillarii [11 January], et eodem die presentatus domino regi apud Westmonasterium et admissus. Nam dominus rex noluit dictum Michaellem Touy admittere in maioratum pro assensu prenotato, qui reliquit maioratum et factus est maior Iohannes de Gyseorz. Postea, in festo sancti Vincencii [22 January], ciues, quia non habuerunt nisi unum uicecomitem, eligerunt Robertum de Korenhelle, et remansit uicecomes.

fo. 66^v

666. Item Symon filius Marie, Laurencius de Frowyk - ^amillesimo ducentesimo quadragésimo sexto,^a ^bin fine anno regni regis tricesimo.^b

667. ^aHoc anno ceperunt ciues Lond' ripam regine ad firmam pro quinquaginta libris per annum reddendis comiti Ricardo et sexaginta solidis infirmis Sancti Egidii extra Londonias.^a Eodem anno factus est maior Petrus filius Alani et eodem anno, ^bscilicet anno gracie millesimo ducentesimo quadragésimo sexto, uicesimo die Februarii, factus est terre motus apud Lond',^c circa horam nonam.^b ^dHoc anno,^d scilicet sexto decimo die Aprilis, soror domini regis ex parte matris sue, filia comitis de la Marche, uenit apud

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De terre motu.*

^d *Marginal ins. scribe 1, Millesimo ducentesimo quadragésimo septimo.*

Lond', que maritata fuit ^acomiti Warennie^{a,y} ^δEodem anno, die Lune proxima post Hokeday [15 April], adiudicatum fuit in Gildhallia quod mulier certa et specificata dote dotata non potest nec debet amplius habere de catallis uiri sui defuncti quam certam et specificatam dotem sibi assignatam, nisi de uoluntate uiri sui.^b Hoc autem contigebat per Margeriam relictam Iohannis Vyel senioris, que petebat in hustingo London' terciam partem catallorum dicti uiri sui per multimoda breuia domini regis.^δ ^εHoc anno prior Sancti Bartholomei et canonici per consilium et auxilium Willelmi de Hauerille thesaurarii domini regis, et Iohannis de Koudres eorum Soknereue, et Nicholai filii Iocey creauerunt unum nouum tronium in uigilia sancti Bartholomei [23 August] nolentes permittere quod aliquis ponderaret nisi cum tronio illo; et hoc fuit contra libertates et consuetudines ciuitatis. Vnde magnates ciuitatis una cum maiore suo Petro filio Alani et multitudine ciuium in crastino adierunt prioratum Sancti Bartholomei monentes priorem et canonicos eiusdem loci ut presumptionem illam emendarent; et ab illa resisterent, qui incontinenti se retraxerunt et editum fuit per maiorem et uicecomites Lond' quod omnis homo in foro illo uendat, emat et ponderat sicut antea consueuerunt.^ε Eodem anno obiit Radulfus Eswy, mercer, in festo Cosme et Damiani [27 September].

668. Willelmus Vyel, Item Nicholaus Bat - ^cmillesimo ducentesimo quadragesimo septimo,^c ^din fine anni regni regis tricesimo primo.^d

669. ^αHoc anno, in Translacione sancti Eadwardi regis et confessoris [13 October], delata est quedam pars cruoris Domini nostri Iesu Christi apud Lond' missa a patriarcha Ierosolyme domino regi,^e que remansit apud Westmonasterium.^α Eodem anno factus est maior iterum Michael Thouy, ^βet edictum fuit per preceptum domini regis quod si aliquis

^{a-a} *Supplied over an erasure.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De dotibus mulierum Londoniarum.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^{d-d} *Add. scribe 1.*

^e *Marginal ins. scribe 1, De [... ...] Domini.*

fo. 67

denarius siue obulus retonsus inuentus fuisset prolatus ad aliquid emendum statim perforaretur: tunc omnino creata est noua moneta,^a scilicet statim post festum Omnium Sanctorum [1 November].^β ¶ Eodem anno,^b die Lune post ad Vinculam sancti Petri [3 August], accessit Henricus de Ba iusticiarius a domino rege emissus apud Sanctum Martinum Magnum ad audiendum recordum quod datum fuit per querimoniam Margerie Vyel die Lune post Hokeday anno precedenti, ^δsicut in hoc rotulo prenotatur^δ;^c de quo iudicio dicta Margeria conquesta fuit domino regi et inuenerat plegios ad probandum illud | esse falsum. Vnde conuenientibus ibidem maiore et ciuibus, perlecto illo recordo ad uniuersis breuibus domini regis quod dicta Margeria impetrauerat lectis et auditis, dixit iusticiarius: ‘Ego non dico quod iudicium istud sit falsum sed debilis est processus illius, cum nulla fit mencio in recordo isto de summonicione aduersariorum dicte Margerie, et cum Iohannes Vyel uir illius fecit testamentum non pertinebat ad uestram curiam tale placitum terminare.’ Ciues responderunt: ‘Non fuit necesse ad illos summonendos qui bona defuncti habuerunt, cum ipsi semper prompti fuerunt offerentes se standi ad rectum dicte Margerie in curia nostra; et etiam bene potuimus illud placitum placitare per assensum duarum parcium nichil calumpniantium siue petencium forum ecclesiasticum, et desicut dominus rex nobis per breue suum illud terminare precepit.’ ^εTandem multis altercacionibus inter iusticiarium et ciues factis^ε dixit iusticiarius quod ostenderet illa omnia domino regi et consilio suo et sic recesserunt. Postea uero ac solummodo de causa cepit dominus rex ciuitatem in manu sua et commisit eam per breue suum Willelmo de Hauerille et Edwardo de Westmonasterio ad custodiendam, scilicet in uigilia sancti Bartholomei [23 August]. Vnde maior et ciues accesserunt ad regem apud Wudestok’ ostendentes ei quod nichil

^a *Marginal ins. scribe 1*, De creata noue monete.

^b *Marginal ins. scribe 3*, Anno quadragesimo octauo.

^c δ-δ, c. 667.

deliquerunt et non potuerunt gratiam eius impetrare; quare in aduentu eorum apud Lond' predictus Willelmus de Hauerille cepit sacramentum de clericis et de uniuersis seruiantibus, qui pertinebant ad uicecomitatum, ut essent intendentes ei, maiore et uicecomitibus a balliua sua amotis. Postea, in die Dominica ante Natiuitatem sancte Marie [6 September], receperunt maior et uicecomites ciuitatem in manibus suis per licenciam regis, et dies datus est eis ad respondendum de predicto iudicio coram rege et baronibus suis in crastino Translacionis sancti Eadwardi [14 October] apud Westmonasterium.^γ

670. Nicholaus filius Iocey, Galfridus de Wyntonia - ^amillesimo ducentesimo quadragésimo octauo,^a ^bin fine anni regni regis tricesimo secundo.^b

671. ^αHoc anno ciues Lond' ad petitionem domini regis, non coacti et quasi coacti, adduxerunt merces suas ad nundinas Westmonasterii die sancti Edwardi [13 October], et etiam ciues plurium ciuitatum Anglie per preceptum domini regis ibi uenerunt cum mercibus suis.^c Qui omnes in illis nundinis moram fecerunt plenariam per quindecim dies, uniuersis sopis et seldis mercatorum in Lond' interim clausis. In crastino uero sancti Eadwardi maior et ciues comparuerunt apud Westmonasterium ad respondendum de prenotato iudicio, qui factum fuit contra predictam Margeriam Vyel, et sic de die in diem usque ad quartum diem. Quo die dominus rex rogauit illos ut concederent abbati Westmonasterii ad habendas libertates quas ipse ei dederat in comitatu Myddelsexie in excambium aliarum libertatum quas ciues potuerunt de iure petere; ad quod ciues responderunt quod nichil inde facere potuerunt sine assensu tocius comune. Quin apprehensus rex quasi motus in iram fecit eos uenire coram se et ^βmultis altercacionibus factis^β super predicto iudicio, et Henrico de la Mare afine

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De creacione nundinarij Westmonasterii.*

fo. 67^v

predicte Margerie Vyel semper allegante contra ciues, tandem habito consilio episcoporum et baronum coram domino rege maior et ciues quieti recesserunt.^a Eodem anno factus est maior | iterum Michael Touy. ^vMemorandum quod cum Symon filius Marie pro delicto suo tradidisset aldermannatum suum in manus ciuitatis, sicut superius notatum est,^a tunc per assensum tocius commune maior reddidit ei aldermannatum suum tali condicione quod ipse concessit si amplius aliquo tempore contra libertatem ciuitatis ueniret, quod maior posset sine placito uel contradictione aliqua aldermannatum suum in manus ciuitatis rehabere ipso penitus amoturo. Vnde hoc anno, quia dictus Symon steterat manifeste cum Margeria Vyel in querimonia quam illa fecerat domino regi de iudicio dato per ciues, de quo ipsa conuicta fuit, sicut prescriptum est,^b et ob multas alias prauas causas et detestabiles quas ipse contra ciuitatem occulte perpetrauerat, maior cepit aldermannatum illum in manum suam ipso omnino ammoto;^c et homines illius warde accepta licencia eligendi elegerunt, in die Lune ante mediam quadragesimam [8 March], Alexandrum le Ferrun, et etiam in absentia illius, qui postea ueniens in hustingo die Lune sequenti [15 March] admissus est aldermannus.^v ^δEodem anno, in festo sancti Mathei [21 September], uenerunt rumores Lond' quod rex Francie nauigans cum magno exercitu Christiano super Sarracenos ceperat Damietem,^d munitissimam ciuitatem in Egipto, scilicet in octauis sancte Trinitatis precedenti [6 June].^δ

672. Item Iohannes Tulesan, Radulfus Hardel - ^emillesimo ducentesimo quadragesimo nono,^e ^fin fine anni regni regis tricesimo tercio.^f

^a δ-δ, c. 662.

^b δ-δ, c. 667; γ-γ, c. 669.

^c *Marginal ins. scribe 4*, Sinond fis Marie degrede de sa audermanrie.

^d *Marginal ins. scribe 1*, De capcione Damiete per regem Francie.

^{e-e} *Add. scribe 3*.

^{f-f} *Add. scribe 1*.

673. Hoc anno electus est maior Rogerus filius Rogeri, et etiam in absentia sua, et postea admissus a domino rege apud Rofham. ^αEodem anno recuperauerunt ciues, tercia die post Epiphaniam [8 January], coram rege duas species libertatum unde elongati fuerant per plures annos. Nam rex concessit quod Iudei, qui antea warantizati fuerant per breue de scaccario de cetero, placitassent coram ciuibus de tenementis suis in Lond'.^a Concessit etiam quod cyrographarius arce Iudeorum fuissent tayliati sicut alii ciues.^α ^βHoc anno, die Dominica in media quadragesima [6 March], conuenientibus fere uniuersis tam uiris quam mulieribus Lond' per preceptum domini regis apud Westmonasterium in magna aula cepit dominus rex crucem ad proficiscendum in subsidium terre sancte.^β ^γMemorandum cum dominus rex multociens requisisset ciues ut concederent abbati Westmonasterii libertates, de quibus in ^δhoc rotulo prediximus^{δ, b} quod hoc anno, scilicet in die Mercurii in septimana Pentecostes [18 May], captus fuit dies amoris ad petitionem domini regis inter ciues et abbatem; quo die maior et innumerabilis populus ciuitatis cum eo uenit apud Nouum Templum, abbate ibidem existente, presentibus ibi Willelmo de Hauerill thesaurario, Henrico de Ba, Rogero de Turkeby, Iohanne de Gatesdene iusticiariis, et aliis ibidem a domino rege missis. Quibus uolentibus habere colloquium cum maiore et aldermannis uniuersus populus contradixit non permittens illos sine tota communa inde aliquid tractare, et clamabant omnes una uoce quod in nullo articulo a libertatibus suis usitatis discedere uoluerunt, quas habent per cartas domini regis et predecessorum suorum. Tunc datus est dies eis per iusticiarios ut essent coram domino rege apud Wyndlesoram die Martis sequenti [24 May], ac solummodo de causa cepit rex ciuitatem in manus suas tradens illam Willelmo thesaurario et Petro Blundo constabulario turre omnibus clericis et seruientibus

^a *Marginal ins. scribe 2*, Memorandum quod rex concessit ut Iudei placitassent coram ciuibus de tenementis suis in Londoniis.

^b *α-α, c. 671.*

fo. 68 uicecomitatus eis intendentibus. Die uero statuto | uenerunt maior et ciues apud Wyndlesoram, quos rex uolens occasionari fecit ponere ad rationem per iusticiarios suos cur cartam quam fecerant abbati Westmonasterii contradixissent, et cur non permiserunt homines qui positi fuerant per preceptum suum in inquisicione facienda de tumultu facto inter archiepiscopum Cantuarie et canonicos Sancti Bartholomei facere sacramentum. Nam paruo tempore elapso antea dictus archiepiscopus uoluit inter dictos canonicos facere uisitacionem, quod ipsi permittere noluerunt. Ciues uero responderunt quod nullum diem habuerunt ad placitandum ibi contra abbatem Westmonasterii nec extra ciuitatem Lond' deberent placitare, et si debuissent inde placitare nullum iudicium recipere inde deberent in absentia parium suorum, scilicet comitum baronum Anglie; et quod nullus homo Lond' debet iurare nisi per sacramentum quoad fecerat domino regi et in fide qua tenetur ei in aliqua inquisicione, nisi fuerit ubi aliquis posset perdere uitam uel membra uel ad terram perdendam siue lucranda. Postea habito consilio inter regem et consilium suum retradita fuit ciuitas ciuibus, et datus est eis dies usque ad Translacionem sancti Edwardi [13 October].^γ ^εEodem anno, circa festum sancti Iacobi [25 July], uenerunt rumores Lond', pro dolor, quod predictus rex Francie captus fuit a Sarracenis fratribus suis et fere omnibus de exercitu Christiano siue captis siue occisis.^a Ipse uero post modicum tempus postea redemptus fuit per Templarios et Hospitalarios.^ε

674. Willelmus filius Ricardi, le prestre, Hunfridus le Feure - anno millesimo ducentesimo quinquagesimo, ^bin fine anni regni regis tricesimo quarto.^b

675. ^αHoc anno factus est maior Iohannes Norman.^α ^βEodem anno statutum est per ciues, die Lune post festum sancti Michaelis [3 October], quod custodes pontis London' a

^a *Marginal ins. scribe 1, De capcione regis Francie.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

die illa in antea nil possent habere, capere uel clamare de nauibus siue rebus ciuium transeuncium per medium pontis, qui antea capere solebant de qualibet naue ciuium sicut forinsecorum duodecim denarii.^β ¶Eodem anno obiit Frethericus imperator Romanorum, qui duxerat sororem regis Henrici filiam regis Iohannis in uxorem;^a et papa recessit de Lugduno usque ad Mediolanum.^γ

676. Item Nicholaus Bat, item Laurencius de Frowyk - ^bmillesimo ducentesimo quinquagesimo primo,^b ^cin fine anni regni regis tricesimo quinto.^c

677. ¶Hoc anno fuerunt placita corone apud turrim Lond' in crastino sancti Michaelis [30 September].^d In quibus Alexander de Minymes, Iohannes Duraunt, Andreas Pipararius et Willelmus Duraunt fecerunt magnam legem; et similiter Thomas de Faleyse et Iseuda de Tateshale, qui uadiauerant magnam legem in ultimis placitis antea apud turrim placitatis, eam tunc temporis compleuerunt. Et Iohannes dictus clericus defecit in lege sua ideo fuit morti adiudicatus.^α Eodem anno, in festo Translacionis sancti Eadwardi [13 October], ciues Lond' ad petitionem domini regis obtulerunt magnos cereos ad altare sancti Edwardi, scilicet quolibet officio unum cereum quadratum. ^βHoc anno factus est maior Adam de Basinges in festo Symonis et Iude [28 October].^β ¶Hoc anno, in festo sancti Stephani infra Natiuitatem [26 December], maritauit dominus rex Margaretam filiam suam primogenitam regi Scocie.^γ

678. ^eHoc anno, in crastino sancti Iohannis baptiste [25 June],^f fuit maximus estus et durauit per quinque dies.^e

^a *Marginal ins. scribe 1*, De obitu Fretherici imperatoris.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^{c-c} *Add. scribe 1*.

^d *Marginal ins. scribe 1*, Placita corone.

^{e-e} *Add. scribe 1*.

^f *Marginal ins. scribe 1*, De estu.

679. Willelmus de Dunelmo, Thomas de Wymburn' - ^amillesimo ducentesimo quinquagesimo secundo,^a ^bin fine anni regni regis tricesimo sexto.^b

fo. 68^v

680. ^αHoc anno factus est maior Iohannes Tulesan.^α ^βEodem anno, die Martis scilicet tercio decimo die Maii,^c archiepiscopus Cantuarie et alii tresdecim episcopi pontificalibus induti et accensis candelis in | magna aula apud Westmonasterium per assensum domini regis, in presencia sua et comitis Ricardi fratris sui et plurimorum comitum et baronum, excommunicauerunt omnes illos qui aliquid perquirerent uel facerent, per quod libertates in cartis contentas quas fecerat baronibus regni sui, anno regni sui nono, in aliquo articulo infringerentur uel inseruierentur post illum diem. Postea, in crastinum Assensionis Domini scilicet tricesimo die Maii, per preceptum domini regis uniuersa communitas Lond' congregata fuit in cimiterio Westmonasterii ubi dominus rex cepit licenciam dicens quod transfretaret in Wasconiam; et precepit ut omnes de ciuitate conuenissent die Dominica sequenti [1 June] ad Crucem Sancti Pauli coram illis quos ibidem esset missurus, et ibi iurassent fidelitatem Domino Edwardo filio suo et regine sue cui regnum suum erat traditurus.^d Postea negocium illud positum fuit in respectu usque in diem Martis in Pentecostes [10 June], quo die uniuersalis comuna ciuitatis fecit fidelitatem Domino Edwardo et in presencia sua ad predictam Crucem, salua fide domini regis.^β ^γEodem tempore cepit rex a Iudeis uniuersis totam partem omnium mobilium suorum credendo eis per starrios suos, et mandauit per breue suum iusticiariis ad custodiam Iudeorum asignatis ut siquis Iudeus non satisfacisset de tallagio suo infra decimum diem post uisum dicti breuis, quod ipse utlagaretur et portus ei assignaretur et omni domui sue apud Doure ad transfretandum cum proximo uento numquam redditurus; quod postea non stetit.^γ ^δEodem tempore confirmauit rex per

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 2.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De sententia lata uersus illos qui aliquid [...] libertates carte Anglie [...].*

^d *Marginal ins. scribe 1, De transfretacione regis.*

nouam cartam suam ciuibus Lond' omnes libertates suas, leges et consuetudines, et quas etiam habuerunt tempore regis Henrici primi, usitatas et non usitatas; et concessit pro septem libris sterlingorum per annum allocarentur uicecomitibus in firma eorum pro libertate ecclesie Sancti Pauli; et quod maior, qui solebat tantummodo presentari regi ubicumque fuisset in Anglia, de cetero presentaretur baronibus de scaccario apud Westmonasterium si rex non fuerit Lond' eo tempore quo maior electus fuerit.^a Et sciendum quod ciues tunc dederunt domino regi quingenti marcas pro illa carta habenda.^δ Postea, die Mercurii ante festum sancti Laurentii [6 August], posuit se dominus rex in mari ad transfretandum in Wasconiam.^ε

681. Ricardus Pikard, Iohannes de Norhamptona - ^bmillesimo ducentesimo quinquagesimo tercio,^b ^cin fine anni regni regis tricesimo septimo.^c

682. Hoc anno, die Veneris post prandium scilicet decimo die Octobris, excreuit aqua Tamisie ascendens altior quam unquam fecit temporibus nostris.^α ^βEodem anno factus est maior Nicholaus Bat et in crastino presentatus baronibus de scaccario apud Westmonasterium, et iuratus et admissus sicut concessum est ciuibus per cartam domini regis, de qua mencia superius facta est in hoc rotulo.^{d,β} ^γHoc anno, circa festum sancti Michaelis [29 September], statutum est per uniuersam comunam quod balliua de Vico Pontis et de Ripa Regine, quam antea solebant tradi ad firmam, teneant quicumque fuerint uicecomites reddendi inde domino regi quinquaginta libras per annum, et hospitali Sancti Egidii sexaginta solidos, et comune ciuitatis uiginti septem libras.^γ ^δHoc anno statutum est per comunam, ne aliquis de libertate ciuitatis det de cetero scawagium de bestiis suis uenditis in campo de Smethefeld | sicuti antea consueti

fo. 69

^a *Marginal ins. scribe 1*, Carta ad presentandum maiorem ad scaccarium.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^{c-c} *Add. scribe 1*.

^d δ-δ, c. 680.

fuerunt.^δ ^εHoc anno, circa quadragesimam [25 February], uicecomes Myddelsexie per preceptum domini regis fecit dirrui ^aomnes gurgites stantes^a per totam Tamisiam uersus occidentem, tunc temporis plura recia que fuerunt inutilia cremata fuerunt in Westchep.^b Postea, ante Pentecostes [31 May], uicecomites Lond', quia aqua Tamisie pertinet ad Lond' per preceptum domini regis, dirruerunt ^comnes alios gurgites^c a Lond' usque ad mare.^ε ^ζEodem anno, uicesimo nono die Maii, domina regina posuit se in mari ad transfretandam in Wasconiam ad dominum suum regem et Edwardus filius eius cum ea ad desponsandam sororem regis Hyspannie.^ζ

683. Willelmus Eswy, mercer, Robertus de Lintona - ^dmillesimo ducentesimo quinquagesimo quarto,^d ^ein fine anni regni regis tricesimo octauo.^e

684. ^αHoc anno electus est maior Lond' Radulfus Hardel, et quia barones de scaccario fuerunt tunc in parlamento apud Wyndlesoram, non fuit in crastino presentatus; sed, die sequenti, ciues deferentes secum nouam cartam suam presentauerunt illum predictis baronibus, qui noluerunt illum admittere sine breue domini regis, dicentes quod maior anno precedenti non fuit admissus racione predicte noue carte sed per assensum domine regine, que tunc fuit apud Westmonasterium cui regnum fuit commissum ad custodiendum. Et statim postea barones ostenderunt breue domini regis, per quod preceptum est eis ut caperent ciuitatem in manus regis pro assisa panis et seruisie in ciuitate non obseruata; et licet ciues pro huius defalta non debuissent occasionari sed uicecomites tantummodo, si inde fuissent conuicti, tamen capta est ciuitas in manus regis et tradita Iohanni de Gyseorz ad custodiendam, ipso Iohanne iurato coram baronibus. Postea clerici et omnes seruientes uicecomitum et etiam custodes portarum

^{a-a} *Add. scribe 6 in a different stint.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De fraccione gurgitum in Thamisia, cont. scribe 3, et de cremacione recium.*

^{c-c} *Add. scribe 6 in a different stint.*

^{d-d} *Add. scribe 3.*

^{e-e} *Add. scribe 1.*

Tamisie et gaorie ibi iurauerunt. Et hoc totum perlocutum fuit in predicto parlamento, quia ciues in se diuisi noluerunt uenire ibi coram comite Ricardo sicut ei promiserunt ad terminandum hoc unde ipsi eum multociens ante rogauerant, scilicet de excambio. Postea ciues accesserunt ad comitem ad impetrandam gratiam suam, quibus ipse posuit diem apud Lond' dicens quod nichil inde faceret sine consilio regis, cui medietas exitus excambii pertinebat. Postea, tertia die post festum sancti Eadmundi archiepiscopi [18 November], ciues fecerunt finem apud Westmonasterium uersus predictum comitem coram consilio domini regis pro ^asex centi^a marcis, et remisse sunt omnes occasiones excambii,^b et maior et uicecomites in balliua sua sunt restituti.^α ^βHoc anno rediit dominus rex de Wasconia, et ueniens per mediam Franciam in conductu regis Francie posuit se in mare apud Wytsant, et applicuit ad Doueriam in septimana Natalis Domini, scilicet die sancti Iohannis [27 December]; et regina tunc uenit Domino Edwardo filio regis moram faciente in Wasconiam cum sorore regis Hyspanie, quam iam disponauerat, cui pater suus dederat Wasconiam, Hyberniam, commitatum Cestrie, Bristoliam cum castro, Staunford et quicquid habuit in partibus Wallie.^β ^γPostea, secunda die ante Epiphaniam [4 January], ueniens rex Lond' fecit uenire coram se maiorem et ciues statim | post Epiphaniam, quos uoluit occasionari pro euasione Iohannis de Frome, qui captus fuerat et imprisonatus in Neuwegate, quia indictatus fuit esse consenciens in mortem cuiusdam prioris transmarini qui erat de familia episcopi Herefordie. Ad quod ciues responderunt quod non pertinet ad eos custodia gaolie sed tantummodo ad uicecomites; quibus responsum fuit per regem, quia ipsi faciunt uicecomites quod ipsi debent respondere pro eis; qui dixerunt quod ipsi non faciunt uicecomites sed tantummodo eligunt et presentent baronibus domini regis, et illi uicecomites nil possunt facere officii sui antequam admissi sunt ad scaccarium, et quod

fo. 69^v

^{a-a} *Supplied over an erasure.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Remisse sunt amerciamente de escambio.*

in nullo articulo debent respondere pro uicecomitibus, preterquam de firma uicecomitatus, et solummodo tunc quando sufficientes illi non sunt ad firmam reddendam. ^δTandem multis altercacionibus factis^δ capti sunt uicecomites et liberati marescallo curie regis, et in crastinum inprisonati apud turrim Lond' ubi moram fecerunt per unum mensem et amplius. Postea, circa festum Purificacionis sancte Marie [2 February], per multas rationes regi ostensas dimissi sunt uicecomites per pleuinam maioris, et rex ultra modum motus in iram pro illa euasione noluit quod illi remansissent uicecomites; unde ciues ammouerunt eos et eligerunt alios prima die Lune quadragesime [15 February],^a scilicet Stephanum de Oystergate, Henricum de Walemund.^γ

685. Matheus Bukerel, Iohannes le Mynur - ^bmillesimo ducentesimo quinquagesimo quinto,^b ^cin fine anni regni regis tricesimo nono.^c

686. Hoc anno, in festo sancte Eldrede [17 October], tunc temporis die Dominica, soror regis Hyspannie uxor Domini Edwardi primogeniti domini regis uenit Lond', cui innumerabilis populus episcoporum, comitum, baronum, militum et ciuium obuiam exiuit a ciuitate, et etiam dominus rex in propria persona sua, ciuitate Lond' nobilissime aturnata et acurtinata.^d

687. ^αHoc anno, quia specificatum est in cartis de maioratu quod ciues possunt ammouere maiorem suum in fine anni et alium substituere uel eundem retinere si uoluerint, ita tamen quod regi ostendatur retentus est Radulfus Hardel maior, qui se etiam non ammouit a maioratu sicut omnes maiores ante facere solebant; et in tercia die

^a *Marginal ins. scribe 2*, Stephanus de Oystregate, Henricus de Walemund eodem anno. *Four lines of text erased at the end of this entry.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

^d *Marginal ins. scribe 1*, De aduentu uxor domini Edwardi in Angliam.

ostensus regi sedenti ad scaccarium et ibi admissus ipso non iurato sed tantummodo honerato per sacramentum quod fecit anno precedenti.^α ^βEodem die cepit rex ciuitatem in manu sua quia ciues, qui multociens astatu fuerant de auro regine, noluerunt ad illud dandum assentire; et sic remansit ciuitas in manus thesaurarii cui rex illam commiserat usque ad octauas sancti Martini [18 November]; quo die ciuitas retornata est ciuibus per breue domini regis quod impetrauerant apud Wyndlesoram.^β ^γEodem anno, in festo Cecilie [22 November], tunc temporis die Lune, ducti sunt ad Westmonasterium duo et nonaginta Iudei de Lincolnia, qui inprisonati fuerunt apud turrim Lond' pro morte^a cuiusdam pueri masculi, quem debuerant necasse apud Lincolniam in despectu fidei Christiane; de quibus octodecim,^b qui noluerunt ponere se super uerdictum Christianorum sine Iudeis quando rex fuit apud Lincolniam ^cde morte illa,^c et tunc de illa indictati | fuerunt coram rege eodem die fuerunt detracti, et etiam post prandium, et deficiente die de nocte suspensi. Alii uero septuaginta quatuor reducti sunt apud turrim.^γ Eodem anno Dominus Edwardus primogenitus regis uenit Lond' a Wasconia in uigilia sancti Andree [29 November] ciuitate optime cortinata. ^δHoc anno regina remisit ciuibus Lond' omnem actionem, quam habuit uersus illos pro auro suo pro quadringenti marcis,^d quod scilicet aurum ceteri homines de regno uniuersi dare consueti sunt de finibus factis uersus dominum regem.^δ ^εEodem anno uenit rex Scocie et regina sua, filia regis Anglie, in Angliam et, in Assumpcione sancte Marie [15 August], fuerunt cum domino rege apud Wudestok'; quo die idem rex tenuit magnam et nobilissimam curiam fere omnibus comitibus et baronibus suis ibi existentibus.^e Postea enim rex Scocie et regina sua uenerunt Lond' die Dominica ante Decollacionem sancti Iohannis [27 August] ciuitate ornata et incortinata.^ε

^a *Supplied over erasure.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De detraccione et suspensione Iudeorum.*

^{c-c} *Supplied over erasure.*

^d *Marginal ins. scribe 1, De auro regine.*

^e *Marginal ins. scribe 3, Anno quinquagesimo sexto.*

688. Willelmus Eswy, drapparius, Ricardus de Ewelle - ^amillesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, in fine anni regni regis quadragesimo.^a

689. Memorandum cum temporibus preteritis quolibet anno in uigilia sancti Michaelis [28 September] solebant noui uicecomites cum ciuibus equitare ad Neugate ad recipiendos prisonos, et sic ad omnes portas ciuitatis ad capiendam fide ueritatem de illis qui recipiunt consuetudinem ciuitatis; quod hoc anno omnes seruientes, qui pertinent ad uicecomitatum, uenerunt in Gildhalliam eodem die et ibi coram maiore et ciuibus affidauerunt in manus uicecomitis esse fideles quilibet in officio suo quamdiu existent in seruicio illorum. Hoc anno iterum electus est Radulfus Hardel maior, in festo Symonis et Iude [28 October], et quia dominus rex non fuit Lond' presentatus fuit baronibus de scaccario et ibidem admissus.

690. ^aHoc anno, die Lune ante festum sancti Andree [27 November], comparuit Willelmus de Munchanesey in hustengo et fecit legi testamentum Pauline filie Reginaldi de Bungeye uxoris sue defuncte, in quo ipsa prelegauerat omnia tenementa sua in Lond' et optulit ad probandum illud sicut consuetudo ciuitatis est de testamentis aliquid tenementum terram uel redditum tangentibus.^b Ad quod responsum fuit per illos qui dixerunt se esse heredes dicte Pauline, quod non fuit necesse ad illud testamentum probandum quia non fuit racionabile, nam illa non potuit aliquid tenementum legare desicut illa fuit sub potestate uiri sui. ^βTandem multis altercacionibus inter partes factis^β maior et ciues habito colloquio inde in camera uenerunt et dixerunt quod nulla mulier desponsata poterit nec debet aliquid tenementum suum legare, et si fecerit inirritum reuocetur quia nulla uendicio, donacio, dimissio uel alienacio quam mulier, que habet uirum, fecerit de terra, tenementis siue redditibus debent esse stabiles, nisi

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^b *Marginal ins. scribe 6, Memorandum quod mulier desponsata non prelegare tenementum.*

ipsa uenerit in hustingo cum uiro suo et hoc foris affidauerit.^a ^vMemorandum quod eodem anno, in festo Innocencium [28 December], in capella Sancti Stephani apud Westmonasterium coram domino rege et consilio suo prebuit dominus Ricardus comes Cornubie frater dicti regis assensum electioni principum Alemannie,^a qui eum elegerant in regem eorum. Eadem hora illius diei fuit tempestas | ualida et tonitrua et chorucaciones apud Lond' et alibi.^v

691. Vsualiter consuetudo est quando peccunia quam debent uendi per stateram ponderatur, quod statera debet trahere inclinando uersus peccuniam, excepto auro et argento quod semper ponderatur per medium clauum neque trahens ad pondare neque ad aurum siue ad argentum.^b Et quod ponderator, qui ponderat per stateram domini regis in ciuitate, per huius tractum potuit prebere maius pondus uni quam alio, siue per fauorem siue per timorem siue mercede interueniente siue forsitan per ignoranciam, prouisum fuit et statutum, die Sabbati post festum sancti Nicholai [9 December], anno regni regis Henrici filii regis Iohannis quadragesimo primo, quod omnis peccunia que debet uendi per stateras regis in ciuitate ponderetur sicut aurum et argentum, nichil trahens uersus peccuniam; et pro tractu predicto debet uenditor dare emptori ad quemlibet centum, quatuor libras. Tunc prouisum fuit quod ponderator pro labore suo debet habere pro uno centum per se ponderato unum obolum, et de pluribus centenariis de quolibet centum unum quadrentem, et sic de milliariis duos denarios et obolum.

692. Anno eodem Henricus de Ba iusticiarius uenit in Gildhalliam Lond' deferens breue domini regis maiori et uicecomitibus, qui fecerunt uenire coram eo omnes uinetarios ciuitatis quos omnes uoluit ammerciare pro transgressione assise uini; cui ciues responderunt quod uinetarii, qui transgressi sunt assisam, debent et solent

^a *Marginal ins. scribe 1*, De eleccione Ricardi comitis Cornubie in regem Alemannie.

^b *Marginal ins. scribe 6*, De corectione statere domini regis.

solummodo ammerciari ad communia placita corone^a coram iusticiario apud turrim. Quibus iusticiarius dixit quod hoc non sufficit domino regi, quod non uidetur iustum nec equum quod illi debent transgredere assisam per septem annos uel amplius impune et esse tantummodo pro tot transgressionibus semel ammerciati. Ad quod responsum fuit quod dominus rex solet et potest quando uoluerit per electionem ciuium ponere duos custodes ad illam assisam custodiendam, sicut antea fuerunt, qui mortui sunt et postea nullum preceptum habuerunt ciues ad tales eligendos. Ipsi uero custodes, quando aliquis conuictus fuerit de transgressionem assise, debent uinum in illo doleo inuentum unde transgressio facta est uendere et habere illos denarios ad placitum corone coram iusticiariis, et nichilominus debet transgressor ibidem ammerciari. “Tandem multis altercacionibus factis^α ^βpositum fuit illud negocium in respectum ad loquendum cum rege.^β Postea maior et ciues accesserunt ad regem apud Wyndlesoram, qui posuit eis diem inde usque ad parlamentum in medio quadragesima [18 March] apud Lond’.

693. Anno eodem^b in quadragesima et in septimana Pasce uenerunt quamplures principes Alemannie Lond’, scilicet archiepiscopus Coloniensis et alii episcopi, duces et comites, qui omnes fecerunt homagium domino Ricardo comiti in presencia domini regis fratris sui quem elegerant in regem Alemannorum. Postea, die Iouis in eadem septimana [5 April], ipse recessit a Lond’ iter arripiens uersus mare et uxor eius cum eo et Henricus filius suus de prima uxore sua, matre comitis Glouernie, et posuerunt se in mare apud Iernemue, uicesimo septimo die Aprilis, et applicuerunt in festo Philippi et Iacobi [1 May] apud Thurdrakt, que sita est super aquam que uocatur Musele. Postea, in Ascensionie Domini [17 May], coronatus fuit sicut patet in litteris subscriptis: |

fo. 71

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 3, Anno quinquagesimo septimo.*

694. Ricardus Dei gracia Romanorum rex semper Augustus maiori et ciuibus Lond' salutem et omne bonum.^a Libenter uotiuos et celebres nostre felicitatis euentus ad nostrorum specialium corda transferimus credentes in nobis tunc augmenta congaudii geminari, et precipue cum ad aures uestras, quas ex fidei puritate et intime affectionis zelo circa nostrum statum attentas esse confidimus, leticie nostre tripudia deriuamus, illo proculdubio nostris affectibus inhererente desiderio, quod delectaret nos pocius hec et quelibet alia festa presencialiter uobiscum peragere, quam interpretis scripture ministerio nunciare. Sane ut plena omnium nostrorum letorum euentuum qui nobis, postquam a uobis recessimus acciderunt et certa ad uos noticia perferatur, presentem paginam predictorum euentuum ostensiuam ad uos duximus destinandam; uobis ad gaudium intimantes quod cum in die Dominico proximo post festum beati Marci Euangeliste [29 April] apud Iernemue nauem cum nostra concenderimus comitiua die Martis proximo subsequenti, in die uidelicet beatorum Apostolorum Philippi et Iacobi [1 May], saluis per Dei graciam omnibus et nostris et tocius nostre familie ac etiam comitiue personis et rebus uenimus usque Durdreych, in opido uidelicet in medio comitatus Hoylandie constituto, indeque mora ibidem ad tapesendam requiem post labores biduana contracta tercio die recessimus, et continue per Hoyland et Gelrie comitatus transitum facientes, tandem, die Veneris ante festum Ascensionis Dominice [11 May] peruenimus Aquis Granum, occurrentibus nobis in dicte ciuitatis introitu hominibus maioribus et melioribus, clericis uidelicet et laicis, nobilibus, militibus et aliis omnibus ciuibus ciuitatis eiusdem, qui nos magnifice et honorifice cum maximo tripudio et iubilo leti et hyllares sine cuiuslibet difficultatis obstaculo susceperunt. Nec credimus quemadmodum wlgaris in ista terra et communis fame testatur preconium, quod a ducentis annis citra aliquibus imperatorum Romanorum uel regum in sue nouitatis

^a *Marginal ins. scribe 1, Littere regis Alemmanie misse Londoniensibus.*

principio dictam ciuitatem Aquensem sine grauis offensionis seu contradictionis obice sit ingressus. Cumque post ingressum dicte ciuitatis moram in ipsa oporteret nos trahere longiorem, ecce rumores nostri affectati desiderii occurrerunt, nobis hyllariter nunciantes archiepiscopum Treuerensem nostri culminis inimicum, qui in nostri nominis et honoris dispendium nostrum castrum et pallacium Bopardiensa cum maxima multitudine armatorum uallauerat, et ad expugnacionem ipsius multas machinas instaurarat a uenerabili archiepiscopo Maguntinensi dilecto principe nostro, assistente sibi de nostris fidelibus magna copia pugnatorum ob nostri nominis reuerenciam ad dicti castri liberacionem et in obsessorum subsidio properante; dieque Mercurii post festum beati Iohannis Ante Portam Latinam [9 May], cum eodem Treuerensis archiepiscopo uiriliter confligente, non sine strage suorum multis suis militibus et aliis complicibus captiuatis, confectum in prelio per dedecorose fuge presidium mortis supplicium seu periculosum captiuacionis dispendium euitasse. Sic itaque dicto | castro nostro per prefati archiepiscopi Maguntinensis ac aliorum fidelium nostrorum auxilium a pressuris obsidencium et ab inpugnancium insultibus feliciter liberato, ipsoque uictualibus et aliis necessariis ac strenuis defensoribus egregie communito, idem archiepiscopus Maguntinus apud Aquis Granum ad presenciam nostram uenit, ubi, in festo Ascencionis Dominice [17 May], ipso et archiepiscopo Coloniensi, presentibus multisque aliis episcopis, ducibus, comitibus, baronibus, magnatibus et nobilibus regni nostri nostrisque fidelibus in sede magni Karoli cum sollempnitate qua decuit, in Illius nomine qui superbos deiicit et ponit humiles in sublimi, sacri Romani regni ceptum recepimus et coronam; karissima consorte nostra similiter eodem die nobiscum sollempniter ut decuit coronata. Denique festo coronacionis nostre cum magnis sollempnitate et gaudio celebrato dilectorumque principum et aliorum nostrorum fidelium super agendis nostris communicato consilio,

fo. 71^v

uisum est nobis et eis exaltacioni nostre uotie plurimum expedire ut statim sine more dispendio humiliacioni nostrorum rebellium intendamus, et precipue ac primo ut confringenda elati cornua Treuerensis, omnia nostra molimina conuertamus ut sicut se primum in nostris negociis non tam iustum et racionabilem quam uoluntarium constituit turbatorem, ita primo experiatur et discat quid et quantum contra eum possit et ualeat manus nostra. De hoc autem precipue certos esse uos uolumus quod tantam iam in auxilio nostrorum fidelium et fautorum in Alemannia habere confidimus potestatem, quod eos in fidei nostre cultu et in deuocionis nostre zelo durantibus nullius uiuentis sit nobis potencia formidanda. Data Aquisgrano octauo decimo die Maii anno regni nostri primo.

695. ^aHoc anno, circa festum sancti Petri ad Vincula [1 August], militauit rex Anglie^b cum magno exercitu super Lewelinum filium Griffini principem Wallie, et super alios Wallenses qui opposuerunt se contra regem, eo quod Dominus Edwardus, filius regis, noluit illos tractare secundum consuetudines eorum; qui ueniens cum exercitu suo usque ad castrum quod uocatur Ghenhok, moram fecit ibi usque ad Natiuitatem beate Marie [8 September] expectans homines suos de Hibernia quos mandauerat; et ipsis non uenientibus, cum dominus rex uidisset quod non potuit Wallenses opprimere nisi in multitudine seruentum pedi secum, inde recessit posita garenestura in castris suis.

696. Hoc anno, circa festum Natiuitatis beate Marie [8 September], pax formata est in<ter> ciues Londoniarum et abbatem de Waltham, qui antea fuerant discordes, eo quod abbas uoluit habere stallagium de illis in nundinis de Waltham. Et hac de causa omnes de Londoniis retraxerunt se nolentes uenire in predictis nundinis de Waltham per tres annos | et amplius. Et est concordia talis quod abbas transmisit Londoniarum

fo. 72

^a *Scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

ciuibus omnia namia que capta fuerunt pro dicto stallagio, et pro namiis perditis et putridis ualorem in denariis; et concessit quod ciues ueniant de cetero in dictis nundinis et ibi sint quieti de omni stallagio imperpetuum.

697. Thomas filius Thome, Robertus de Catelonie - millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, ^ain fine anni regni regis quadragesimo primo.^a

698. Dicto uero Roberto mortuo factus est uicecomes Matheus Bukerel in crastino sancti Luce [14 December]; qui amotus fuit idibus Februarii [13 February], et factus est uicecomes Willelmus Grapefige.^b

699. Hoc anno creauit rex monetam auream denariorum ponderis duorum sterlingorum de auro purissimo et uoluit ut ille aureus curreret in precio uiginti sterlingorum.

700. Hoc anno, die Dominica proxima post festum Omnium Sanctorum [4 November], uenientibus maiore et ciuibus Londoniarum coram domino rege per preceptum suum ad scacarium, et posuit illos ad racionem coniurans eos in fide qua tenentur ei ut certificassent ipsum secundum consciencias eorum si predicta moneta foret utilis ad commune commodum regni sui an non. Qui habito consilio et colloquio inter se uenerunt coram rege dicentes quod per illam monetam posset magnum dampnum peruenire regno suo, et maxime pauperibus regni sui, quorum plurimorum catalla non ualent unum aureum; et insuper dixerunt quod aurum per hanc monetam multum uilius haberetur cum in tot manus illa moneta dispersa fuisset, quod nunc patet, quia aurum de folio quod semper solebat ualere decem marcas nunc non ualet nisi nouem marcas uel octo. Vnde multis racionibus ostensis quod illa moneta non fuit utilis dixit dominus rex

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Hoc anno retentus est Radulfus maior.*

'Volo quod ista moneta currat denarius pro uiginti sterlingis ita quod nullus cogatur ad illum capiendum; et qui illum ceperit possit illum escambiare ubi uoluerit sine occasione, et si uoluerit ueniat ad excambium nostrum et habebit pro quolibet aureo decem et nouem denarios et obolum'.

fo. 72^v **701.** Hoc anno, die Lune proxima post festum sancti Hillarii [14 January], prouisum fuit,^a quia uicecomites pro uoluntate sua ceperunt de denariis mercatorum de Normannia qui ducunt Wisedam in ciuitatem pro licencia habenda ad illam hospitandam | unde illi nimium fuerunt grauati, quod de cetero ipsi possunt ducere Wisdam suam et dabunt de quolibet fraelo septem solidos illa licencia uicecomitibus excepto obolo de quolibet quarterio de consuetudine.

702. Hoc anno, ante festum Purificacionis beate Marie [2 February], inuentus fuit quidam rotulus in warderoba domini regis apud Wyndlesoram sigillatus "uiridi cera" et nesciebatur quis illum ibi posuit, ^βin quo continebantur multi articuli super maiorem; scilicet quod ciuitas ultra modum grauata fuit per ipsum et consiliarios suos ut in tallagio et aliis iniuriis per ipsos factis.^b Vnde dominus rex uolens scire huius ueritatem misit Londonias Iohannem Maunsel in Conuersione sancti Pauli^β [25 January], qui fecit summoneri Folkesmot^v die Dominica sequenti [27 January]. Qua die ipse fecit legi illum rotulum coram omni populo, presentibus ibi comite Gloucestrie, Henrico de Ba et aliis de consilio domini regis, dicens quod rex noluit permittere quod ciuitas sua grauaretur, set uoluit certificari qui diuites fuerunt deportati in tallagiis et qui pauperes grauati, et si maior et consilarii sui ad usus suos proprios aliquid de tallagiis accepissent. ^δEt precepit omnibus aldermannis ut ipsi in crastino summo mane facerent conuenire wardemota sua, et ibidem homines de qualibet warda in absentia aldermanni eligerent

^a *Marginal ins. scribe 1, De wede.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De rotulo inuento in Warderobia domini regis apud Windleshores.*

fo. 73

de se ipsis triginta sex uiros antea talliatos, qui omnes eodem die, circa horam primam, uenire deberent apud Sanctum Paulum coram ipso et aliis de consilio regis illuc missuris.^δ Et sic factum fuit. Quibus triginta sex uiris in crastino uenientibus in aula episcopi Londonensis coram Iohanne Maunsel, Henrico de Ba iusticiariis, Henrico de Wengham cancellario, Philippo Louel thesaurario et aliis de consilio regis, predictus Iohannes dixit et precepit ex parte domini regis ut ipsi iurati certificassent ipsos super dictis articulis; ^εqui dixerunt quod secundum leges ciuitatis non deberent iurare in aliqua inquisicione nisi ubi iacent uita et membra uel ad terram perdendam siue lucranda, set tantummodo coniurati per sacramentum quod fecerunt regi et in fide qua tenentur Deo et regi. Et ita ^ζmultis altercacionibus inter iusticiarios et ciues factis^ζ nichil factum fuit illa die.^ε Et positus est ciuibus dies in crastino apud Gildhalliam. Quo die ueniente predicto Iohanne Maunsel in Gildhallia cum consilio regis noluerunt iterum ciues assentire ad iuramentum faciendum in inquisicione predicta. In crastinum autem, scilicet die Mercurii ante Purificacionem beate Marie [30 January], ueniente rege uersus Westmonasterium exierunt maior et ciues, sicut mos est, ad salutandum ipsum usque ad Kniwtebrigge. Set rex misit ibidem quendam armigerum precipiens eis ne illi uenirent in conspectu suo; unde statim ciues sencientes regem motum in iram redierunt ad propria rege non affato. Postea, in uigilia Purificacionis [1 February], conuenientibus maiore et innumerabili populo in Gildhallia, missi sunt ibi Michael Touy <et> Adam de Basinges a domino rege dicentes quod rex uult omnes libertates eorum indempnes conseruare, et pro emendacione ciuitatis uult ut inquiratur et per sacramentum per quos communa sua ita grauata est, ut in tallagiis et aliis transgressionibus, et quod nullus debet puniri nisi qui deliquerit, et hoc sine dampno commune. ^ηEadem uerba Iohannes Maunsel et alii missi a rege affirmauerunt et ita per talia uerba et dulcia promissa prebuit populus assensum clamantes ‘ya ya’ ad iuramentum faciendum contra libertates

suas, quas quidem ipsi miserimi non perquisierunt.ⁿ ^oEodem die statim dictus Iohannes cepit ciuitatem in manu domini regis maiore, uicecomitibus et camerario regis amotis, nullo tamen illorum in aliquo conuicto, et tradidit illam constabulario turris ad custodiendam, et posuit in loco uicecomitum Michaellem Touy et Iohannem Addrien.^o Eodem die traditi sunt dicto Iohanni Maunsel omnes rotuli de tallagiis antea factis, quos fecit sigillari et retradidit camerario ciuitatis.

fo. 73^v

703. Postea, in crastino Purificacionis [3 February], et sic de die in diem uenerunt coram ipso Iohanne in camera Gildhallie uel coram constabulario et aliis ibi a rege missis de qualibet warda triginta sex homines; ita quod illi triginta sex homines simul responderunt, set per se | sine aliis de wardis, et iurati de predictis articulis et multis aliis unde affati fuerant et hoc durauit usque ad primam Dominicam quadragesime, tunc temporis in festo sancte Scolastice uirginis et Austberte [10 February], ita quod per duodecim wardas facta fuit illa inquisicio et sic secreto^a quod nulli aliquid fuit reuelatum neque de^b interrogacionibus per iusticiarios factis neque de responsionibus per ciues factis usque ad predictum diem. Quo die rex fecit uenire coram se ad Westmonasterium maiorem et uicecomites et omnes aldermannos ciuitatis et de predictis duodecim wardis de qualibet warda illos triginta sex homines per quos inquisicio facta fuit. Et congregatis illis uocati sunt nominatim omnes aldermanni et de qualibet warda quatuor uiri, qui uenerunt ad scacarium coram baronibus de scacario et comite Glouuernie, et comite de Warewyk, et Iohanne Maunsel, et Henrico de Ba, et constabulario turris et aliis de consilio regis; ^αet uocatis maiore, Nicholao Bat et Nicholao filio Iocei, Matheo Bukerel, Iohanne Tuleshan et Ioanne le Minur^α, dixit Iohannes Maunsel coram omnibus aliis aldermannis et aliis hominibus quod rex sequitur uersus ipsos de grauaminibus et

^a *Ins. above line.*

^b *Ins. above line.*

iniuriis factis hominibus de ciuitate sua. Postea fecit legi unam partem de inquisitione predicta et dixit quod per ipsos et consilia sua grauata et destructa est ciuitas, et ex hoc maxime quod per illos mutata est forma faciendi tallagia, quia rotulus de ultimo tallagio non fuit lectus^a in Gildhallia coram omni populo ad hoc summonito, sicut antea fieri solebat. Set statim facto tallagio licenciati fuerunt omnes talliatores dicto rotulo non sigillato, et sic maior et illi mutauerunt rotulum pro uoluntate sua ad commodum quorundam et ad aliorum iacturam. ^βAd quod responsum fuit quod aliquo tempore rotulus de tallagio solebat legi in Gildhallia coram omni populo, set hoc omissum fuit tunc^b temporis decem annis et amplius transactis. ^γTandem multis obiectionibus per iusticiarios factis^γ et responsionibus per alios defendunt ipsi uim et iniuriam, et quod per ipsos non est mutatus modus talliandi, et per illos nullus est grauatus in tallagio nec deportatus, et quod ultimum | talliagium factum fuit per uiros ad hoc per totam communem electos et iuratos, cuius talliagii suma redacta fuit in scriptis per talliatores – que scripta adhuc remanent penes Willelmum filium Ricardi unum de talliatoribus: et hoc offerunt probare secundum leges ciuitatis Londoniarum. Ad quod Henricus de Ba iusticiarius obiecit interrogans si ipsi uellent ponere se quantum ad hoc de bono et malo super aliis wardis ciuitatis, per quas nulla inquisicio antea facta fuit; qui dicunt quod de omni transgressione eis imposita uolunt defendere se per leges et consuetudines ciuitatis Londoniarum. Et quisitus est per Iohannem Maunsel ab aldermannis et aliis ciuibus qualis est consuetudo illorum in tali casu.^β ^δQui dixerunt quod ciues Londoniarum debent se defendere de morte hominis per triginta sex homines iuratos, et pro transgressione uersus regem per duodecim, et uersus alium septima manu.^δ

fo. 74

^a *Ins. above line.*

^b *Ins. above line.*

Iohannes uero Maunsel de hoc non contentus, quia uoluit predictos grauare, posuit eis diem usque in crastinum coram domino rege.^a

704. In crastino uenerunt ciues ad Westmonasterium, quo die Iohannes Maunsel fecit legi coram rege^b sedente ad scacarium predictas inquisitiones factas in ciuitate, presentibus ibidem omnibus illis de consilio regis, qui die precedenti ibidem fuerant et pluribus aliis. ^αPostea aldermanni et ciues uocati uenerunt coram rege, maior uero et predicti uiri uocati fuerunt per se nominatim, et similiter Arnulfus Thedmarus et Henricus Walemound qui antea non fuerunt in aliquo rectati.^α ^βMaior autem et Nicholaus Bat, qui opposuerunt se in inquisitione coram rege quando fuerunt apud Windleshoram, fuerunt sine responso,^β qui posuerunt se in misericordia domini regis, ^csalua libertate eorum et ciuitatis Londoniarum.^c

fo. 74^v **705.** Alios autem sex uiros fecit rex implacitari quod per consilium eorum datum maiori fuit ciuitas sua ultra modum grauata, ut in tallagiis iniuste factis et aliis iniuriis | comune Londoniarum illatis. ^αHoc adiecto quod statere regis et pondera fuerunt mutata, quod non liceret fieri sine rege. Ad quod responsum fuit quod statera et pondera non sunt mutata, set forma tantummodo et modus ponderandi, et hoc pro magno bono et pro magna fidelitate factum fuit per prouisionem plusquam quingenti uirorum fide dignorum de ciuitate. Nam cum antea statera solebat trahere inclinando uersus mercanciam,^d et per huius tractum prebuit ponderator maius pondus uni quam alii siue per fauorem siue per timorem siue capto mercede, et hoc fuit coopertum; prouisum quod omnis mercancia^e que uenditur per stateram regis ponderetur sicut aurum et argentum sine omnimodo tractu, et pro illo tractu daret uenditor emptori ad quemlibet

^a *Marginal ins. scribe 4, Le defons pur mort d'omm e pur treppas wer le rey e wer le siteseyns, solon les husages de Loundres.*

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Perhaps a later ins. scribe 1.*

^d *Here and below at e mercancia supplied over an erasure.*

centum quatuor libras.^a Set quod per illos uel per consilium illorum ciuitas fuerit grauata in tallagiis uel aliis rebus hoc defendunt et uolunt defendere et omne malefactum eis impositum secundum leges et consuetudines ciuitatis. Et quesitum fuit a ceteris aldermannis qualis fuit^a consuetudo illorum in hoc casu. Qui habito consilio uenientes coram rege dixerunt sicut dictum erat die precedenti, scilicet quod ciues Londoniarum debent se defendere uersus regem de transgressione per duodecim uiros iuratos de ciuitate et quod talis est consuetudo illorum. Set rex de hoc non contentus precepit uicecomitibus ut in crastino fecissent conuenire Folkesmot ad Crucem Sancti Pauli ubi missurus erat Iohannes Maunsel et alii de consilio suo ad inquirendum a communa si talis esset consuetudo illorum. Quo die, scilicet die Martis, uenerunt omnes aldermanni et ciues ad Crucem Sancti Pauli. Cum autem predicti sex uiri occasionati a rege intellexerunt per murmuracionem populi quod ipsi nollent aduocare aldermannos in responso per illos facto coram rege, ipsi accesserunt ad illos qui missi a rege erant tunc existentes in domo cuiusdam canonici de Sancto Paulo, et dixerunt quod noluerunt contra dominum regem placitare set posuerunt se in misericordia domini regis, precantes ut rex faceret inquire per quos uellet de ciuitate si ipsi essent in aliquo culpabiles de aliquo crimine, tamen saluis eis et | aliis ciuibus libertatibus suis; qui noluerunt concedere eis aliquam inquisitionem. Illis uero in misericordia regis existentibus Iohannes Mansel et alii a domino rege missi uenerunt ad Crucem Sancti Pauli, quorum unus facto blando sermone, et quasi predicando promittens populo omnia iura eorum et libertates a domino rege illesas conseruari, dixit 'Si balliuus uel balliui eorum iniuste illos tractati fuissent et multa mala et dampna eis et ciuitati intulissent, supponi in tali casu, secundum legem ciuitatis deberent se defendere uersus regem de secta sua per duodecim uiros iuratos, et uersus conciuces suos per sex uiros, et ita ab

fo. 75

^a *Ins. above line.*

imposicione illius transgressionis fore quieti?' ^βAd quod responsum fuit, nullo tamen colloquio habito sicut mos est inter uiros discretos in ciuitate, set per aliquos de populo filios diuersarum matrum quamplures natos extra ciuitatem et quamplures seruilis condicionis clamando, 'Nay, nay, nay' contra priuilegium libertatum ciuitatis ab antiquo concessum, et per predecessores ciues bone memorie perquisitum et ad illud tempus bene obseruatum; et sic et tali modo sine omni forma racionis fuerunt omnes aldermanni ciuitatis non aduocati.^β

706. Tunc precepit dictus Iohannes ex parte regis quod omnes aldermanni, uicecomites, et camerarius regis in crastino uenissent apud Westmonasterium coram rege. In crastino uero, scilicet die Mercurii, uenerunt omnes predicti in magna aula Westmonasterii ad quos ibidem aliquantulum moram facientes dominus rex, habito consilio cum suis in capella Sancti Stephani, accessit; et sedente pro tribunali et Henrico de Ba iusticiario adiudicante omnes predicti degradati sunt et depositi de balliuis suis et in misericordia regis et arestati, et ita quod nullus eorum sine licencia regis in posterum ad balliuam accederet; qui postea statim concedente rege replegiati redierunt ad propria.

707. Post hec omnia annuente Iohanne Maunsel concessit rex ut exceptis predictis uiris, qui occasionati fuerunt, quilibet aliorum recuperaret balliuam si per comunem ciuitatis ad aliquam fuissent electi. Tunc omnes aldermanni exceptis predictis | restituti sunt ad balliuas suas preter Ricardum de Hadestok. Thomas uero filius Thome restitutus est uicecomes et Willelmus Grapefige factus est uicecomes in loco Mathei Bukerel. Willelmus uero filius Ricardi factus est maior Londoniarum.

fo. 75^v

708. Postea de die in diem camerarii ciuitatis coram dicto Iohanne Maunsel et suis reddiderunt compota de tallagiis factis temporibus maioratus Iohannis de Tulesan et

Radulfi Hardel, presentibus ibi et ad hoc electis quampluribus uiris de ciuitate multum uarie et diuerse sencientibus. In quo compoto nullus de predictis octo uiris conuictus fuit aliquid male delequisse. Tunc temporis noui aldermanni electi sunt per wardas et positi in singulis wardis illorum qui depositi fuerunt, sicut predictum est, excepto quod warda que fuit predicti Arnaldi filii Thedmari remansit in manu maioris. «Et sciendum est predictus Arnaldus de nichilo fuit rectatus, nisi de statera cuius modus ponderandi correcta fuit per ipsum et per alios ^βsicut in hoc rotulo prenotatur^{a,β} Set ipse plus odii fomite quam meritis suis exigentibus inter alios fuit deputatus, sicut patet in sequentibus. Nam postea, die ante festum sancti Leonardi [5 November], anno domini regis quadragesimo quarto, in pleno folkesmoto ad Crucem Sancti Pauli coram domino rege et consilio suo, domino Iohanne Maunsel attestante regem esse certificatum ipsum Arnaldum iniuste esse degradatum, et ipse fuit ad gratiam domini regis reuocatus et in statum suum restitutus.^α

709. Hoc anno agricultura defecit, qua deficiente fames secuta est: ita quod homines de uillis confluebant ad ciuitates pro cibo acquirendo; qua fame conualescente multa milia hominum perierunt. Et multa plura milia occubuissent fame, nisi tamen bladum uenisset tunc temporis de Alemannia.^b

710. Hoc anno fuit illud insane^c parlamentum apud Oxoniam^d circa festum sancti Barnabe [11 June], ^αin quo parlamento prouisum fuit et ordinatum per aliquos comites et barones Anglie ad abolendum illas malas consue|tudines, quibus regnum tempore istius regis tamdiu et ultra modum fuerat oppressum et grauatum, scilicet per eundem regem et alios potentissimos regni; ad quod idem rex et eciam inuitus prebuit assensum

fo. 76

^a c. 691.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De fame.

^c *Supplied over an erasure.*

^d *Marginal ins. scribe 1*, De parlamento Oxonie.

et hoc iuravit.^α Et ad hoc negocium ordinandum electi fuerunt dominus Cantuarie archiepiscopus, dominus episcopus Wygorniensis, dominus Rogerus Bigot marescallus comes Northfolchie, dominus Ricardus de Clare comes Glouuernie, dominus Simon de Monteforti comes Leicestrie, dominus Hunfridus de Boun comes Herfordie, comes de Warewyk, comes de Arbemala, Hugo de Bigot, Petrus de Saueye, Petrus de Monteforti, Rogerus de Mortuo Mari, Iacobus de Audeleye, Iohannes Maunsel.

711. Et quia tunc temporis fratres domini regis ex parte matris sue, scilicet dominus Eymerus electus Wintoniensis, dominus Willelmus de Valancia qui desponsauerat filiam Warini de Munchenesey, dominus Galfridus de Liseny, et dominus Gwydo de Liseny noluerunt assentire ad illud iuramentum, set sine licencia retraxerunt se a dicto parlamento et profecti sunt cum armis suis et hernesio suo uersus mare, et transfretati fuissent si habuissent naues: ipsi postea in parlamento apud Wintoniam licenciati fuerunt per barones ut exirent a regno Anglie, et datus fuit eis dies ut essent ad Doueriam ad transfretandum die Dominica post festum sancti Sylee apostoli [14 July]; quibus uero non fuit permissum ad ducendum secum aliquid de thesauris suis nisi tantummodo quantum oportebat eis ad expensas. Eodem modo Willelmus de Sancto Ermino et multi alii extranei licenciati fuerunt, qui omnes die Dominica predicta siue in crastino transfretauerunt.

712. Memorandum quod occasione predictorum^a prouisionis et statuti per dictum parlamentum Oxonie factorum non obseruatorum, processu temporis fuit regnum Anglie ultra modum perturbatum et multa milia hominum perierunt, sicut in hoc libro inferius notatur.

^a *Ins. above line.*

fo. 76^v **713.** Et sciendum est quod in predicto parlamento Oxonie factus est iusticiarius tocius Anglie | per eleccionem baronum Hugo Bygot, frater marescalli, et tradita est ei turris Londoniarum.

714. ^αAnno eodem, in crastino sancte Marie Magdalene [23 July], existente domino rege apud Westmonasterium accesserunt quidam de ^βpredictis duodecim baronibus^β ad Gildhalliam Londoniarum, scilicet comes Marescallus, dominus Simon de Monte Forti, Iohannes filius Galfridi et alii deferentes secum quandam cartam ad quam pendebant sigilla plurimorum baronum, et eciam sigillum domini regis et Edwardi filii eius, qui scilicet assensum prebuerant et iurati fuerant^a ad tenendum et obseruandum quicquid predicti barones prouidissent ad commodum et emendacionem regni; qui posuerunt maiore^m et aldermannos et alios in ciuitate qui ibi conuenerant ad racionem si uoluerunt assentire ad eorum prouisionem. Maior uero et alii ciues, qui non potuerunt habere licenciam loqui inde cum domino rege, statim habito inter se colloquio consenserunt ad illam prouisionem obseruandam; et hoc iurauerunt et predictae carte sigillum commune ciuitatis posuerunt, saluis tamen eis omnibus libertatibus et consuetudinibus suis.^b ^γPostea predicti barones habuerunt de die in diem colloquium,^γ quandoque ad Nouum Templum quandoque alibi, super usibus et consuetudinibus regni in melius conformandis.^α ^δPost hec, none Augusti [5 August], edictum fuit in ciuitate ne aliquis de familia regis nec alius aliquid caperent in ciuitate, nisi pro uoluntate uenditorum, salua tamen recta prisca domini regis de uino, scilicet de naue que debet plenam consuetudinem duo dolea uini pro quadraginta solidis; et si quis contra hoc uenire presumeret et inde foret conuictus statim imprisonaretur. Post illud uero tempus

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Londonienses prebuerunt assensum ad prouisiones Oxonie.*

nichil ceperunt ministri regis nec aliquis de suis nisi illud in breui soluerent uenditori, quod quidem paruo tempore durauit.^δ

715. Iohannes Addrien, draparius, item Robertus de Corenhelle - millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo, ^ain fine anni regni regis quadragesimo secundo, ^a ^bin fine anni regni regis quadragesimo secundo.^b

716. Hoc anno electus maior Iohannes de Gizorcio et eciam in ausencia sua.

717. “Hoc anno post parlamentum habitum per barones apud Westmonasterium^a accessit Hugo Bygot iusticiarius ad Sanctum Saluatorem, et associato secum Rogero de Turkelby tenuit ibidem omnia placita que pertinent ad iusticiarios itinerantes in comitatu Surayhe, ubi quamplures | balliuos et alios, qui conuicti fuerant de transgressionibus factis subiectis suis, non solummodo ammerciauit, set fecit incarcerari tam clericos quam laicos; et quidem redemit aliquem pro uiginti marcis, et quosdam pro quadraginta et amplius, et quamplures pro parua causa ultra modum grauauit.

fo. 78

718. In hiis placitis homines de Suwerk et alii de comitatu Suraye conquesti sunt de uicecomitibus et ciuibus Londoniarum, quod ipsi iniuste capiebant consuetudines extra portam petrinam super pontem, desicut illi nichil iuris deberent habere ultra portam Tornesiam. Ciues uero uenientibus cum uicecomitibus suis per iusticiarios summonitis uenerunt ad Sanctum Saluatorem coram predictis iusticiariis, et deferentes secum cartas suas dixerunt quod non tenerentur placitare ibi, nec extra muros ciuitatis placitare uoluerunt, set extra formam placiti uoluerunt recognoscere quod bene liceret uicecomitibus Londoniarum capere consuetudines extra predictam portam et eciam usque ad stapellos ibidem sitos, quia tota aqua Thamisie pertinet ad ciuitatem et semper

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

pertinebat et uersus mare usque ad nouum gurgitem.^a ^αTandem multis altercacionibus inter iusticiarios et ciues factis^α iusticiarii fecerunt inquire, licet ciues se in^b inquisitione non posuerunt per sacramentum duodecim militum de Sureye, utrum uicecomites Londoniarum aliquam consuetudinem extra metas suas cepissent, qui iurati dixerunt quod predicti uicecomites iuste ibidem consuetudinem capere possent, quia usque ad predictos stapellos totum pertinet ad ciuitatem; et nullus aliquid iuris habet in Thamisia usque ad nouum gurgitem nisi ciues Londoniarum.

719. ^αPost hec predictus iusticiarius associato secum predicto Rogero accessit ad Gildhalliam Londoniarum et ibi tenuit placita de die in diem de omnibus illis qui querimoniam facere uoluerunt, et incontinenti nulla rationabili summonicione facta uel essoino admissio illa terminauit nullo iuris ordine obseruato contra legem ciuitatis, et eciam contra legem et consuetudinem cuiuslibet liberi hominis de ragno Anglie; ^βquod uero ciues semper calumpniauerunt dicentes quod nullus debet placitare in ciuitate de transgressionibus ibidem factis nisi uicecomites Londoniarum: set nichil profuit.^β

fo. 78^v

Tamen ciues reddiderunt iudicia | de omnibus in ciuitate manentibus qui conuicti fuerunt uel inciderunt pro falsa loquela.^α ^γEodem tempore iusticiarius fecit uenire coram se et coram comite Glouuernie omnes pectores ciuitatis quot quot inuenti fuerunt cum panibus suis, ita quod per paucos ciues conuocos coram ipsis fuerunt panes ipsorum adiudicati, et illi quorum panes non ponderauerunt secundum assayum ciuitatis non^c fuerunt positi in pillorio, sicut antea solebant, set pro uoluntate predictorum iusticiarii et comitis contra antiquam consuetudinem ciuitatis et tocius regni exaltati fuerunt in tumberella.^γ

^a *Marginal ins. scribe 1*, Quod pertinet ad ciues usque ad stapellos uersus Suwerc.

^b *Ins. above line.*

^c *Ins. above line.*

720. Hoc anno, in Octabis Innocentium [4 January], cum clamata fuit assisa de uino et ceruisia in ciuitate, proclamator ciuitatis clamauit illam assisam tam extra portam petrinam sitam super pontem Londoniarum quam alibi in suburbio ciuitatis.

721. Hoc anno dominus Ricardus rex Alemannie, frater domini regis, cum regina sua et liberis suis ueniens per mediam Franciam transfretauit et applicuit apud Doueriam; et in uigilia Purificacionis beate Marie [1 February] uenit Londonias, ciuitate optime attornata et curtinata.

722. Hoc anno, die Lune ante festum sancti Gregorii [10 March], prouisum fuit in Gildhallia inter iudicia quando aliquis detulerit testamentum alicuius defuncti ad probandum in hustingo, licet aliquis calumpnauerit aliquid iuris in tenemento per illud testamentum legato, nonobstante illa calumpnia, statim capiatur illa probacio saluo tamen iure cuiuslibet. Nam illa probacio nichil ratificat nisi ultimam uoluntatem defuncti.^a Ita quod nonobstante illa probacione quilibet qui ius habet in tenemento per illud testamentum legato per alium quam per testatorem, poterit illud petere per breue de recto uel per naturam breuis de introitu, siue per naturam breuis de morte antecessoris alterius quam testatoris siue per queremoniam de intrusione; set tamen quod quereremonie, que fiunt sine breue fiant infra terminum secundum consuetudines ciuitatis usitatas.

723. ^αHoc anno prouisum fuit et statutum quod omnia placita de debitis teneantur coram uicecomitibus tam de ciuibus Londoniarum.^α ^βEodem anno,^β ante Pascham [13 April], inchoata | fuit noua fabrica ecclesie Sancti Paul; et Fulco Basset episcopus Londoniarum obiit ante Pentecosten [1 June].^β

fo. 79

^a *Marginal ins. scribe 1*, Item [...] testamentum nichil ratificat [...] testatoris.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De noua fabrica Sancti Pauli.

724. Adam Bruning, Henricus de Couentre - millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, ^aanno quinquagesimo nono in fine anni regni regis quadragesimo tercio.^a

725. Hoc anno, infra quindenam sancti Michaelis [29 September], fuit maximus uentus et ultra modum orribilis tempestas in terra et in mari: ita quod innumerahiles naues^b exeuntes a portu de Gernemuwe [Yarmouth] ad piscandum cum hominibus perierunt.

726. ^aEodem anno, die Veneris ante festum Simonis et Iude [24 October], habito magno et longo parlamento dominus rex existens in magna aula Westmonasterii, conuenientibus ibidem quampluribus comitibus et baronibus et innumerabili populo, fecit legi aperte et distincte ^bcomposicionem factam per barones, in ^calio libro^c notatas,^b super usibus et legibus regni emendandis. Archiepiscopus Cantuarie et quamplures alii episcopi pontificalibus induti omnes illos sentenciis excommunicacionis^d innodauerunt,^e qui aliquid contra illam composicionem attemptassent.^a ^vEt tunc dominus rex cepit licenciam transfretandi in Franciam pacem compositurus cum rege Francie et tradidit regnum suum ad custodiendum archiepiscopo Cantuarie, episcopo Wygornie, dominis Rogero Bigot, Hugoni Bigot et Philippo Basset.^v

727. Hoc anno factus est maior Willelmus filius Ricardi.

728. ^aEodem anno, die precedenti festum sancti Leonardi [5 November], uenit dominus rex ad Crucem Sancti Pauli innumerabili populo ciuitatis in Folkesmoto congregato et ibi cepit licenciam a populo transfretandi, sicut antea fecerat apud Westmonasterium;^a et promisit eis omnes libertates eorum illesas conseruare, et ad

^{a-a} *Add. scribe 3 in two stints.*

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Supplied over an erasure.*

^d *Ins. above line.*

^e *Marginal ins. scribe 1, Sentencia lata in illos qui aliquid impetrarent contra statua baronum.*

emendacionem ciuitatis concessit eis quedam noua statuta,^a que precepit inuiolabiliter obseruari: ^buidelicet quod de cetero non sit necesse habere causidicum in aliquo placito moto in ciuitate neque in hustingo neque in aliis curiis in ciuitate, preter in placitis ad coronam regis pertinentibus uel in placitis terrarum siue de namiis iniuste captis. Set quilibet ostendat querimoniam suam ore proprio, et pars aduersa similiter sine occasione, ita quod prudentia curie certificata de rei ueritate, | prestat partibus equum et iustum iudicium. Item si aliquo causidico pactum fuerit habendi aliquam partem tenementi pro quo placitat ratione mercedis sue et super hoc conuictus sit, amittet partem illam et suspendatur ab officio suo. Et ita fiat de illis qui super tali transgressione conuicti fuerint, quod amittant partem suam ita perquisitam et grauiter puniantur.^β

fo. 79^v

729. Eodem die^b Iohannes Maunsel dixit pro domino rege quod ipse fuit certificatus Arnulfum filium Thedmari, de quo superius mencio facta est,^c nichil deliquisse et quod iniuste fuit indictatus, reuocauit eum ad pacem et gratiam suam et precepit ut ipse esset in statum suam restitutus.^d

730. Hoc anno, in crastino sancti Leonardi [7 November], recessit dominus rex a Londoniis uersus mare; et dictus Arnulfus, die Lune sequenti [10 November], in hustingo positus fuit in seisinam de warda sua de qua antea depositus fuit.

731. Postea, in festo beati Bricii [14 November], tunc temporis die Veneris, transfretauit dominus rex,^e qui antea ad pacem et gratiam suam reuocauerat Nicholaum

^a *Marginal ins. scribe 1*, Memorandum de quibusdam statutis factis ad emendacionem ciuitatis.

^b *Supplied over erased anno by scribe 1.*

^c *cc. 704-8.*

^d *Marginal ins. scribe 1*, De reuocacione Arnulfi filii Thedmari in statum suum.

^e *Marginal ins. scribe 1*, De transfretacione regis.

filium Iocci, Iohannem le Minur et Matheum Bukerel – de quibus superius fit mencio.^a
Radulfus Hardel, Nicholaus Bat et Iohannes Tulesan obierunt.

732. ^αHoc anno, ante Natale Domini, mutatum est sigillum domini regis adhuc ultra mare existentis^α cuius superscripcio talis est: ‘Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Aquitannie’.^b Et tunc facta est stabilis pax inter ipsum et regem Francie in forma subscripta: uidelicet quod ipse quietum clamauit regi Francie totum ius et clamium quod habuit in Normanniam, Pictauia et Andigauia, retenta sibi tantummodo Vasconia et quibusdam aliis partibus Aquitannie de quibus ipse fecit homagium regi Francie.^c Tunc temporis dedit idem rex Anglie Beatricem filiam suam filio comitis Britannie in uxorem.

733. Hoc anno,^d in crastino sancti Valentini [15 February], tunc temporis die Dominica, consecratus est Henricus de Wengham a Bonefacio Cantuarie archiepiscopo in episcopum Londoniarum in ecclesia Sancte Marie de Suwerk.

734. Anno eodem cum prouisum fuerit per Dominum Edwardum filium regis et comitem Glouuernie, qui tunc temporis erant ad inuicem discordes, ad celebrandum |
fo. 80 generale parlamentum apud Westmonasterium a die Pasche in tres septimanas [25 April], et ipsi proposuerunt et multi alii comites et barones et milites cum equis et armis infra muros ciuitatis hospitari: et ^αper hoc maximum dampnum et periculum ciuibus et ciuitati posset generari.^α ^βVenit dominus Ricardus rex Romanorum apud Westmonasterium, in septimana Pasche, et conuocatis maiore et quibusdam discretis uiris de ciuitate coram ipso et capitali iusticiario et domino Philippo Basset habuerunt

^a cc. 703-8.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De nouo sigilio regis.

^c *Marginal ins. scribe 1*, Tunc impleta est prophecia que dicit: miro mutacionis modo gladius seperabitur a ceptro. Quod tunc impletum fuit, nam rex in ueteri sigillo suo tenuit et gladium et ceptrum; in nouo autem ceptrum sine gladio.

^d *Marginal ins. scribe 1*, De consecracione Henrici de Wengham in episcopum Londoniarum.

colloquium ad illud periculum euitandum. Ita quod tunc prouisum fuit ^γquod nec Dominus Edwardus nec dictus comes nec aliquis alius de quo aliqua suspicio haberetur infra muros ciuitatis hospitaretur: ^γ et ita factum est. Prouisum fuit insuper quod omnes de quindecim annis et amplius quilibet pro posse suo armis essent bene muniti; et quod omnes porte ciuitatis de nocte essent clause, et hominibus armatis custodite, et de die non essent aperte nisi porta Pontis, Ludgate, et Alegate – et ipse essent hominibus armatis bene muniti; et quod predictus rex, predicti iusticiarii et Philippus et quos ipsi uellent adducere de quibus nulla fuisset suspicio infra ciuitatem fuissent hospitati, qui cum ciuibus ciuitatem si necesse esset custodirent.^β

735. ^αPostea, secunda die ante festum sancti Marci ewangeliste [23 April], applicuit dominus rex apud Doueriam^α ueniens a partibus transmarinis, et quinto die post predictum festum uenit Londonias et hospitatus est in hospicio episcopi Londoniarum; et fecit hospitare infra ciuitatem comitem Glouernie et plures alios quos uoluit, ianuis ciuitatis de die et nocte interim hominibus armatis bene munitis. Dominus Edwardus uero et comes Leicestrie hospitati fuerunt extra ciuitatem, et complices eorum uel ad hospicium Ierosolome et in omnibus aliis domibus inter ciuitatem et Westmonasterium. Rex uero Alemannie hospitatus fuit in domo sua apud Westmonasterium, quia necesse non fuit ipsum esse in ciuitate cum dominus rex ibi fuisset hospitatus. Postea rex moram faciens in ciuitate per quindecim dies et amplius recessit inde apud Westmonasterium, septimo decimo kalendas Iunii [16 May], et datus est dies ad aliud parlamentum habendum ad quindenam sancti Iohannis baptiste [8 July].

736. Postea recessit rex Alemannie de Londoniis uersus mare, scilicet in festo sancti Botulfi [17 June], qui tercia die post dictum festum posuit se in mari apud Doueriam.

737. In dicto uero parlamento domino rege et baronibus Anglie uarie et diuerse sencientibus inter se datus est dies ad parlamentum habendum ad festum sancti Edwardi [13 October]. |
fo. 80^v

738. Ricardus Pikard, Iohannes de Norhamton - millesimo ducentesimo sexagesimo, ^ain fine regni regis anni quadragesimo quarto.^a

739. Hoc anno, in festo Translacionis sancti Edwardi [13 October], factus est miles Iohannes filius comitis Britannie qui desponsauerat filiam domini regis, et multi alii nobiles apud Westmonasterium cum maximo iubilo et tripudio.^b

740. Eodem anno, die Lune ante festum Simonis et Iude [25 October], factus est iusticiarius Anglie dominus Hugo le Despenser; et in eodem festo factus est iterum maior Willelmus filius Ricardi.

741. Postea, in crastino Simonis et Iude [29 October], rediens rex Alemannie de transmarinis uenit Londonias; et die sequenti uenit rex Scocie cum regina sua, que repatriato domino suo moram fecit cum regina Anglie matre sua donec pareret.

742. Hoc anno, die Lune post festum sancti Eadmundi regis [22 November], prouisum fuit in pleno hustingo, quia placita mota per multimoda breuia domini regis non potuerunt in una die a mane usque ad uesperas nec eciam usque ad completorium deduci ad effectum, a die illa omnia placita mota per breue de dote unde mulieres nichil habent et placita de consuetudinibus et seruiciis placitarentur illo die quo placita communia tenentur.^c

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De filio comitis Britannie facto milite.*

^c *Marginal ins. scribe 1, Quod breuia de dote et de gaeulette placitantur inter communia placita.*

743. Eodem anno, post Purificacionem beate Marie [2 February], uenit rex Londonias, et postea, die Dominica ante festum sancti Valentini [13 February], fecit conuenire Folksmote ad Crucem Sancti Pauli, ubi ipse uenit et rex Alemannie, archiepiscopus Cantuarie, Iohannes Mansel et multi alii. Ipse uero rex precepit ut omnes de etate duodecim annorum et amplius coram aldermanno suo in singulis wardis iurassent fore fideles ei quamdiu uiueret, et post mortem eius heredi suo: et sic factum fuit. Tunc clause sunt omnes porte ciuitatis de die et nocte per preceptum regis exceptis porta Pontis, porta de Ludgate et porta de Alegate, que de die sunt aperte et hominibus armatis bene munite.

fo. 81

744. Memorandum quod hoc anno in nundinis Norhamptone in uno conflictu inter Londonienses et homines de Norehamptona facta fuerunt quidam de Norehamptona uulnerati,^a quorum unus postea mortuus est, set utrum ipse^b ex illa le|sione uel morte sua naturali obiit nescitur. Balliui autem illius uille, qui semper inuident Londoniensibus, ceperunt ^αquatuor homines de Londoniis imponentes eis mortem illam et illos incarcerationerunt et omnia bona illorum et aliorum de Londoniis arestauerunt.^α Quo audito maior et ciues, quia ^βnullus Londoniensis debet placitare extra muros ciuitatis preter placita de tenuris exterioribus,^β impetrauerunt litteras regias ad illos liberandos maiori, uel nuncio suo, predictas litteras deferenti standi ad rectum coram rege sicut deberent secundum leges ciuitatis. Set dicti balliui noluerunt illos dimittere neque pro illo breui neque pro alio quod maior iterum impetrauit, set illos arcius et crudelius includebant contra precepta domini regis et libertates Londoniarum; et ita remanserunt ibi usque post Purificacionem beate Marie [2 February], quo tempore rex uenit Londonias et hospitatus est apud turrim. ^γIn crastinum autem aduentus sui

^a *Marginal ins. scribe1*, De discordia orta inter Londoniensis et burgenses de Norhamptona.

^b *Ins. above line.*

accesserunt maior et ciues ad dominum regem et impetrauerunt ab eo tercium breue ad predictos prisonos deliberandos et aliud breue uicecomiti de comitatu Norhamptone directum, quod si balliui predicti noluerint illos dimittere, quod ipse intraret infra libertates suas, et ipsos deliberaret latori litterarum domini regis ducendos coram domino rege ad faciendum quod de iure facere deberent secundum leges ciuitatis.^γ

δQuibus litteris impetratis, ecce rumores quod predicti prisonos fuerunt apud Cherringe iuxta Westmonasterium ubi maior et balliui Norehamptone illos adduxerunt.^δ Quo audito maior Londoniarum misit ad illos quosdam ciues deferentes predictum breue, quo breui lecto et intellecto noluerunt adhuc illi prisonos nunciis maioris liberandos assentire. Tunc uero maior Londoniarum cum innumerabili populo accedens ad regem ostendit ei grauiter conquerendo qualiter ipsi balliui in despectu regie maiestatis et ad maximum dedecus ciuitatis sue Londoniarum pro tercio breui suo nichil facere uoluerunt, qui motus | in iram misit Petrum de Neuile quendam marescallum domus sue ad Cherringe, qui incontinenti adduxit prisonos coram rege et liberati sunt maiori. Ciues uero statim narrauerunt uersus illos de Norhamptona de transgressione ^aeis facta et de contemptu breuium domini regis; illi autem responderunt super qua narracione, et responso dominus rex dedit eis diem ad habendum iudicium in crastinum,^a quod iudicium da et cape colludentibus positum fuit in respectum de die in diem plusquam per quinque septimanas.

fo. 81^v

745. Et postea, tercia die ante festum Annunciacionis Dominice [22/23 March], maior et ciues uenerunt apud turrim et balliui de Norhamtona coram domino rege in camera sua, presentibus ibi capitali iusticiario, Philippo Basset, Iohanne Maunsel, Roberto Waleraune et aliis de consilio domini regis. ^aCiues uero pecierunt iudicium suum respectatum inter ipsos et illos de Norhamtona de narracione sua et responso illorum.

^{a-a} *Supplied in the margin.*

Illi autem de Norhamtona dixerunt quod nuncquam responderint eis set domino regi, quia non tenentur placitare extra muros burgi sui,^α et inde proferunt cartam domini regis que facta fuit anno regis qui nunc est quadragesimo primo. ^βEt ciues dicunt quod^β carta illa non debet eis ualere quia non sunt in seisina de multis articulis in ipsa contentis, et maxime quod illi respondent in omnibus nundinis Anglie, et responderunt in nundinis sancti Yuonis, sancti Botulfi, Wintonie, et Lenne, et Stanfordie, et eciam hic partiti sunt de carta sua respondendo ad narrationem ciuium. Postea lectum fuit recordum rotuli iusticiarii in quo specificatar de responso facto domino regi pro contemptu breuium suorum aperte et distincte inrotulatum; de narratione uero ciuium et responso burgensium parum aut nichil scriptum est. Ciues autem dixerunt quod ipsi narrauerunt uersus illos, quod ipsi iniuste retinuerunt liberos homines suos contra libertates Londoniarum post recepcionem breuium domini regis et catalla predictorum adhuc detinent, et de aliis transgressionibus uersus ipsos narrauerunt unde deteriorati sunt et dampnum habuerunt ad ualenciam decem librarum. ^γAd quod ipsi res|ponderunt ita: quod partem recognouerunt et partem defenderunt, et de hoc se ponunt super recordum episcoporum et baronum^γ qui interfuerunt illo die et petunt inde iudicium; petunt eciam iudicium de noua carta burgensium que nullius debet esse ualoris aduersus cartas ciuium quas proferunt, ^δscilicet cartam Henrici regis secundi, Ricardi regis, Iohannis regis, et cartam domini regis qui nunc est, et quod ipsi sunt in seisina de omnibus libertatibus in predictis cartis contentis.^δ

fo. 82

746. ^αTandem multis altercacionibus inter ipsos factis^α habitum est colloquium et consilium coram domino rege per barones suos, et quia episcopi et alii qui interfuerunt illo die quo placitum illud placitatum fuit non fuerunt presentes, positum fuit illud iudicium in respectu usque ad quinque septimanas post Pascham [29 May].

747. Circa idem tempus, in Quadragesima, Philippus de Boklaunde, unus marescallus domini regis qui semper calumpnauerat quod ciues Londoniarum deberent respondere coram senescallo regis quocienscumque aliquis de familia regis conquereret de eis, contra libertates suas, implacitauit quendam mercatorem qui natus fuit in partibus transmarinis: quod placitum deductum fuit in ciuitate coram uicecomitibus Londoniarum et ibi terminatum.

748. Hoc anno electus Wintoniensis, de quo mencio superius facta est,^a qui consecratus fuit apud Romam, ueniens cum litteris papalibus uersus Angliam obiit circa festum Nathalis Domini preteritum;^b et Willelmus de Valencia frater eius rediit in Angliam circa Pascham [24 April] per assensum baronum.^c

749. Postea, uenientibus quinque septimanis post Pascham [29 May], positum est iterum in respectu, usque ad quindenam post festum sancti Iohannis [8 July], predictum iudicium inter Londonienses et homines de Norhamtona.

fo. 82^v

750. Memorandum quod in Pascha predicto dominus rex dum fuit apud | Wintoniam fecit capitalem iusticiarium suum de Philippo Basset, contra assensum baronum qui noluerunt ipsum admittere: et ita hac de causa et aliis de causis orta est dissensio inter dominum regem et predictos barones et eciam sine manifesta racione.

751. Philippus Cissor, Ricardus de Walebrok - millesimo ducentesimo sexagesimo primo, ^dscilicet in fine anni regni regis quadragesimo quinto.^d

752. Hoc anno, ante Translacionem sancti Edwardi [13 October], pacificata est predicta dissensio inter dominum regem et barones suos, predicto rege et regina sua

^a *c. 711.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De obitu episcopi Wintoniensis uenientis de curia Romana.*

^c *Marginal ins. scribe 3, Anno sexagesimo primo.*

^{d-d} *Add. scribe 3.*

tunc hospitatis apud Sanctum Paulum et rege Alemannie apud Sanctum Martinum Magnum: que pax non stetit. Immo barones postea amouerunt uicecomites domini regis per loca et posuerunt ibi alios quos appellauerunt ‘custodes comitatum’, et adhuc non permiserunt iusticiarios, qui missi fuerunt per regnum, ad itinerandum facere officium suum.

753. Hoc anno factus est maior Thomas filius Thome.

754. Hoc anno, in Quadragesima, dominus rex fecit legi ad Crucem Sancti Pauli quandam bullam pape Urbani, qui eodem anno factus est Papa, ^αqui confirmauit bullam Alexandri pape predecessoris sui, qui antea absoluerat ipsum regem et omnes illos de iuramento quod fecerat in parlamento de Oxonia in hoc rotulo prenotato^{a,α} ^βEt misit rex breue suum per omnes ciuitates Anglie precipiens ne quis illam absolucionem contradiceret, et si quis contra hoc in facto uel in dicto facere presumisset, caperetur non liberaturus sine domino rege.^β

755. Hoc anno rex Alemannie recessit a Londoniis pridie ante festum sancti Albani [19 June]: qui tercia die post transfretauit.^b

756. Postea dominus rex, die Dominica post festum Petri et Pauli [3 July], cepit licenciam ad Crucem Sancti Pauli transfretandi in Francia a ciuibus Londoniarum, et in crastinum recessit a Westmonasterio uersus mare et regina cum eo, existentibus tunc temporis ultra mare dominis Edwardo et Eadmundo filiis domini regis; qui rex et regina cito postea transfretauerunt.^c |

fo. 83

^a c. 710.

^b *Marginal ins. scribe 3*, Anno sexagesimo secundo.

^c *Marginal ins. scribe 1*, De transfretacione regis.

757. Circa idem tempus obiit Ricardus de Clare comes Glouernie et Henricus de Wengham episcopus Londoniarum.^a

758. Rex postea graui infirmitate egrotauit circa festum sancte Marie mense Septembris [8 September], pro qua infirmitate moram fecit in transmarinis partibus^b usque post festum sancti Nicholai [6 December].

759. Circa idem tempus electus est in episcopum Londoniarum Ricardus Talebot decanus Sancti Pauli, qui rediens a partibus transmarinis ubi presentatus fuit domino regi, uenit in Angliam, qui egrotans cecidit in lectum et mortuus est ante festum sancti Michaelis [29 September] et ante consecracionem.

760. Osbertus de Suthfolchia, Robertus de Mumpelers - millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, ^cin fine anni regni regis quadragesimo sexto.^c

761. Hoc anno factus est iterum Thomas filius Thome maior Londoniarum.

762. Hoc anno, post festum sancti Martini [11 November], circa uesperas, cum quidam Iudeus uulnerasset quodam anelacio quendam Christianum in uico de Colecherche, accurrerunt multi Christiani, scilicet innumerabilis populus, ad Iudeum persequendum et fregerunt quamplures domos Iudeorum: et de hoc non contempti. Postea nocte super ueniente asportauerunt omnia bona dictorum Iudeorum, et multe plures domos fregissent et bona asportauissent nisi maior et uicecomites accedentes ibi cum armis illos malefactores amouissent. Qua de causa facta est inquisicio in crastinum, et sic de die in diem per maiorem et uicecomites in Gildhallia per duodecim uiros iuratos, de quibus nulla fuit suspicio, quantum ad istam feloniam de singulis wardis Londoniarum. Et postea uniuersi aldermanni fecerunt inquisicionem super hoc quilibet in wardemoto

^a *Marginal ins. scribe 1*, De obitu comitis Glouernie et episcopi Londoniarum.

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

suo, unde qui indictati fuerunt uel accusati, capti fuerunt per uicecomites et inprisonati, partem in Neugate et partem in Crepelgate. Et postea qui fuerunt de libertate ciuitatis et qui potuerunt inuenire plegios fuerunt deliberati per plegios.

fo. 83^v **763.** Hoc anno rediit dominus rex de Francia et ponens se in mari apud Witsand cum | regina applicuit apud Doueriam in uigilia sancti Thome apostoli [20 December], et uenit Londonias die Mercurii ante Epiphaniam [3 January].

764. Hoc anno fuit magnum gelu et glacies ualida incipiens quinta die ante Natale et durauit per tres septimanas continuas; et Tamisia ita fuit congelata quod quandoque fuit cooperta de riuo in riuum, ita quod uidebatur quod ipsa possit transiri pede et equo.^a

765. Anno eodem, septimo die Februarii, combusta sunt proprio igne suo parua aula domini regis apud Westmonasterium, camera et capella et receptaculum et alie plures domus officiales.

766. Hoc anno, ante Cathedram sancti Petri [22 February], ostenderunt maior et ciues Londoniarum domino Philippo Basset iusticiario Anglie et aliis de consilio domini regis apud Westmonasterium, quod constabularius turris uoluit occupare contra illos libertates suas arestando in Thamisia naues ante turrim et capiendo prisas de blado et aliis rebus antequam uenirent ad portum, dicentes quod ipse tunc temporis fecit arestare nauem Thome de Basinges cum frumento ante turrim et uoluit inde capere centum quarteria, quodlibet quarterium pro duobus denariis minus quam uenditum fuerit quando ueniret ad terram. ^αAd quod dictus constabularius respondit quod hoc bene potuit facere ad opus domini regis; ad hoc ciues dixerunt ^βquod attachiamenta in Thamisia pertinent solummodo ad uicecomites Londoniarum,^α quia aqua Thamisie tota

^a *Marginal ins. scribe 1, De magno gelu.*

pertinet de riuo ad riuum ad ciuitatem usque ad Newe Were,^a sicut pluries ostensum est coram iusticiariis itinerantibus apud turrim et sicut compactum fuit apud Bermundesheie per duodecim milites iuratos de Sureye coram domino Hugone Bigot iusticiario Anglie tunc itinerante ibidem.^β

fo. 84

767. ^αDicunt eciam quod dominus rex nullam prisam capit de blado antequam nauis sit ad portum, et tunc habebit ipse quarterium frumenti pro duobus denariis minus quam uenditum fuerit, et hoc solummodo ad sustentacionem domus sue; et quod constabularius uel aliquis alius non habet prisam de blado, set si uoluerit aliquid emere, emat in mercato ciuitatis sicut ciues et ad uoluntatem uenditoris; et petunt dominum regem quod ipse uelit libertates eorum conseruare et semper calumpniantes quod nolunt nec debent illuc iudicium subire uel recipere.^α Tunc habito colloquio inter iusticiarios et alios de consilio regis dixit dominus Willelmus de Wiltona ciuibus, ^βDominus rex uult quod libertates uestre conseruentur et nos debemus uelle quod iura sua non pereant, et quia ignoramus que iura pertinent ad turrim, nos uolumus inquirere in tres septimanas post Pascha per alios qui fuerunt ibidem constabularii qualem seisinam dominus rex ibi habuerit; set ciuitas interim habeat seysinam suam integre et pacifice salua tamen calumpnia constabularii quam ad dictum diem monstrare rationabiliter poterit'.^β Tunc prouisum fuerit per ciues et iniunctum uicecomitibus ne illi permetterent constabularium aliquod attachiamentum facere in Thamisia, et si necesse foret quod ipsi^b uim ui repellerent.

768. Hoc anno iterum prebuit dominus rex assensum ad statuta de Oxonia tenenda et misit breuia sua, in quibus statuta scripta erant, per omnes comitatus Anglie precipiens

^a *Marginal ins. scribe 4, De la frauniise de Tamise.*

^b *Ins. above line.*

illa obseruari simul cum aliis que comiti marescallus, comiti Leicestrie, Philippus Basset et Hugo Bigot essent prouisuri: quod parum stetit.

769. Postea, die Dominica in media Quadragesima [11 March], conuenientibus multis de ciuitate ad Crucem Sancti Pauli maior fecit fidelitatem domino regi coram consilio suo et Domino Edwardo post uitam suam; et in crastino omnes aldermanni in Gildhallia et qui erant absentes per infirmitatem in domibus eorum coram maiore; die Dominica uero sequenti [18 March], uniuersi homines duodecim annorum et amplius quilibet in Wardemoto coram aldermanno suo fecerunt illud idem iuramentum. |

fo. 84^v

770. Hoc anno, ante Pentecosten [20 May], barones, qui prebuerant assensum ad ordinationes et statuta facta apud Oxoniam obseruanda, miserunt quoddam breue sub sigillo Rogeri de Clifford domino regi petentes ipsum ut ipsa statuta uellet conseruare et defidaue<runt> omnes illos qui contra ire uoluerunt, salua persona regis, regine et liberorum suorum.^a Tunc statim dicti barones militauerunt cum magno exercitu super omnes aduersarios suos, et in primis apud Hereford ceperunt episcopum Herfordie et omnes canonicos suos alienigenas; et thesauros eorum asportauerunt et omnia que inuenta sunt in maneriis uendiderunt et multa maneria combusserunt. Et eodem modo fecerunt de omnibus maneriis per que transitum fecerunt, scilicet illorum qui illa statuta infringere nitebantur tam uirorum ecclesiasticorum quam aliorum, et eciam in ecclesiis suis nouos rectores statuerunt, et maxime in ecclesiis alienigenarum, ^αnulli molesciam inferentes preter aduersariis suis set firmam pacem obseruantes.^α Castella uero domini regis et aliorum capientes in eis nouos constabularios posuerunt, quos omnes fecerunt iurare fidelitatem domino regi et semper uexillum domini regis coram se detulerunt. Postea miserunt breue ciuibus Londoniarum, circa festum sancti Iohannis [24 June], sub sigillo Simonis de Monte Forti comitis Leicestrie uolentes certificari ab ipsis an uellent

^a *Marginal ins. scribe 1*, Barones militauerunt super illos qui fuerunt contra statuta Oxonie.

obseruare dictas ordinationes et statuta facta ad honorem Dei, ad fidem domini regis et ad utilitatem tocius regni, an pocius adherere illis qui uoluerunt illas infringere. Et sciendum quod talis fuit peticio baronum:

771. ^αPetunt barones a domino rege humiliter et deuote quod ordinationes et statuta apud Oxoniam facta, et iuramento firmata, tam domini regis quam eciam magnatum et subsequenter omnium et singulorum tocius regni Anglie, firmiter et inuiolabiliter obseruentur.^a Ita tamen quod si aliqua in eis per considerationem bonorum uirorum ad hoc electorum inueniantur domino regi uel regno preiudicialia uel dampnosa, illa penitus subtrahantur; et si que fuerint obscura uel corrigenda | declarentur uel corrigantur; et prouideatur securitas de aliis, uidelicet bonis et utilibus imperpetuum firmiter obseruandis. Item, petunt quod regnum de cetero per indigenas, fideles et utiles sub domino rege gubernetur et non per alios, sicut fit communiter in omnibus aliis mundi regnis.^α Quod uero mandatum ciues ostendunt domino regi existenti apud turrin, rege Alemannie, regina, Domino Edwardo, et Roberto Walrand tunc ibi solummodo presentibus, et dixerunt quod ^βomnis communa^β illa ^γstatuta que sunt ad honorem Dei, ad fidem regis et ad utilitatem regni^γ uolunt obseruare, que statuta per preceptum regis a dicta communa antea iuramento fuerunt affirmata; ^δet quod nullos milites, seruietes, alienigenas uoluerunt permittere in ciuitate hospitari, quia per illos orta est^b omnis discordia inter regem et barones suos.^δ Postea missi sunt per preceptum regis quidam de ciuibus cum consilio regis ad pacificandum cum baronibus usque ad Doueriam. In quo itinere factum est responsum baronibus quod ^εtota communa^ε uoluit dicta ^ζstatuta facta ad honorem Dei, ad fidem domini regis et ad utilitatem regni^ζ

fo. 85

^a *Marginal ins. scribe 1*, Peticiones baronum ad predicta statuta obseruanda.

^b *Ins. above line.*

obseruare, salua libertate Londoniarum: et ita barones et ciues sunt confederati dicentes^a salua fide domini regis.

772. Tunc temporis et antea licenciati fuerunt omnes alienigene, milites et seruietes a ciuitate, qui postea per Dominum Edwardum positi sunt in garenestura apud Wyndleshoram.^b ^αEt tunc ciues fecerunt excubias equitantes de nocte per ciuitatem cum equis et armis, inter quos innumerabilis populus peditum se intrusit, quorum quidam maliciosi sub colore querendi alienigenas fregerunt plures domos aliorum et bona ibi inuenta asportauerunt; ad quorum maliciam refrenandam dimisse sunt excubie equitancium et facte sunt in wardis quilibet in warda sua bene armatus.^α ^βPostea, die Dominica ante festum sancte Margarete [15 July], uenerunt barones Londonias,^c et in crastino rex et regina | recesserunt a turry usque ad Westmonasterium. Tunc temporis assenciente domino rege factus est per barones Hugo le Despencer iusticiarius tocius Anglie et tradita est ei turris Londoniarum.^β

fo. 85^v

773. Memorandum quod iste maior tempore maioratus sui ita nutriat populum ciuitatis quod uocantes se ‘communam ciuitatis’ habuerunt primam uocem in ciuitate. Nam ipse maior omnia agenda sua per illos agebat et terminabat dicens eis, ‘Vultis uos ut ita fiat’ et si dixissent ‘Ya ya’, ita factum fuit; et econuerso parum aut nichil aldermannis seu magnatibus ciuitatis super hoc consultis, set fuerunt ipsi quasi non essent.^d Iste populus ita per hoc erat elatus et superbia inflatus ^αquod tempore perturbacionis regni,^α de qua superius mencio facta est,^e ipsi fecerunt de se conuenticulas, et per centenos et millenos iuramento confederati sunt sub quodam colore pacem obseruandi, qui

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 1*, Alienigeni licenciati fuerunt a ciuitate.

^c *Marginal ins. scribe 2*, Qui confederati fuerunt cum ciuibus sicut prenotatum est.

^d *Marginal ins. scribe 1*, Qualiter minutus populus habuerunt dominacionem ultra mangnates ciuitatis.

^e *cc. 770-2.*

manifeste fuerunt pacis perturbatores. ^βNam cum^a barones tantummodo super illos qui predicta statuta infringere uoluerunt militassent et bona talium diripuissent, et hoc de die, isti de nocte domos Caurtinium^γ et aliorum qui non fuerunt contra statuta predicta in ciuitate fregerunt, et bona in predictis domibus inuenta uiolenter asportauerunt, et multa alia illicita fecerunt.^β Illos uero maior tepide redarguebat.

774. Postea ipsi uelut iusticiarii itinerantes uoluerunt omnes purpresturas^α nouas et ueteras in ciuitate nullo iuris ordine obseruato amouere, et uenellas per breue domini regis et per iusticiarios itinerantes assentiente communa obstupatas, et quosdam arentatas nitebantur aperire; ita quod quasdam et sine iudicio aperuerunt, et eodem modo quasdam purpresturas amouerunt et aliquas post prandium; et hoc non fecerunt solummodo amouendi illas set occasione meremium et alia ibi inuenta asportandi.

fo. 86 **775.** Postea, in crastino sancte Margarete [21 July], missum est breue domini regis maiori et ciuibus in quo lecto in | Gildhallia continebatur quod illa dissencio, que fuit inter regem et barones, fuit pacificata; et precepit rex quod pax sua infra ciuitatem et extra firmiter obseruaretur; et cum de aliquo contra predicta statuta ueniente sciri posset, per balliuos arestatus fuisset, et omnia bona sua et saluo custodita donec rex super hoc aliud dedisset in preceptis. Et a die illa in antea omnia per legem terre deducta fuissent et terminata.

776. Tunc temporis predicti barones ad captandam a ciuibus maiorem beniuolenciam affati sunt eos dicentes ut ipsi prouidissent, si quid subtractum fuisset de libertatibus suis, et eciam alia que fuissent iusta et honesta ad libertates suas augmentandas, et illa posita in scriptis, barones ostenderent regi et consilio suo, qui ea sigillo suo confirmaret predictis ciuibus et heredibus eorum imperpetuum possidenda. Maior uero fecit

^a *Ins. above line.*

summoniri uniuersum populum ciuitatis dicens eis ut homines de quolibet officio prouidissent que fuissent eis utilia; et ipse ea faceret clamare in ciuitate et firmiter obseruare.^a Vnde postea de die in diem singuli de quolibet officio per se fecerunt noua statuta et prouisiones que magis possunt dici ‘abhominaciones’, et solummodo ad commodum ipsorum, et ad intollerabilem iacturam omnium mercatorum ueniencium in Londonias et in nundinis Anglie, et ad maximum dampnum uniuersorum regni.^α βEt tunc nichil actum fuit siue tractatum de communi utilitate ciuitatis neque de augmentacione libertatum eiusdem,^β set tamen predicta statuta et prouisiones ad nullum peruenerunt effectum.

fo. 86^v **777.** Postea, in uigilia sancti Iacobi [24 July], recesserunt ^{***b} et barones uersus Windleshoram a Londoniis ad obsidendum castrum illud, quod quidam castrum redditum est per Dominum Edwardum pace formata die post predictum festum, | adhuc rege et baronibus moram facientibus circa Fuleham: et statim alienigene qui infra castrum fuerunt repatriaerunt.

778. Tunc temporis et plures magnates et alii ostenderunt regi et consilio suo conquerendo quod ipsi inter alios fuerunt depredati, et iniuste, dicentes quod ipsi non fuerunt contra dicta statuta de Oxonia et pecierunt sibi iusticiam exhiberi: quod positum fuit in respectum usque ad quindenam sancti Michaelis [13 October].^c

779. Postea, secunda die post festum sancti Mathei [23 September], tunc temporis die Dominica, dominus rex, regina et filii eorum, et quamplures nobiles regni Anglie transfretauerunt ut essent ad parlamentum regis Francie apud Bononiam, ubi locutum

^a *Marginal ins. scribe 1*, Ciues fecerunt statuta tantummodo ad commodum ipsorum.

^b ciues?

^c *Marginal ins. scribe 1*, Qui fuerunt iniuste depredati pecierunt iusticiam.

fuit de peregrinacione sua et aliorum cruce signatorum in terram sanctam;^a et de coronacione filii sui in regem, existentibus tunc ibidem fere omnibus ducibus et magnatibus Francie, Burgundie, Campanie, et Hispanie.

780. Thomas de Forda, Gregorius de Rokesle - ducentesimo sexagesimo tercio, ^bin fine anni regni regis quadragesimo septimo.^b

781. Hoc anno, die post octabas sancti Michaelis [7 October], dominus rex rediens de Bononia uenit in Angliam; et postea, die Veneris [12 October], uenit Londonias.^c

782. Memorandum quod cum per plures annos contencio fuisset inter abbatem Westmonasterii et ciues Londoniarum super quibusdam libertatibus, quas dictus abbas per quamdam cartam a domino rege impetratam exigebat in comitatu Midelsexie. Tandem hoc anno, die Martis post octabas sancti Michaelis [9 October], dicta contencio ad scacarium domini regis coram Gilberto de Prestona iusticiario per breue regis ad hoc specialiter missum et coram baronibus de scacario per iudicium fuit terminata. Nam per uerdictum duodecim militum iuratorum de comitatu Midelsexie conuentum fuit quod uicecomites Londoniarum possunt intrare in omnibus uillis et tenementis, que abbas habet in Midelsexiam, usque ad portam abbathie sue, et ibi summoniciones facere et distringere omnibus modis, sicut in tenementis aliorum libere tenencium in comitatu; et quod tenentes abbatis ad comitatus et ad hundreda sectam facere debent et omnia alia seruicia que liberi | tenentes de predicto comitatu facere solent. ^aPostea processu temporis predictus abbas et conuentus suus per cartam suam communi sigillo eorum sigillatam remiserunt ciuibus omnem accionem quam habuerunt in Midelsexia

fo. 87

^a *Marginal ins. scribe 3*, De transfretacione regis.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^c *Marginal ins. scribe 4*, Sell an fut la batayle de Leues.

occasione prenominate carte a domino rege impetrate ad preiudicium ciuium imperpetuum:^a a quod postea non stetit.^a

783. Hoc anno in parlamento post quindenam sancti Michaelis [13 October], iterum orta est dissencio inter dominum regem et predictum comitem Leycestrie et complices suos. Rex enim et Dominus Edwardus et multi magnates regni, qui eis adheserunt, uoluerunt ut omnibus illis quibus iniuste depredaciones seu transgressiones facte fuerant iusticia exhiberetur; ad quod pars altera noluit assentire. Postea rex uoluit ut illi qui debent esse de familia domus sue fuissent per ipsum electi et in officio positi.

784. Tunc temporis Dominus Edwardus sub colore uisitandi uxorem suam intrauit in castrum de Wyndeshora et ibi se tenuit. Rex autem in crastino mane recessit a Westmonasterio uersus dictum castrum et in eo intrauit cum suis quibus uoluit, quem multi comites et barones qui cum eo tenuerunt sunt secuti; comite Leicestrie et complicibus suis in Londoniis hospitatis. Postea utraque pars posuit se in arbitrio regis Francie de predicta contencione.

785. Hoc anno iterum electus est maior Thomas filius Thome per populum, aldermannis aut magnatibus ciuitatis parum super hoc consultis, et statim iuratus sicuti antea duobus annis precedentibus fecerat, quod nuncquam alius maior fecit nisi prius admissus fuerit a rege uel a baronibus suis de scacario. Ipse uero in crastino fuit presentatus predictis baronibus apud Westmonasterium, set non fuit admissus prohibente domino rege per breue suum, qui ualde motus fuit in iram aduersus ciuitatem pluribus de causis.

786. Postea dominus rex, qui antea miserat litteras suas regi Francie standi arbitrio suo de contencione inter ipsum et barones habita, transfretauit, in septimana Natalis, et

^{a-a} *Add. scribe 1.*

fo. 87^v Dominus Eadwardus et alii de consilio suo ad parlamentum regis Francie. Petrus uero de Monte<forti> | et quidam alii ex parte baronum, quorum literas eodem modo predictus rex^a habuit patentes quod starent arbitrio suo, transfretauerunt.

787. Rex autem predictus, die Mercurii ante conuersionem sancti Pauli [23 January], declarauit arbitrium suum cuius tenor talis est:^b

788. ‘Nos partibus conuocatis Ambienis domino rege Anglie personaliter, et quibusdam de baronibus per se, et aliis per procuratores comparentibus coram nobis; auditis hinc inde propositis et defensionibus, ac rationibus parcium plenius intellectis, attendentes per prouisiones, ordinationes, statuta, et obligaciones Oxonie, et per ea que ex eis et occasione eorum subsecuta sunt, iuri et honori regio plurimum fuisse detractum, regni turbacionem, ecclesiarum depressionem et depredacionem, et aliis personis ipsius regni, ecclesiasticis et secularibus, indigenis et alienigenis, grauissima dispendia prouenisse; et quod uerisimiliter timebatur ne grauiora contigerent in futurum, communicato bonorum et magnatum consilio. Predictas prouisiones, ordinationes, statuta, et obligaciones, quocunque nomine teneantur, et quicquid ex eis uel occasione earum subsecutum est, per dictum nostrum et ordinationem nostram cassamus et irritamus; maxime cum appareat summum Pontificem eas per suas litteras cassas et irritas nunciasse; ordinantes, quod tam dictus rex quam barones et alii quicumque presenti compromisso consenserunt et de predictis obseruandis se quocumque modo astrinxerunt, se de eisdem quietent penitus et absoluant. Adicimus eciam quod, ex ui seu uiribus predictarum prouisionum seu ordinationum et obligationum, uel aliquos super hoc concesserunt potestates a rege, nullus noua statuta faciat neque iam facta teneat uel obseruet, nec propter non obseruacionem predictorum

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De arbitrio regis Francie.*

fo. 88

debeat aliquis capitalis, uel aliter inimicus haberi, aut penam aliquam propter hoc sustinere. Decernimus eciam quod super predictis prouisionibus et earum occasione omnes littere confecte irritae sint et inanes; et ordinamus eciam quod ipsi regi Anglie restituantur a baronibus et reddantur. Item dicimus et ordinamus quod castra quecumque tradita fuerint custodienda ad securitatem, seu occasione predictorum, | et adhuc detenta libere a baronibus eidem regi reddantur, tenenda ab eodem rege sicut ea tenebat ante tempus predictarum prouisionum. Item dicimus et ordinamus quod liceat eidem regi libere capitalem iusticiarium, cancellarium, thesaurarium, iusticiarios minores, uicecomites, et quoscumque alios officiales ac ministeriales regionis sui, et domus sue, preficere, destituere, instituere^a et amouere, pro sue libito uoluntatis sicut faciebat ante tempus predictum. Item retractamus et cassamus illud statutum factum quod regnum Anglie per indegenas de cetero gubernetur, necnon ut exirent alienigene non reuersuri, exceptis illis quorum moram fideles regni communiter acceptarent. Ordinamus per dictum nostrum ut liceat alienigenis morari in dicto regno secure; et quod dictus rex possit alienigenas ad consilium suum quos sibi uiderit utiles et fideles uocare, sicut facere poterat ante tempus predictum. Item dicimus et ordinamus quod dictus rex plenam potestatem et liberum regimen habeat in regno suo et eius pertinenciis; et sit in eo statu et in ea plenaria potestate in omnibus et per omnia sicut erat ante tempus predictum. Nolumus autem nec intendimus per presentem ordinacionem derogare in aliquo regiis priuilegiis, cartis, libertatibus, statutis aut laudabilibus consuetudinibus regni Anglie, que erant ante tempus predictum. Ordinamus eciam quod idem rex dictis baronibus indulgeat et remittat omnem rancorem quem habeat aduersus eos occasione premissorum: et similiter barones

^a *Ins. above line.*

eidem. Et quod nullus alterum occasione premissorum, de quibus in nos extitit compromissum, per se uel per alium de cetero non grauet in aliquo uel offendat.

789. Postea dominus rex rediens de partibus transmarinis uenit in Angliam.^a

790. Barones uero non contempti de arbitrio predicti regis Francie fuerunt,^b qui statim militauerunt in Marchia Wallie super Rogerum de Mortuo Mari, et omnia castra sua prosternerunt et terras suas depredauerunt et maneria et uillas combusserunt, ad cuius succursum Dominus Edwardus in manu ualida ueniens fere captus fuit. Et tunc iterum captum est parlamentum apud Oxoniam ^αinter dominum regem et predictos barones.^α

^βLondonienses autem et barones de Quinque Portibus et fere omnis communa mediocris populi regni Anglie, qui uero non posuerunt se super regem Francie, penitus arbitrium suum contradixerunt.^β

fo. 88^v

791. ^αVnde Londonienses fecerunt de | se ipsis constabularium, scilicet Thomam de Piwelesdona, et marescallum, scilicet Stephanum Bukerel, ad quorum summonicionem audita magna cloca Sancti Pauli omnes de ciuitate exire deberent et non aliter; muniti tam de nocte quam de die, bene armati, sequentes uexilla dictorum constabularii et marescalli ubicum<que> illos ducere uoluissent.^α Postea Hugo le Despenser iusticiarius, qui tunc custodiebat turrim, ^βcum innumerabili populo Londoniensium exierunt a ciuitate sequendo uexilla predictorum constabularii et marescalli et nesciebant quo ire deberent uel ad quid faciendum,^β qui ducti sunt usque ad Ystleworthe et ibidem prostrauerunt et combusserunt manerium regis Alemannie et omnia bona ibi inuenta depredauerunt, et molendina ac uiuaria sua fregerunt et combusserunt,^c nullis treugis obseruatis dum predictum parlamentum steterit. Et hoc fuit inicium dolorum et origo

^a *Marginal insertion scribe 1*, Quinto decimo kalendas Marcii [15 February].

^b *Ins. above line.*

^c *Marginal ins. scribe 1*, De combustione de Ystlewerthe.

mortalis gwerre per quam tot maneria combusta sunt, et tot homines diuites et pauperes depredati, et tot mille homines perierunt.

792. Illo uero parlamento finito sine concordia uenit comes Leicestrie Londonias et multi barones cum eo. Tunc statim dominus rex et Dominus Edwardus in manu ualida militauerunt ad Northamtonam et illam ceperunt, et eciam castrum, et Petrum de Monte Forti, et Simonem filium comitis predicti, et omnes barones ibi inuentos cum omni harnesio suo; et omnes burgenses ceperunt quos omnes fecit rex saluo custodiri.^a ^αTunc temporis barones et Londonienses confederati sunt scripto cyrographato et iuramento quilibet duodecim annorum et amplius standi simul contra omnes, salua tamen fidem domini regis.^α

793. Postea, in septimana ante Ramos Palmarum [13 April], destructum est Iudaismum in Londoniis et omnia bona ipsorum asportata, et quotquot Iudei fuerunt inuenti, nudi, dispoliati, et postea de nocte cateruatim trucidati, scilicet numero plusquam quingenti; et qui remanserunt saluati fuerunt per iusticiarum et maiorem, ^αqui ante occisionem missi fuerunt apud turrim, et tunc arca cyrogaphorum missa fuit apud turrim ad saluandam.^b Tunc ^cet antea^c | multi denarii Ytallicorum et Caurcinium, qui fuerunt depositi in custodia in prioratibus et abbathiis circa Londonias, extracti sunt et ad Londonias deportati.^α Postea, in septimana ante Pascham [20 April], barones et Londonienses expungnantes Roffam ceperunt eam, et castrum obsederunt et balliuam ceperunt: qui auditis rumoribus de aduentu regis, recesserunt et uenerunt Londonias in septimana Pasche.

fo. 89

^a *Marginal ins. scribe 1*, De capcione Northampton.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De destruccione Iudeorum

^c *Marginal ins. scribe 1*.

794. Postea,^a in festo sancti Iohannis Ante Portam Latinam [6 May], exierunt barones et Londonienses a ciuitate aduersus dominum regem tunc existentem in partibus de Liewes cum maximo exercitu;^b et nono die a die illa, tunc temporis die Mercurii [14 May],^c ualde mane conflixerunt partes extra uillam de Liewes; et in primo conflictu maior pars Londoniensium peditum et equitum ^det quidam milites et barones^d posuerunt se in fugam uersus Londonias. Barones et illi qui remanserunt pugnauerunt cum exercitu regis usque ad noctem, et innumerabili populo utriusque partis occiso, barones habuerunt uictoriam et ceperunt uillam de Liawes; et ^erex Alemannie captus est,^e et multi alii comites et barones uel reddiderunt se uel fuerunt occisi; in quo conflictu sine regibus et Domino Edwardo uiginti quinque barones uexilla portantes uel capti sunt uel occisi; quidam tamen barones de exercitu regis ponentes se in fugam euaserunt.

795. Memorandum quod nocte illa inter regem ^eet barones^e et suos extitit prouisum et ordinatum quod prouidencie Oxonie starent inconcuse, et si quid ex eis foret corrigendum per quatuor nobiliores Anglie episcopos seu magnates penitus corrigeretur; et si dissensio aliqua foret inter ipsos ita quod nullo modo concordies fieri possent, tunc staretur ueredito comitis Andegaue et ducis Burgundie, si maior pars baronum ad hoc consentire uoluisset; et ad hanc^f prouisionem fideliter obseruandam predicti duo reges suos primogenitos obsides et prisonos baronibus tradiderunt; et statutum est ut

^a *Marginal ins. scribe 1, De prelio de Liewes.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Illis autem ibidem moram facientibus barones miserunt litteras suas domino regi, et rex remisit eis litteras suas pro responso, et similiter rex Alemannie et Dominus Edwardus, quas litteras require in altera parte huius folii scriptas.*

^c *Marginal ins. scribe 1, scilicet quarto decimo die Maii.*

^{d-d} *Supplied in margin scribe 1.*

^{e-e} *Supplied in margin scribe 1.*

^f *Ins. above line.*

parlamentum hoc instanti festo Pentecostes [8 June] apud Londonias teneatur: ^aquod numquam peruenit ad effectum.^a

fo. 89^v

796. Postea, die Martis ante Ascensionem [27 May], clamata fuit pax regis et baronum in Londoniis, et in crastino uenit exercitus baronum in Londonias, et dominus rex cum suis, et rex Alemannie, et multi | prisoneres qui capti fuerunt in prelio predicto; Domino Edwardo et domino Henrico de Alemannia, qui sunt obsides, ut dictum est, positi in custodia in castro Douerie. Rex uero Alemannie et quamplures alii prisoneres positi sunt in turrim Londoniarum. Dominus autem rex hospitatus est apud Sanctum Paulum ^bet tunc quamplures de^b familia domus sue ab eo amoti, ^cet tunc nichil allocatum est ei uel regi Alemannie quoad ipsi tradiderint baronibus obsides suos.^c

797. Transcriptum litterarum quas barones miserunt domino regi ante prenotatum prelium, et litterarum quas idem rex remisit eis, et eciam litterarum quas rex Alemannie et Edwardus remiserunt baronibus:

798. Excellentissimo domino suo Henrico, Dei gracia illustri regi Anglie, domino Hibernie et duci Aquitannie, barones et alii fideles sui sacramentum suum et fidelitatem Deo et sibi debitam obseruare uolentes, salutem et deuotum cum omni reuerencia et honore famulatum. Cum per plura experimenta liqueat quod quidam uobis assistentes multa de nobis mendacia uestre dominacioni suggesserint, et mala quanta possunt non solum nobis set eciam uobis et toti regno uestro intentantes, nouerit uestra excellentia quod salutem et securitatem corporis uestri totis uiribus cum fidelitate uobis debita uoluimus obseruare; inimicos nostros non solum set et uestros et tocius regni uestri iuxta posse grauare proponentes, illis super predictis, si placet, non credatis. Nos enim

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^{b-b} *Supplied in margin scribe 1.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

uestri fideles semper inueniemur. Et nos comes Leicestrie et Gilbertus de Clare ad petitionem aliorum pro nobis et ipsis presentibus sigilla nostra apposimus.

fo. 90

799. Henricus Dei gracia et cetera Simoni de Monte Forti et Gilberto de Clare et complicitibus suis. Cum per gwerram et turbacionem generalem in regno nostro per uos iam subortas, necnon et incendia et alia dampna enormia, appareat manifeste quod fidelitatem uestram nobis debitam non obseruatis nec de securitate corporis nostri in aliquo curatis; eo quod magnates et alios fideles nostros | nostre fidei constanter adherentes enormiter grauastis, et ipsos pro posse uestro grauare proponitis sicut per litteras uestras nobis singnificastis, nos grauamen ipsorum nostrum proprium et inimicos eorum nostros reputantes, precipue cum dicti fideles nostri pro fidelitate sua obseruanda contra infidelitatem uestram nobis uiriliter et fideliter asistant, de uestra securitate uel amore non curamus, set uos tamquam nostros inimicos diffidamus. Teste me ipso, Lewes' duodecimo die Maii, anno regni nostri quadragesimo octauo.

800. Ricardus Dei gracia Romanorum rex semper Augustus, et Edwardus illustris regis Anglie primogenitus, ceterique barones omnes et nobiles predicto regi Anglie constanter sincere fidei et operibus adherentes, Simoni de Monte Forti, Gilberto de Clare ceterisque uniuersis et singulis perfidie sue complicitibus. Ex litteris uestris, quas illustri regi Anglie domino nostro karissimo transmisistis, accepimus nos esse diffidatos a uobis, quamuis huius uerbalis diffidacio satis fuerit nobis ante realiter uestra hostili in rerum nostrarum incendiis et bonorum nostrorum depopulacionibus prosecucione probata. Nos igitur scire uolumus uos a nobis uniuersis et singulis tamquam hostes puplicos ab hostibus diffidatos, qui deinceps personarum uestrarum et rerum dispendiis ubicumque nobis ad hoc facultas affuerit, totis uiribus nostris et mentibus insistemus. De hoc autem quod falso nobis imponitis, quod nec fidele nec bonum consilium ipsi regi nostro damus,

nequaquam uerumdicitis; et si uos domine Simon de Monte Forti uel Gilberte de Clare uelitis hoc idem in curia dicti regis asserere, parati sumus uobis securum ad ueniendum ad dictam curiam procurare conductum; et nostre super hoc innocencie ueritatem, et uestri sicut perfidi proditoris mendacium declarare per alium nobilitate et genere nobis parem. Omnes nos contempti sumus predictorum dominorum sigillis, uidelicet Romanorum regis et Domini Edwardi. Datum Lewes', duodecimo die Maii.

801. Postea rex Alemannie ductus est ad castrum de Berkamstede. Tunc episcopi et barones tenuerunt parlamentum in quo ordinatum fuit, sicut patet in litteris domini regis quas ipse fecit et sigillo suo sigillauit; que littere sic incipiunt:

802. Ad reformationem status regni eligantur tres discreiores de regno et cetera.

fo. 90^v **803.** Tunc prouisum fuit de raptoribus | tam clericis quam laicis quomodo sit contra eos procedendum.

804. Item, de clericis qui arma tulerunt in bello uel in comitatu predonum.

805. Item, de clericis et laicis qui bona ecclesiastica rapuerunt in una diocesi et beneficia uel domicilia habent in alia, cum non poterunt preueniri citacione ubi perpetrarunt delicta.

806. Item, de clericis et laicis qui clericos captiuarunt.

807. Ad primum responsum: si aliquis agere uelit alitercumque, ordo iuris obseruetur, set ubi facta est rapina ecclesie uel clerico uel laico uel ad eorum procuracionem, uel persone ecclesiastico per personam ecclesiasticam uel laicam, uel laico per clericum, quia metu maioris periculi tam ecclesiarum iniurias quam proprias

^apost multas^a et indefensas relinquentes^b iniurias quam ulteriori se uel sua committerent discrimini, congruens existimo et ^cimpediens per quibus^c episcopus in sua diocesi super hiis fieri faciat inquisitionem; quis, a quo, quid, quantum, et quo loco uiolenter abstulerit et domum spoliatoris,^d et nominibus specificatis citentur legitime et in factis notoriis et manifestis monicione premissa fiat condempnatio. In occultis autem inficientibus indicatur purgatio. Et quia multitudo est in causa, expedit ut credo quod seueritati aliquantulum tradatur.

808. Ad secundum responsum: quod clerici arma portan<tes> in ipso conflictu, si ex parte ipsorum qui iusticiam fouebant et uiolenciam repellebant, ad tempus suspendantur ab officio et, decurso tempore dispensacionis, possint ad officium restitui, si nullum tamen percusserint uel leserint in eodem conflictu. Ex hiis liquere poterit quid de aliis senciam. Qui autem cum predonibus seu raptoribus cucurrerunt et prede seu rapine participes extiterint, presertim ecclesiarum et ecclesiasticarum, ordinis sui subiaceant pericula et beneficiis priuari poterint de rigore; contra quos per modum inquisitionis, ut supra dictum est, reor esse procedendum.

809. Ad tercium responsum: quod cum malefactores se ad alia transtulerint ita quod ibidem citacione preueniri non possunt, publice ponatur edictum per episcopum quod idem episcopus, certis termino et loco, super huius rapinis et raptoribus facturus est inquisitionem, et denunciatur omnibus quorum interest quod eidem intersint inquisitioni si sibi uiderint expedire. Et qui reus inuentus fuerit per episcopum loci in quo deliquit excommuniceter, et demandetur executio facienda episcopo in cuius territorio domicilium habet uel beneficium; quod si aliquis contra huius malefactorem |

fo. 91

^{a-a} potius inultas, *Councils and Synods with Other Documents Relating to the English Church, II, i, eds. F.M. Powicke and C.R. Cheney (Oxford, 1964), 696.*

^b relinquerent, *ibid.*, 696.

^{c-c} expediens quod quilibet, *ibid.*, 696.

^d spoliauerit, *ibid.*, 696.

experiri uoluerit, episcopus loci in quo deliquit citare ipsum faciat per ipsum episcopum in cuius diocesi beneficium habet uel domicilium, qui in hoc casu suo pari parere necesse habet.

810. Ad quartum responsum: quod clericos captiuantes ab ipso canone sunt excommunicati, et satisfaccione habita de iniuriis, dampnis, et expensis, ad sedem apostolicam pro absolucione optinenda sunt transmittendi, et si pro redempcione aliquid extorserint, illud in simplum uel duplum uel alias secundum arbitrium episcopi restituatur. Et in hoc articulo procedi potest per modum accionis si sit qui agere uelit, per modum inquisicionis si lesi per metum uel socordiam uel collusionem uel alio modo agere proposuerunt.^a

811. Que ordinacio tunc temporis non uenit ad effectum.

812. Tunc temporis quia rumores uenerunt quod per procuracionem regine, Petri de Sauueie, Iohannis comitis Warenne, Hugonis Bigot, Willelmi de Valenciis, Iohannis Maunsell et aliorum tunc existencium in partibus transmarinis uoluerunt alienigene cum armis uenire super regnum Anglie, missum fuit uicecomitibus Anglie breue domini regis subscriptum:

813. Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Aquitannie archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, uicecomitibus, militibus, liberis hominibus et uniuerse communitati comitatus Esexie, salutem.^b Cum pro certo nobis constiterit quod alienigenarum magna multitudo nauigio undecumque collecto ad regnum nostrum ui armata intrandum se preparent, ad nostram et singulorum regni ipsius confusionem et exheredacionem perpetuam, nisi eis in manu

^a postposuerunt, *ibid.*, 697.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Littere domini regis ad singulos comitatus ut uenissent armati contra alienigenas.

forti duxerimus obuiandum, uobis mandamus in fide qua nobis tenemini, firmiter precipientes, quatinus uos milites omnes et libere tenentes qui ad hoc sufficiunt, cum equis et armis uiriliter et potenter uos preparatis; ita quod ad nos sitis Londoniis cum toto posse uestro, die Dominica proxima post festum beati Petri ad Vincula [3 August], ad nostram et uestram ac tocius regni defensionem contra alienigenas huiusmodi nobiscum ex inde processuri. Tu uero uicecomes assumpto tecum custode pacis eiusdem comitatus, episcopis, abbatibus, prioribus, baronibus et omnibus aliis qui seruicium nobis debent, denuncies et firmiter iniungas ex parte nostra in fide et homagio quibus nobis tenentur, et sicut seipsos, terras et tenementa sua diligunt, ut non solum cum seruicio militari in quo nobis tenentur, set quilibet quanto uirilius et potencius poterit ueniat uel mittat ad eundem diem cum equis et armis et peditibus electis, quos habere potuerint, ut cum eorum | adiutorio huic periculo efficacius resistere ualeamus. Nec quisquam pro<pter> temporis breuitatem quod in se rationabile summonicionis tempus non contineat se excuset, quia instans necessitas tempus non patitur ulterius prorogari; nec per hoc intendimus aut uolumus uel ut hoc in consuetudinem trahatur preiudicium generari. Insuper de qualibet uillata ad eundem diem uenire facias octo, sex, uel quatuor ad minus secundum uille magnitudinem de melioribus et probioribus peditibus cum armis competentibus, uidelicet lanceis, arcubus et^a sagittis, gladiis, balistis et hachiis, bene munitos, quibus de communi de expensis quadraginta dierum facias prouideri. De ciuitatibus uero similiter castris et burgis ubi maior copia hominum habetur, secundum cuiuslibet magnitudinem et facultates homines tam pedites quam equites, prout considerata negocii qualitate, duxeris ordinandum, modo predicto transmittere non omittas. Nec alleget quisquam instans tempus messium aut alicuius alterius rei familiaris occupationem cum tucius et melius

fo. 91^v

^a *Ins. above line.*

sit cum securitate persone in bonis aliquantulum dampnificari, quam cum terre et bonorum perdicione totali per impias eorum manus, qui sangwinem nostrum siciunt, sexui aut etati, si preualere potuerint, minime parcituri, crudelis mortis pene liberari. Hoc igitur mandatum nostrum per comitatum tuum facias puplicari in forma predicta et singulis denunciari, ut sicut nostrum et terre nostre honorem et uitas proprias diligunt, et sicut suam et heredum suorum exheredacionem perpetuam uitare uoluerint, quanto uirilius et potencius poterunt se preparare festinent; ita quod omni occasione postposita ad ultimum die Dominica, uidelicet proxima post festum beati Petri ad Vincula ad locum ueniant antedictum. Scituri quod si aliquis huius mandati contemptores inueneritis uel circa illud negligentes et remissos, ad personas et bona eorum nos grauiter capiemus, sicut ad ipsos per quos non stat quo minus nos et regnum nostrum confusione et perpetue exheredacioni liberemur. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Sanctum Paulum Londoniis, septimo die Iulii, anno regni nostri quadragesimo octauo.

814. Postea per preceptum prenotati breuis innumerabiles populi equitum et peditum de singulis comitatibus Anglie conuenerunt, qui armis bene muniti profecti sunt ad costam maris ad regnum contra alienigenas defendendum; et similiter innumerabiles naues de Quinque Portibus et de aliis locis posite sunt in mari cum uiris armis bene munitis ad obuiandum in manu ualida dictis alienigenis.

815. Postea, circa festum Assumpcionis beate Marie [15 August], dominus rex^a et barones profecti | sunt apud Doueriam ubi parlamentum fuit per nuncios missos inter regem et barones Anglie ex una parte, et alienigenas quos regina Anglie, Iohannes Maunsell', Petrus de Sauueie et complices eorum procurauerunt cum magnis sumptibus ad ueniendum super Angliam.

^a *Ins. above line.*

816. Postea, circa festum Exaltacionis sancte Crucis [14 September], transfretauerunt dominus Hugo le Despenser iusticiarius Anglie, Petrus de Monte Forti et alii nobiles, episcopus Londoniarum, episcopus Wygornie et alii episcopi pro pace disponenda et confirmanda.

817. Tunc temporis uiri ecclesiastici dederunt decimam partem de exitibus ecclesiarum suarum per totam Angliam.

818. Edwardus Blundus, Petrus filius Angeri - non iurarunt ad scacarium quando presentati fuerunt.^a

819. Hoc anno, secunda die ante festum^b Translacionis sancti Edwardi confessoris [11 October], uenit rex Londonias a partibus marinis.

820. Tunc temporis, circa festum Simonis et Iude [28 October], prouisum fuit quod tres episcopi fuissent electi quibus daretur a domino rege et baronibus plena potestas corrigendi racionabiliter omnes iniurias ecclesie factas in regno a Pascha anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio usque ad eundem tempus; quod quidem barones in bona fide concesserunt et per litteras eorum patentes confirmauerunt. Et si quis nollet per dictos episcopos iustificari, excommunicaretur et per potestatem laicam ad satisfaccionem ueniendi compelleretur. Et tunc prouisum fuit quod illi episcopi colligerent omnes exitus beneficiorum alienigenarum qui extiterant contra prouisiones Oxonie, et illos saluo deponerent donec pax in regno plenius fuerit confirmata.

821. Memorandum quod Thomas filius Thome, qui anno elapso electus fuit maior, licet non fuerit admissus, tamen remansit in balliua per totum annum; set nichil placitatum

^a *Marginal ins. scribe 1*, Anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto. *Marginal ins. scribe 3*, in fine anni regni regis quadragesimo septimo. *Marginal ins. scribe 4*, La batayle d'Euessaum.

^b *Ins. above line.*

fuit in illo anno de placitis terrarium, nisi de intrusione et de placitis queremonie^a que pertinent ad assisas nec ullum hustingum tentum fuit. Ita quod foris affidacio nulla de tenementis facta fuit nec ullum testamentum probatum: qui uero Thomas hoc anno iterum electus est maior ^bin festo Simonis et Iude [28 October], et in^b crastino a rege admissus.

822. Hoc anno prouisum est in hustingo, in crastino Animarum [3 November], quod omnes mesure quibus uinum, ceruisia et alii liquores uendentur sint unius quantitates; ita quod apercio galonis contineat extranuerso quatuor polices.

823. Eodem die statutum fuit et prouisum ne aliquis aduocatus fuisset essoinator in hustingo neque in aliis curiis ciuitatis.

fo. 92^v **824.** Hoc anno, circa Nathale, barones Marchie Wallie qui antea adheserunt regi et fuerunt cum eo in conflictu de Liawes et postea militauerunt cum magno exercitu | in predicta Marchia depredaciones et multa mala facientes, uenerunt ad pacem apud Glouuerniam, existentibus ibi domino rege et comitibus de Leicestria et de Glouuernia et multis aliis nobilibus; ^αquorum uero quidam barones abiurauerunt regnum Anglie per unum annum et unum diem ituri in exilium in Hiberniam et moram ibi facturi per totum predictum annum, terris ipsorum, tenementis, et castalla interim remanentibus in manus comitis Leicestrie. Completo uero predicto anno quando predicti barones reuersi fuerint in Angliam ipsi stabunt consideracioni parium suorum et deberent esse ad mare ad transfretandum uicesimo die post Nathale Domini:^α ^cquod non stetit.^c

^a *Ins. above line.*

^{b-b} *Supplied in margin scribe 1.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

825. “Hoc anno, in octabis sancti Hillarii [20 January], uenerunt Londonias per summonicionem domini regis omnes episcopi, abbates, priores, comites, barones tocius regni, et de Quinque Portibus, de qualibet ciuitate et burgo quatuor homines ut essent ad parlamentum;^α in quo parlamento, die sancti Valentini [14 February], diuulgatum fuit in capitulo apud Westmonasterium quod dominus rex obligauerat se sacramento prestito per cartam suam ^βquod ipse nec Dominus Edwardus processu temporis non grauarent neque grauari procurarent comites Leicestrie uel Glouuernie nec ciues Londoniarum uel aliquem illorum qui eis adhererunt, occasione alicuius rei facte tempore perturbacionis regni preterite;^β et precepit expresse ut carte de libertatibus et de foresta que facte fuerunt anno regni sui nono inuiolabiliter tenerentur cum ceteris articulis que statuta fuerunt mense Iunii anno regni sui quadragesimo octauo.

826. Postea, proxima die ante festum sancti Gregorii [11 March], Dominus Edwardus et Henricus de Alemannia, qui in prelio de Liewes posuerunt se obsides quousque pax reformaretur in Anglia, liberati fuerunt domino regi liberi et quieti coram omni populo in magna aula Westmonasterii;^a et tunc lecte sunt quedam littere obligatorie domini regis et Domini Edwardi in quibus continetur qualiter et sub qua pena ipsi sacramento prestito promiserunt ad tranquillitatem et pacem regni obseruandas: “et tunc nouem episcopi pontificalibus induti candelis accensis excommunicauerunt omnes illos^α qui aliquid presumerent contra cartas de libertatibus et foresta seu contra statuta que prouisa fuerunt anno precedenti.^b

827. Et tunc lecte fuerunt quedam alie littere Domini Edwardi in quibus sacramento prestito promisit reddere | tria castra que habet in Marchia Wallie, que tradentur per

fo. 93

^a *Marginal ins. scribe 1*, De liberacione Domini Edwardi et domini Henrici de Alemannia.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Item iterum sententia lata in illos qui aliquid impetrarent contra cartas communium libertatum et de foresta et contra statuta baronum.

consilium domini regis ad custodienda uiris de regno qui non sunt suspecti per tres annos continuos.

828. Item promisit quod diligentem curam adhiberet ut milites de Marchia Wallie quod prouiserant adimplerent, et nisi uellent et nisi uellent ipse foret eis capitalis inimicus et ipsos pro toto posse suo ad illud faciendum ui et armis compelleret.

829. Item promisit quod ipse a proxima Pascha in tres annos moram faceret in Anglia et non exiret sine licencia consilii.

830. Item promisit quod ipse non adduceret nec adducere procuraret alienigenas in regnum Anglie, et si aliqui uenirent, et ipse per consilium domini regis fuisset inde premunitus, quod ille ipsos pro toto posse suo expugnaret. Et ad hec omnia fideliter obseruanda obligauit se quod omnes terre sue, tenementa, honores, et dignitates quas habet uel quas habiturus est, si contra aliquem de predictis articulis ueniret et hoc fuerit manifeste declaratum, incurrantur. Et ad maiorem huius rei securitatem dominus Henricus de Alemannia posuit se obsidem sponte sua pro predicto Domino Edwardo et esse in custodia domini Henrici de Monte Forti usque ad ad Vincula sancti Petri [1 August]; et si interim aliquis excercitus alienigenarum preparauerit se ueniendi cum armis in Angliam, tunc idem Henricus remanebit obses in eadem custodia usque ad festum Omnium Sanctorum [1 November] proximum sequens pro Domino Edwardo ut interim possit sciri qualiter Dominus Edwardus gerere se uoluerit contra predictos alienigenas.^a

831. Eodem die diulgatum fuit quod prouisum est, quia dominus rex ante prelium de Liewes per consilium suorum diffidauerat comites Gloucestrie et Leicestrie et eos qui eis

^a *Marginal ins. scribe 1*, Et sciendum est quod omnes predictae littere domini regis et filii sui cassate fuerunt post prelium de Euesham sicut patet inferius in hoc libro.

adheserunt, quod omnes liberi homines de regno Anglie de nouo facient ei homagium et fidelitatem, saluis tamen omnibus articulis in literis suis obligatoriis et in litteris Domini Edwardi contentis.

832. Postea, septimo decimo die Marcii, maior Londoniarum et aldermanni in ecclesia Sancti Pauli fecerunt fidelitatem domino regi tunc ibidem existenti;^a et, die Dominica sequenti [22 March], omnes de ciuitate etate duodecim annorum et amplius fecerunt eundem sacramentum quilibet in warda sua coram aldermanno suo.

833. Postea, inter Pascha [5 April] et Pentecosten^b [24 May], orta est quedam discordia inter comitem Glouuernie et comitem Leicestrie domino rege tunc temporis existente apud Glouuerniam.^c *Comes uero Glouuernie dixit quod plures articuli qui prouisi fuerunt apud Oxoniam et apud Liawes non fuerunt plenarie | obseruati,^α quos articulos dictus comes posuit in scriptis;^d super quibus predicti comites Glouuernie et Leicestrie posuerunt se sacramento prestito et per litteras suas obligatorias in arbitrio episcopi Wygornie, domini Hugonis le Despenser, domini Iohannis filii Iohannis et domini Willelmi de Monte Canisio: quod ad^e effectum non uenit.*

fo. 93^v

834. Hoc anno per assensum et consensum quorundam magnatum Anglie, scilicet comitis Leicestrie et filiorum suorum,^f homines de Quinque Portibus nauigauerunt per mare in galeis et allis nauibus depredantes omnes quos inuenerunt uenientes in Angliam seu exeuntes, et homines crudeliter eiecerunt in mare nulli parcentes tam Anglicos

^a *Marginal ins. scribe 1*, Tunc qui ibi fuerunt presentes potuerunt uidere mirum et a seculo inauditum, quod ille miserimus maior in ipso iuramento suo ausus est uerba tam temeraria proferre, dicens domino regi coram populo 'Domine, quamdiu uos uoueritis esse nobis bonus rex et dominus, nos erimus uobis fideles et deuoti'.

^b *Marginal ins. scribe 3*, Anno sexagesimo quinto.

^c *Marginal ins. scribe 1*, De discordia orta inter comitem Glouuernie et comitem Leicestrie.

^d *Marginal ins. scribe 1*, Quos articulos require in fine huius libri.

^e *Ins. above line*.

^f *Marginal ins. scribe 1*, Vt dicebatur.

quam alienigenas. De tota uero depredacione dictus comes Leicestrie et filii sui perceperunt, ut dicebatur, terciam partem.^a

835. Postea, die Iouis in septimana Pentecostes [28 May], Dominus Edwardus recessit de Hereford sine licencia,^b existentibus tunc ibidem domino rege, comite Leicestrie et multis aliis comitibus et baronibus, et profectus est uersus Cestriam.

836. Postea Dominus Edwardus comitato secum comite Glouuernie et baronibus de Marchia et aliis, et eciam comite de Warennia et Willelmo de Valencia qui nuper antea applicuerunt apud Penbroc, cepit Glouerniam et castellum. «Tunc dominus rex per iniquum consilium concessit et dedit Leuwelino principi Wallie maximam partem Marchie cum castris et eciam terras orphanorum et castella qui erant infra etatem et in custodia: qui Lewelinus, quam cicus habuit seisinam de aliquo castro, statim prostrauit illud ad maximum dampnum et detrimentum regni Anglie.^c Nam Wallenses nuncquam fuerunt ita confederati cum Anglicis nec inposterum erunt quin per eos fraus et seduccio subsequatur; quam predictam donacionem fecit dominus rex dicto Lewelino, ut ferret, ei auxilium contra filium suum et complices suos.

837. Anno eodem, in crastino sancti Swithuni [16 July], Simon de Monte Forti iunior cum aliis baronibus et adherentibus expungnauerunt Wintoniam et depredauerunt et Iudaismum destruxerunt, quia ciues noluerunt eos recipere in ciuitate sine presencia domini regis;^c et postea obsiderunt castellum ibidem set «auditis rumoribus de aduentu Domini Edwardi, licet non uenerit, pro timore recesserunt.^c

fo. 94

838. Memorandum quod eodem tempore quo predicta discordia orta fuit in<ter> predictos comites Glouuernie et Leicestrie, prouisum fuit et statutum inter

^a *Marginal ins. scribe 1*, De depredacione Quinque Portuum in mari.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Dominus Edwardus recessit a comite Leicestrie et complicibus suis.

^c *Marginal ins. scribe 1*, De expungnacione Wintonie.

Londonienses et sacramento confirmatum per quemlibet duodecim annorum et amplius ut pax domini regis firmiter obseruaretur in ciuitate et extra; et si aliquis contra hoc uenisset et super hoc conuictus fuisset, statim capitalem subiret sentenciam non obstante aliqua libertate sua; et hoc proclamatum fuit per totam ciuitatem et eciam per «litteras commune ciuitatis patentes» diulgatum in quatuor comitatibus uicinis, omnibus hundredis et uillis a Londoniis per uiginti quinque leucas distantibus. Vnde quidam qui secuti fuerunt exercitum Simonis de Monte Forti iunioris usque Londonias, qui conuicti fuerunt fecisse roberiam in Stebenhe et in Hakenheie fuerunt suspensi circa festum apostolorum Petri et Pauli [29 June].

839. Postea, proxima nocte sancti Petri ad Vincula [1 August], Dominus Edwardus, comes Warennie, Willelmus de Valencia et eis adherentes in manu ualida et armata uenerunt apud Kenelworthe et ibi inuenerunt omnes de exercitu Simonis de Monte Forti iunioris dormientes.^a Dominus autem Edwardus fecit statim proclamare ut nullus de suis aliquem de exercitu dicti Simonis interficeret set illos uiuos caperet. Vnde ibi capti sunt comes Oxonie, Willelmus de Monte Caniso, Adam de Nouo Mercato, Baudewinus Wake, Hugo de Neuile et multi alii barones, milites et seruietes; qui omnes adducti sunt captiui usque Glouuerniam amissis equis et armis suis et toto hernesio eorum. Predictus autem Simon et quidam alii fugientes posuerunt se in castellum de Kenelworth; quamplures qui poterant ponentes se in fugam euaserunt.

840. De prelio de Euesham.^b

841. «Memorandum quod cum dominus rex cum comite Leicestrie et aliis sibi adherentibus moram fecisset in Herfordia et in partibus illis per plures septimanas non

^a *Marginal ins. scribe 1*, De capcione aduersariorum Domini Edwardi apud Kenelworthe.

^b *Marginal ins. scribe 3*, De prelio de Euesham.

ualens transire Sauerinam, omnibus pontibus^a diruptis per Dominum Edwardum et comitem Glouuernie, et eiam predictis Edwardo et comite et baronibus de Marchia Wallie cum exercitu suo obstantibus ne ipse rex cum suis transiret, tandem cum predictus Edwardus cum exercitu suo fuisset apud Kenelworthe, sicut prenotatum est,^b dominus rex cum suis transiuit Sauerinam apud Wigorniam | in crastino sancti Petri ad Vincula [2 August], tunc temporis die Dominica.^c Postea, die Martis proxima sequente^d [4 August], uenerunt apud Heuesham ubi Dominus Edwardus et comes Glouernie superuenerunt cum toto exercitu suo, et partes predicte eodem die conflixerunt extra predictam uillam, et dicti Edwardus et comes Glouernie habuerunt uictoriam;^e et interfectus est comes Leicestrie et Henricus filius suis primogenitus, Hugo le Despenser iusticiarius et Petrus de Monte Forti; et omnes barones et milites qui eis adheserunt mortui sunt exceptis paucis paucis qui capti sunt et seuisse tamen uulnerati: et dictum est quod multi milites et seruientes ex parte illa occubuerunt, ex parte uero alia perpauci mortui sunt.

842. Capud uero dicti comitis Leicestrie, ut dicitur, abcisum fuit a corpore et testiculi sui abcsi fuerunt et appensi ex utraque parte nasi sui – et ita missum fuit capud suum uxori domini^e Rogeri de Mortuo Mari apud castrum de Wiggemor; pedes uero et manus sue abcsi fuerunt et missi per diuersa loca inimicis suis ad mangnum dedecus ipsius defuncti; truncus autem corporis sui tantummodo datus est sepulture in ecclesia de Euesham. Eodem die et eadem hora quam prelium fuit, fuit maxima tempestas apud Londonias et alibi, scilicet chorusaciones, fulgura et tonitrua.

^a *Supplied in margin scribe 2.*

^b *c. 839.*

^c *Marginal ins. scribe 4, La bataylle de Ewessam.*

^d *Marginal ins. scribe 1, Que dies Martis fuit tunc temporis tercia dies post ad Vincula, scilicet quarta dies Augusti.*

^e *Ins. above line.*

843. Postea auditis certis rumoribus de predicto prelio omnes prisonos qui capti fuerunt in prelio de Liawes et positi in turri Londoniarum et in castro de Windlesores dimisi sunt liberi et quieti sine omni redempcione; similiter rex Alemannie liberatus est a castro de Kenelworthe et omnes alii prisonos qui capti fuerunt per predictum comitem Leicestrie et complices suos in predicta perturbacione regni Anglie.

844. Postea, circa festum Natiuitatis beate Marie [8 September], tenuit dominus rex parlamentum apud Wintoniam, ubi Simon de Monte Forti iunior qui habuit saluum conductum a domino rege et a Domino Edwardo uenit; et quia non potuit tunc temporis pacem ad libitum suum inuenire, inde recessit et posuit se in castello de Kenelworthe ubi multos milites et seruientes fecit conuenire qui <ei> adhererunt. In dicto parlamento prouisum fuit quod omnes qui capti fuerunt in Kenelworthe, sicut prenotatum est,^a et qui capti fuerunt in prelio de Euesham, et eciam heredes ibidem interfectorum fuissent exheredati, quia dictum fuit quod ipsi fuerunt contra regem, licet militassent cum eo | sequentes uexillum suum; nam consideratum fuit quod ipse non fuit in plena potestate sua postquam captus fuit in prelio de Liawes, set sub uirga et potestate comitis Lecestrie qui fecit quicquid uoluit de sigillo regis et de omnibus rebus ad regnum Anglie pertinentibus. Et tunc reuocauit dominus rex omnes donaciones terrarum, ecclesiarum, prebendarum quas contulerat a die capcionis sue usque ad predictum tempus; et omnes literas, cartas, et scripta que ipse et filius suus per totum predictum tempus fecerant, quia facte fuerunt per coaccionem, in irritum reuocate sunt.

fo. 95

845. Gregorius de Rokesle, Simon de Hadestok - anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto,^b in fine anni regni regis quadragesimo nono.^b

^a c. 839.

^{b-b} Add. scribe 3.

846. In crastino uero sancti Michaelis [30 September], sicut consuetudo est, maior et ciues perexerunt apud Westmonasterium ad presentandos illos baronibus de scacario et nemine ibidem inuento redierunt ad propria: et ita ipsi in uicecomitatum non sunt admissi.

847. Memorandum quod finito predicto parlamento dominus rex fecit conuenire apud Wyndleshores omnes comites, barones, milites quotquot poterat cum equis et armis uolens expugnare ciuitatem Londoniarum uocans ciues inimicos suos.

848. Tunc perterrita fuit tota ciuitas. ^αStulti uero et malicisosi qui antea adheserunt comiti Leicestrie contra regem proposuerunt munire ciuitatem contra ipsum, set uiri discreti de ciuitate qui semper fuerunt ad fidem domini regis, licet aliqua pars eorum prebuissent assensum dicto comiti, set per coaccionem, noluerunt ad hoc assentire^α et ^βmissis pluribus litteris per uiros religiosos domino regi ad impetrandum gratiam suam: nichil eis profuit.^β Tandem habito consilio inter ipsos uniuersalis communa assensum prebuit ad ponendum se in misericordia domini regis et super hoc fecerunt litteras patentes sigillo communitatis sigillatas, ^γad quas deferendas et ostensuras domino regi electi fuerunt octo uiri qui illas presentare deberent ei apud Windleshores;^γ quibus itinerantibus obuiauuit dominus Rogerus de Leiburne dicens quod ipse pro promocione ciuitatis et emendacione uenit ad disponendam pacem inter dominum regem et ciues. Quibus auditis uiri, qui missi fuerunt, redierunt ad propria, dictus autem Rogerus hospitatus est in turri Londoniarum.

fo. 95^v **849.** Mane autem facto dictus Rogerus | accessit ad ecclesiam de Berkinge Cherche ubi maior et innumerabilis populus ciuium conuenerunt. Et conuocatis maiore et discrecioribus ciuitatis dixit eis dictus Rogerus si uellent uenire ad pacem domini regis oporteret quod ipsi se subicerent omnino uoluntati domini regis de uita et membris et

omnibus mobilibus et immobilibus. Ciues uero ad hoc prebuerunt assensum et fecerunt fieri litteras patentes sigillo communitatis singnatas quas dictus Rogerus tulit secum domino regi apud Windleshores.

850. Postea, die Veneris proxima post festum sancti Michaelis [2 October], uenit idem Rogerus Londonias et in crastino accessit ad predictam ecclesiam; maior uero et ciues conuenerunt ibi, quibus ipse Rogerus dixit quod dominus rex uoluit quod omnes catene que facte fuerant ex transuerso uicorum fuissent amote, et omnes postes quibus dicte katene attachiate fuerunt fuissent irradiate, et omnes apud Turrin deportate: et sic factum fuit postea.

851. Voluit eciam dominus rex quod maior et magnates ciuitatis uenissent ad eum apud Windleshores ad confirmandum quod continebatur in predictis litteris; ^αtulit eciam dictus Rogerus litteras domini regis patentes de conductu maiori et ciuibus ut ipsi possent secure uenire apud Windleshors saluo ueniendi et ibidem morandi et redeundi usque ad diem Lune proximum sequentem [5 October] et per totum predictum diem Lune.^α Vnde eodem die maior et circa quadraginta uiri de ualidioribus ciuitatis profecti sunt usque ad Stanes.

852. In crastino uero [4 October], scilicet die Dominica, expectantibus ciuibus aduentum dicti Rogeri usque ad horam terciam uenit ipse, quem secuti sunt^a maior et ciues usque Windleshors; quo intrante in castellum ciues remanserunt extra usque ad uesperas; tunc dominus rex fecit proclamare ne aliquis miles, seruiens nec aliquis alius aliquam contumeliam dicere uel facere ciuibus presumerent, quia ipsi uocati fuerunt ad pacem domini regis.

^a *Ins. above line.*

853. Postea misi sunt ex parte domini regis dictus Rogerus et dominus Robertus Walrauen et alii^a dicentes maiori et ciuibus quod rex non fuit tunc temporis consultus ut declararet eis uoluntatem suam, set intrassent in castellum et in crastino scirent illam. Tunc ipsi intrauerunt, qui omnes positi sunt in turrim in custodia litteris regis de conductu nichil eis ualentibus.^a Ipsi autem remanserunt ibidem per totam illam noctem | et per totum diem sequentem; sero autem facto segregati sunt et dimissi sunt in balliam castri et ibi hospitati omnes exceptis maiore, Thoma de Piwelesdona, Michaele Thoui, Stephano Bugerel, ^bIohanne de Flete, quorum corpora rex dedit Domino Edwardo^b qui remanserunt in turri.

fo. 96

854. Postea dominus rex recedens de Windleshors uenit Londonias uocans ciues inimicos suos et dedit plusquam sexaginta domos ciuium, illis cum tota familia sua inde eiectis; dedit similiter omnia bona ciuium que habuerunt extra ciuitatem ut in Lenna, Gernemue et aliis portibus maris; cepit eciam omnes terras eorum foraneas in manu sua et omnia bona ibidem inuenta destruxit et uastauit. Tunc factus est custos ciuitatis dominus Hugo filius Otonis constabularius turris et uocatus est senescallus, qui constituit sub se duos balliuos, scilicet Iohannem Addrien et Walterum Herui, qui loco uicecomitum custodirent ciuitatem.

855. Postea ciues predicti, qui fuerunt in ballia de Windleshores, per licenciam domini regis et filii sui deliberati sunt et uenerunt omnes ad Londonias die Iouis proxima post festum sancti Luce ewangeliste [22 October] exceptis Ricardo Bonauenture, Simone de Hadestoke, Willelmo de Kent et Eadmundo de Esexia qui remanserunt. ^cEt Willielmo de Glouuernia.^c

^a *Marginal ins. scribe 1, Quomodo ciues retenti sunt in castro de Windleshors.*

^{b-b} *Supplied by scribe 1 over an eraure.*

^{c-c} *Add. scribe 2.*

856. Illis temporibus fecit dominus rex capi obsides a plusquam sexaginta ciuibus pro securitate pacis qui positi sunt in turrim. Et eodem tempore fecit rex affari ciues ut ipsi fecissent finem uersus eum pro transgressione eorum; qui habito colloquio responderunt quod ^aciues non equaliter transgressi sunt: quidam enim semper fuerunt ad pacem domini regis, quos ipse tunc temporis uocauit amicos suos; quidam autem adhererunt comiti Leicestrie, set ad hoc coacti; set multi alii maliciosi gratis adhererunt dicto comiti et complicibus suis facientes depredaciones in ciuitate et extra. Vnde uisum fuit ciuibus quod ipsi non deberent equaliter puniri et rogabant regem et consilium suum quod quilibet eorum posset per se finem facere pro transgressione sua et quod singuli secundum delicta punirentur:^a quod concessum est eis set non uenit ad effectum.

fo. 96^v

857. Postea, die Martis proxima post festum sancti Nicholai [8 December], recessit rex | a Westmonasterio uersus Norhamptonam; et eodem die facti sunt senescalli dominus Iohannes de la Linde miles et Iohannes Walerauen clericus, quibus tradita est turris Londoniarum. Eodem die uenerunt apud Westmonasterium plusquam uiginti quatuor de ualidioribus ciuitatis per summonicionem qui omnes iurauerunt coram consilio domini regis quod ipsi fideliter et saluo custodirent ciuitatem ad opus suum, dicente domino Rogero de Leiburne quod dominus rex tradiderat eis ciuitatem suam ad custodiendam sub predictis senescallis.

858. Memorandum quod, tempore quo ciuitas posuit se in misericordia domini regis, quamplures de ciuitate qui gratis adhererunt comiti Leicestrie facientes depredaciones et multa mala in ciuitate et extra, qui temporibus predicti maioris uocantes se 'communam ciuitatis' habuerunt primam uocem in ciuitate mangnatibus ciuitatis parum super hoc consultis, posuerunt se in fugam.

^a *Ins. above line.*

859. Memorandum in septimana Nathalis Domini, anno eodem, in presencia domini Rogeri de Leburne, Roberti Walrauen missi a domino rege tunc existente apud Northamptonam fecerunt ciues finem uersus dominum regem pro uiginti mille marcis sterlingorum pro omnibus transgressionibus et excessibus in turbacione regni eis impositis.^a Vnde ipse fecit eis cartam suam in forma subscripta:

860. Littere domini regis per quas remisit ciuibus indignacionem suam.

861. «Henricus Dei gracia rex Anglie et cetera omnibus hominibus et cetera salutem. Sciatis quod per finem uiginti mille marcarum quem ciues nostri Londoniarum fecerunt nobiscum pro redempcione sua occasione transgressionum seu excessuum nobis, et regine nostre, et Ricardo illustri regi Alemannie fratri nostro, et Edwardo primogenito nostro in turbacione in regno nostro habita per ipsos factorum uel impositorum, omnes transgressiones et excessus illos eisdem ciuibus et eorum heredibus pro nobis et heredibus nostris quantum in nobis est totaliter remittimus et perdonamus sub hac forma:^a uidelicet quod habeant omnes exitus reddituum proueniencium de domibus et tenementis tam in ciuitate predicta quam in eiusdem suburbio de termino Nathalis Domini proximo preterito, ita tamen quod quod postmodum de redditibus illis, prout iustum fuerit, satisfaciant quibuscumque; et quod habeant omnia bona et catalla malefactorum eiusdem ciuitatis, qui in turbacione pre|dicta contra nos et Edwardum primogenitum nostrum extiterunt, et qui inde indictati sunt uel indictandi, exceptis bonis et catallis eorum quorum corpora eidem filio nostro concessimus, et exceptis domibus, terris, tenementis et redditibus ciuium eorumdum que sunt et esse debent escaeta nostra occasione transgressionum predictarum; et quod habeant omnia bona et catalla ciuium eiusdem uille in partibus Flandrie arestata, exceptis catallis et bonis eorum qui per legitimam inquisitionem inueniri uel conuinci poterint inimi<ci> nostros

fo. 97

^a *Marginal ins. scribe 4*, Finis uiginti mille marcarum.

extitisse; et quod omnes prisonos eiusdem ciuitatis exceptis illis quorum corpora pefa filio nostro primo dedimus, a priona deliberentur exceptis eciam prisonibus per eos ciues indictatis et captis et indictandis et capiendis; et quod obsides ciuim predictorum pro securitate eiusdem ciuitatis nobis traditis, exceptis obsidibus prisonum predicti filii nostri et obsidibus fugitiuorum, si qui fuerint, similiter deliberentur; et quod de bonis ciuim defunctorum in ciuitate predicta a tempore quo ipsi ciues se uoluntati nostre submiserunt fiat contribucio ad redempcionem predictam pro porcionibus suis secundum facultates ipsorum defunctorum, sicut et aliorum ciuim qui superstites sunt in ciuitate predicta; et similiter fiat de bonis omnium hominum eiusdem uille qui sunt in cambio nostro ibidem. Concessimus eciam eis quod omnia bona et catalla proborum hominum ciuitatis predictae a quibuscumque a tempore quo ciues predicti se uoluntati nostre subposuerunt sine waranto nostro predicto, exceptis bonis ^βRicardi de Walebroc,^β eis omnino restituantur; et quod ipsi ciues per totam terram et potestatem nostram libere et sine impedimento nostro uel nostrorum tam per mare quam per terram de rebus et mercandisis suis negociari possint, prout sibi uiderint expedire, quieti de omni consuetudine, theoloneo et passagio; et ubicumque uoluerint in eodem regno nostro pro negociacionibus suis moraturi, sicut reactis temporibus consueuerunt, quousque de statu ciuitatis predictae de consilio nostro plenius ordinetur; et quod nullus de ciuitate predicta de quo manifeste constare possit ipsum in turbacione predicta inimicum nostrum uel predicti primogeniti nostri extitisse, de cetero morari uel conseruari in ciuitate predicta. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Norhamptonam decimo die Ianuarii, anno regni nostri quinquagesimo. |

fo. 97^v

862. Per illam redempcionem liberati sunt Willelmus de Glouuernia, Ricardus Bonaventure, Willelmus de Kent, Simon de Hadestoke; Eadmundus uero de Esexia liberatus fuit antea.

863. Postea Simon de Monte Forti iunior, quando dominus rex fuit apud Norhamptonam, posuit se in misericordia sua standi arbitrio regis Alemannie et legati domini pape, tunc existentis in Anglia, et quorundam aliorum baronum Anglie; qui postea ueniens Londonias per aliquod tempus moram faciens in curia Domini Edwardi, non expectans arbitrium suum sine licencia et de nocte furtiue euasit, et posuit se uersus Winchelese et adhesit predonibus de Quinque Portibus, qui tunc et antea omnes mercatores uenientes uersus Angliam et de Anglia exeutes, quotquot poterant, comprehenderunt uel interfecerunt uel bona sua depredati sunt. Set tamen ipsi predones nullum principem uel militem alienigenam cum armis uenientem in Angliam siue exeutes Angliam ausi fuerunt expugnare. Qui uero Simon postea transfretauit.

864. Anno eodem,^a in septimana ante Ramos Palmarum [21 March], Dominus Edwardus recepit ad gratiam domini regis patris sui et ad suam omnes de Quinque Portibus tam malefactores quam alios et concessum est eis ad habendas omnes libertates eorum et omnes terras et tenementa eorum possidenda; et similiter concessum est militibus, seruiantibus et omnibus aliis qui eis adheserunt in perturbacione predicta, quod habeant et teneant libere omnes possessiones et terras que antea habuerunt; et remisse sunt eis omnes depredaciones et homicidia que ipsi fecerant in terra siue in mari quantum fuit hominibus de regno Anglie, Hibernie, Schochie, Wallie, et Vasconie, que scilicet terre spectant ad dignitatem domini regis. Et si aliquis de aliis terris quam de supradictis uelit agere uersus ipsos de depredacionibus eis factis seu de homicidiis factis consangwineis eorum, ueniat in curiam predictorum

^a *Marginal ins. scribe 1*, Quomodo barones de Quinque Portibus recepti sunt ad gratiam domini regis.

Quinque Portuum et ibi recipiat iusticiam. ^αSet qua ratione uel necessitate hec omnia predicta eis concessa sunt nescio.^α

865. De episcopis qui propter inobedienciam missi sunt Romam.^a Non est sub silencio pretereundum quod iam anno et dimidio elapso cum regina Anglie, Petrus de Sauueya, comes Warennie, Hugo Bigot et innumerabilis populus militum et seruentum cum magna classe fuissent in Flandria et proposuerunt uenire in Angliam in manu ualida et armata super comitem Leicestrie | et complices suos. ^αLegatus Rome, qui nunc est papa, tunc existens in partibus illis sententia excommunicacionis innodauit dictum comitem et omnes sibi adherentes in prenotata perturbacione regni Anglie, et subposuit ciuitatem Londoniarum ecclesiastico interdicto et omnes et loca dicti comitis et sibi adherencium; et hoc iniunxit quibusdam episcopis Anglie ibidem existentibus ut dictas sentencias et predictum interdictum per totam Angliam diuulgarent.^α Et quia ipsi hoc non fecerunt, ^βOttobonus, qui nunc est legatus Rome, fecit ipsos uenire coram se apud Londonias et affatur illos uocans illos inobedientes. ^γVnde multis altercacionibus inter ipsos factis^γ ob predictam causam et quia tam tepide se gerebant in dicta turbacione regni non reprehendentes neque corripientes illos malisicos qui dominum regem expungnabant, in septimana ante Ramos Palmarum hoc anno episcopos Londoniarum ^bHenricum et Stephanum^b Cicestrie ab officio et beneficio suspendit mittens illos Romam ut a domino papa punirentur secundum merita eorum.^β

866. Postea, die Lune proxima post quindenam Pasche [12 April], ob eandem causam idem legatus Iohannem^c episcopum Wyntonie ab officio et beneficio suspendit prefigens ei terminum peremptorium in presencia domini pape penitenciam recepturus pro meritis.

^a *Marginal ins. scribe 1*, De episcopis missis ad curiam Rome propter inobedienciam.

^{b-b} *Ins. above line.*

^c *Ins. above line.*

867. Circa iddem tempus scacarium domini regis translatum est a Westmonasterio usque ad Sanctum Paulum; ita quod placita de banco que solebant deduci apud Westmonasterium deducta fuerunt in aula episcopi Londoniarum, scacarium uero inpositum in camera dicti episcopi. Legatus uero hospitatus est in turri Londoniarum.

868. Eodem tempore et anno illi qui exheredati fuerunt, ut predictum est, conuenerunt per turmas et militauerunt in manu armata in Norfolchia, Suthfolchia, et Holand' et per diuersa loca Anglie quamplures homines depredantes, unde quidam de illis intrauerunt Lincolniam consencientibus quibusdam de ciuitate et plures de ciuitate depredauerunt; et burgi et uille per quas quidam illorum transierunt, fecerunt finem uersus eos ne expungnarentur ab eis; illi uero qui intrauerunt Lincolniam, auditis rumoribus de aduentu Domini Edwardi recesserunt.

869. Tunc, circa festum apostolorum Philippi et Iacobi [1 May], tenuit dominus rex parlamentum apud Norhamptonam.

870. Ad illud parlamentum missi fuerunt a ciuitate Londoniarum nuncii solempnes petentes dominum regem ut ipse | uellet eos in pristinum statum eorum reuocare, et ut possent de se ipsis uicecomites eligere qui responderent ad scacarium regis de antiqua firma. Vnde ipsi redeuntes a parlamento uenerunt Londonias in uigilia Assensionis Domini [5 May], et tulerunt litteras domini regis clausas et patentes quarum tenor talis est:

871. Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Aquitannie dilectis et fidelibus suis baronibus et ciuibus suis Londoniarum salutem.^a Cum concesserimus uobis quod quendam de conciuibus uestris fidelem et discretum, qui nostri et Edwardi primogeniti nostri fidelitati hactenus constanter adhesit, eligatis, qui officio uicecomitis

^a *Marginal ins. scribe 1*, Littere domini regis de licencia eligendi balliuos.

Middelsexie et custodis ciuitatis Londoniarum intendat; ita quod per uos presentetur ad scacarium nostrum et ibidem ab eo sacramentum fidelitatis recipiatur, prout moris est, et nobis de firma eorundem respondeat ad scacarium predictum de qua uicecomites eorundem nobis pro eisdem ibidem antiquitus respondere consueuerunt. Que omnia uobis concessimus ad uoluntatem nostrum ita tamen quod idem uicecomes et custos de libertatibus abbacie Westmonasterii in nullo se intromittat. Vobis mandamus quod talem de conciuibus uestris predictis ad hoc eligatis et nomen eius nobis scire faciatis. Teste me ipso apud Norhamptonam primo die Maii, anno regni nostri quinquagesimo.

872. Henricus Dei gracia et cetera omnibus ad quos presentes littere peruenerint salutem. Sciatis quod concedimus dilectis et fidelibus nostris baronibus et ciuibus nostris Londoniarum quod quendam de conciuibus suis fidelem et discretum, qui nostri et Edwardi primogeniti nostri fidelitati hactenus adhesit, elegant, qui officio uicecomitis Middelsexie et custodis ciuitatis Londoniarum intendere possit; et quod nomen eius nobis scire faciant, ita quod ipse presentetur ad scacarium nostrum et ibidem ab eo sacramentum fidelitatis recipiatur, prout moris est; et nobis de firma respondeat ad scacarium nostrum predictum. Que omnia eis concessimus ad uoluntatem nostram; nolumus tamen quod idem uicecomes et custos de libertatibus abbacie Westmonasterii in aliquo se intromittat. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Norhamptonam tricesimo die Aprilis, anno regni nostri quinquagesimo.

873. In crastino uero, scilicet die Assensionis Domini [6 May], tunc temporis festum sancti Iohannis ante Portam Latinam, conuenerunt ciues apud Gildhalliam et per eos electus est Willelmus filius Ricardi et iuratus ut intendat ad officium uicecomitatus Middelsexie et ad custodiam ciuitatis Londoniarum in forma contenta in predictis

litteris, et in crastino baronibus de scacario presentatus apud Sanctum Paulum et ibi admissus et iuratus.

fo. 99 **874.** Memorandum quod multi de minuto populo die qua predicta eleccio facta fuit | contradixerunt illam clamantes ‘Nay, nay’ et dicentes ‘Nolumus habere maiorem nisi Thomam filium Thome^a et uolumus ut liberetur a prisona et socii sui qui sunt apud Windleshores’; tale turpe loquium dixerunt fatui de uulgo die Lune precedenti [3 May] in eadem Gildhallia. Vnde dominus rex, quando tales rumores audiuit, metuens ne ille populus insurgeret in magnates ciuitatis qui fuerunt ad fidem suam, misit ad Londonias dominum Rogerum de Leiburne, qui die Sabbati proxima sequenti [8 May] uenit in Gildhalliam cum magno comitatu militum et seruientum sub pannis armatorum, ubi innumerabilis populus ciuitatis conuenerant et sine summonicione, et precepit idem dominus Rogerus ex parte domini regis ut omnes qui suspecti essent fuissent capti et attachiati ne ipsi aliquam confederacionem facerent cum inimicis domini regis. Vnde eodem die capti sunt plusquam uiginti nullo de populo aliquid contradicente.

875. Memorandum quod illi qui adhererunt domino regi sepius conflixerunt cum aduersariis suis, uidelicet una uice in comitatu de Derby ubi Iohannes de Eyuile, Baldwinus Wake et comes de Ferariis, qui tercia die antea recessit a fide domini regis adherens eis iuramento prestito, et multi alii conuenerunt cum equis et armis in uilla que uocatur Cestrefield; ubi dominus Henricus de Alemannia, dominus Iohannes de Baliol et alii fideles domini regis superuenerunt et expungnauerunt illos in uigilia Pentecostes [15 May]: unde multi de illis capti sunt et multi occisi. Comes uero de Ferrariis captus fuit et ductus apud castrum de Windleshors, Iohannes uero de Eyuile et Baldwynus Wake posuerunt se in fugam.

876. Postea, die Veneris in septimana Pentecostes [21 May], Dominus Edwardus expungnauit Adam Gurdan et complices suos in bosco de Aultona ubi multi occisi fuerunt et capti et totum suum perdiderunt.

877. Postea, quarto die Iunii, uenit uenit Bonefacius archiepiscopus Cantuarie Londonias a partibus transmarinis ubi moram fecerat per totum tempus predictae turbacionis regni Anglie.

878. Anno eodem, post festum Natiuitatis sancti Iohannis baptiste [24 June], dominus rex obsedit castrum de Kenelworthe habens secum innumerabilem exercitum comitum, baronum, militum, seruientium et aliorum fidei sue adherencium.

879. Eodem anno, secundo idus Iulii [14 July] de nocte, uxor Domini Edwardi peperit filium suum primogenitum apud Windleshors,^a quibus rumoribus auditis ciues Londoniarum fecerunt proclamare in ciuitate quod in crastinum | tota communa solempnizassent nullum opus seruile faciendo pre gaudio natiuitatis dicti pueri. Vnde factum est quod illa die omnibus seldis et schopis clausis omnes uiri et mulieres tam clerici quam laici pede et equo perexerunt apud Westmonasterium gratias agentes Deo pro natiuitate pueri et orantes pro salute sua, et per uicos ciuitatis tripudium ducentes et cantelenas facientes pre gaudio, sicut solet fieri annuatim in festo sancti Iohannis baptiste; cui uero puero impositum est nomen Iohannes.

880. Memorandum quod in uigilia sancti Michaelis [28 September] lectum fuit breue domini regis in Gildhallia coram omni populo in quo continebatur quod ipse precepit ut carta, quam fecit baronibus suis Anglie de libertatibus anno regni sui nono, lecta fuisset coram omni populo, et quod omnes articuli in ea contenti firmiter per totum regnum

^a *Marginal ins. scribe 1*, De natiuitate primogeneti Domini Edwardi.

Anglie obseruarentur; et eodem modo tunc temporis missum fuit breue domini regis sub eadem forma omnibus uicecomitibus Anglie.

881. Statim uero eodem die lecte fuerunt quedam littere patentes continentes quod rex tradidit ciuitatem Willelmo filio Ricardi, qui antea balliuus fuit ciuitatis per electionem ciuium, ad custodiendam et uicecomitatum Middelsexie per antiquam firmam reddendo ad scacarium suum; que littere contrarie fuerunt predictae carte, per quam cartam ciuitas debet habere omnes libertates et liberas consuetudines suas, et sic deberent ciues eligere sibi uicecomites et maiorem. Ob quam causam ciues miserunt ad curiam domini regis nuncios suo<s> et remansit idem Willelmus custos ciuitatis et Middelsexie quia ciues noluerunt eligere contra predictas litteras sine licencia domini regis, set miserunt nuncios ad curiam sicut predictum est.

882. Ad festum sancti Michaelis [29 September] anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, ^ain fine anni regni regis quinquagesimo,^a Willelmus filius Ricardi custos ciuitatis et Middelsexie ^badhuc remansit in ballia sua:^b quo amoto in festo sancti Martini [11 November], facti sunt balliui ciuitatis et Middlesexie per electionem ciuium Iohannes Addrienus et Lucas de Batencurt ^cper antiquam firmam.^c

883. Hoc anno, circa festum sancti Michaelis [29 September], electi fuerunt duodecim uiri de magnatibus regni tam ecclesiasticis quam laicis, in quorum arbitrio et ordinacione positum fuit negocium tangens statum regni et maxime de exheredatis, ita quod quicquid ipsi pronunciarent firmiter obseruaretur; quorum ordinacio diuulgata fuit die Dominica ante festum Omnium Sanctorum [31 October] apud Warewyc coram domino rege et consilio suo et innumerabili comitum, baronum et aliorum per legatum

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Supplied over an erasure.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

fo. 100 post predicacionem suam dicentem | quod nullus de exheredatis perderet terram suam, set qui plus transgressi fuerint contra dominum regem redimerentur quantum terre eorum ualent per quinque annos, et quidam alii quantum sue ualent per duos annos. Illi uero qui minus deliquerint quantum terre eorum ualent per dimidium annum, et ille redempciones debent esse illorum qui terras illas tenent. Ita quod si quis possit statim satisfacere de redempcione sua, statim habeat terras suas; et si non possit, qualem partem redempcionis sue soluerit talem partem de terra sua habeat, et residuum remaneat ei qui terram suam tenet usque terminos predictos nisi interim satisfaciat de residuo redempcionis sue. Eadem forma concessa fuit eis^a qui fuerunt in castro de Kenelworthe, si uoluerint, exceptis domino Henrico de Hastings, domino Iohanne de la Ware et illo qui amputauit pungenum nuncii domini regis. Illi autem qui exheredati sunt et nil deliquerunt habeant terras suas quietas et dampna sua per consideracionem curie. Et notandum quod in primis pronunciauit ille legatus quod carta quam rex fecit baronibus, de qua superius mencio facta est, in omnibus articulis suis firmiter obseruaretur et cetera, sicut continetur in quodam scripto inde confecto, cuius transcriptum missum fuit singulis comitatibus regni Anglie ad legendum sub sigillo domini regis.

884. Postea nuncii ciuitatis redierunt a curia deferentes secum litteras domini regis clausas et patentes, scilicet in uigilia sancti Martini [10 November], per quas concessum est eis ut eligerent de seipsis duos balliuos ad ciuitatem et uicecomitatum Middelsexie custodiendum per antiquam firmam. Vnde in crastino ad illud officium exequendum electi sunt in Gildhallia coram omni populo Iohannes Addrien et Lucas de Batencurt, qui presentati ad scacarium admissi | sunt uero et iurati.

fo. 100^v

^a *Ins. above line.*

885. Postea, in festo sancte Lucie uirginis [13 December], castrum de Kenelworthe redditum est domino regi, in obsessione cuius castrum dominus rex fuit cum magno exercitu a festo Natiuitatis sancti Iohannis baptiste [24 June] usque ad illum diem, quod castrum inimici sui et infideles cum armis tenuerunt contra ipsum.

886. Hoc anno, ante festum sancti Michaelis [29 September] precedens, illi qui uocati sunt 'exheredati' posuerunt se in insula de Ely, illam cum armis munientes et ex illa multociens exierunt depredantes et comburentes maneria per diuersa loca in Essexia, Norfolchia, et Suthfolchia, et in comitatu Cantebrigscira; et ciuitatem Norewycensem ceperunt; et depredati fuerunt et uillas et burgos ad redempcionem coegerunt.

887. Hoc anno cum comes Glouernie ad mandatum domini legati ueniens uersus Londonias fuisset apud Windleshors,^a ciues accesserunt ad dictum legatum consulentes eum si comes deberet intrare ciuitatem; "qui dixit se esse certum quod comes fuit amicus regis et dedecus esset denegare ei introitum ciuitatis. Postea, die Veneris proxima ante Dominicam Palmarum [8 April], ciues miserunt quosdam conciuos suos ad comitem appropinquantem ciuitatem rogantes eum ne hospitaretur infra ciuitatem pro multitudine exercitus sui, quod ipse concessit et transiuit per mediam ciuitatem et hospitatus est cum suis in Suwerk. In crastino uero, quia legatus noluit uenire ad eum ultra pontem, ipse ad mandatum legati uenit Londonias cum eo locuturus in ecclesia Sancte Trinitatis, et ita remansit cum suis in ciuitate. Vnde manifestum est | quod comes habuit introitum ciuitatis per consilium et assensum legati, cuius consilio ciues per preceptum domini regis et regine fuerunt attornati obedire.^α Die Lune proxima [11 April] Iohannes de Eyuile et complices sui, qui uocati fuerunt 'exheredati', uenerunt apud Suwerk et hospitati sunt ibi; quod ciues intelligentes munierunt ciuitatem et ad maiorem securitatem traxerunt pontem torneicium ne ipsi intrassent ciuitatem, nam

fo. 101

^a *Marginal ins. scribe 1*, De aduentu comitis Glouernie in Londoniis.

ipsi non habuerunt potestatem ad illos expungnandos sine auxilio comitis, qui eis ad hoc auxilium prebere noluit, eo quod per ipsum et suam excitationem tam prope ciuitatem uenerant et multa mala per diuersa loca fecerant.

888. Postea, cito post Pascha [17 April], cepit comes omnes clauas portarum ciuitatis et tradidit illas quibus uoluit de suis ad custodiendum introitum et exitum ciuitatis; et semper interim illi qui hospitati sunt in Suwerk habuerunt de die et nocte liberum introitum per pontem infra ciuitatem. Tunc plures ciues exierunt a ciuitate pro timore domini regis, quorum bona comes fecit asportare.

889. Tunc minutus populus erexit se uocans se ‘communam ciuitatis’, sicut fuit tempore comitis Leycestrie, et habuit primam uocem in ciuitate, ita quod quamplures de ciuitate et eciam de magnatibus per ipsos fuerunt capti et in custodia comitis positi quia ipsi fuerunt manifeste ad fidem domini regis, quorum bona per comitem uel sequestrata fuerunt uel asportata. Et tunc per eleccionem dicti populi facti | sunt balliui Robertus de Lintona et Rogerus Marescallus, et dominus Ricardus de Culeworth factus est summus balliuus ciuitatis per comitem. Tunc omnes qui fuerunt quasi hutlagati de ciuitate pro pace domini regis infracta tempore comitis Leycestrie uenerunt in ciuitatem et gratis rcepti sunt, et omnes qui imprisonati fuerunt in Newgate pro predicta causa fuerunt deliberati.

fo. 101^v

890. Postea, die Mercurii post clausum Pasche [27 April], inhibuit legatus ne campane pulsarentur in ciuitate et ne diuina celebrarentur cum cantu, set sub silencio hostiis ecclesiarum^a clausis ne inimici regis qui uocati sunt ‘exheredati’ interfuissent ad diuina audienda.

^a *Ins. above line.*

891. Postea, tribus septimanis post Pascha peractis, uenit dominus rex cum exercitu suo apud Hamme et hospitatus est ibi in abbatia monachorum; et cito post legatus recessit a turri et hospitatus est in eadem abbathia ubi fecit stabulum equis suis in claustro monachorum per aliquid tempus.

892. Postea de die in diem habuerunt colloquium per nuncios dominus rex et comes de pace formanda, set semper interim comite muniente ciuitatem et introitum ciuitatis uiris armatis contra exercitum domini regis.

893. Memorandum quod in illa perturbacione non permisit comes quod illi qui cum eo uenerunt fecissent depredaciones extra ciuitatem; set tamen illi qui fuerunt hospitati ^aultra pontem^a depredauerunt et multa mala fecerunt in Sureya, Cantia et alibi; qui et pro dolor | et nefas in batellis accesserunt ad Westmonasterium et ibi mutulauerunt palacium domini regis frangentes cathedras, fenestras, et hostia, et quicquid potuerunt asportantes; et licet comes fecisset cotidie proclamare ne quis aliquid depredasset, tamen plures de ciuitate fuerunt depredati. Vnde comes de quibusdam fecit fieri iudicium, scilicet una uice quatuor seruientes domini Willelmi de Ferrariis, qui fuerunt in una depredacione ubi unus de ciuitate fuit occisus, fecit ipse ligatis manibus et pedibus proicere in Thamisiam et ibi dimergi; et tale fuit iudicium per totum illud tempus de dampnatis.

fo. 102

894. Postea, in septimana post festum sancte Trinitatis [12 June], pax fuit formata inter dominum regem et comitem per regem Alemannie et dominum Henricum filium suum et Philippum Basset, qui multociens se intromiserunt, et per alios;^b ita quod tunc comes recessit cum suis a ciuitate et hospitatus est in Suwerk. Et dominus rex die

^{a-a} *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De pace formata inter regem et comitem.*

Sabbati ^aproxima ante festum Natiuitatis sancti Iohannis baptiste^a [18 June] uenit Londonias cum toto exercitu suo et hospitatus est ibi; et statim fecit proclamare pacem suam et concessit exheredatis treugas a die illa in undecim dies ad tractandum interim de pace; et tunc per preceptum domini regis Iohannes Addrien et Lucas de Batencurt positi sunt in balliua sua omnesque aldermanni in wardis suis, in quibus comes antea posuerat nouos custodes.

fo. 102^v **895.** Die uero Lune proxima [20 June] legatus posuit interdictum generalem in ciuitate, circa horam sextam, | quod quidem in crastinum circa horam terciam relaxatum est, capto sacramento coram commissariis domini legati apud Sanctum Paulum duorum hominum qui iurauerunt in animas tocius commune standi consideracioni sancte ecclesie. Et tunc tota claustura quam comes fecerat inter ciuitatem et turrim penitus prostrata est et meremium asportatum. Et tunc, in uigilia sancti Iohannis baptiste [23 June], dominus Alanus la Suche factus constabularius turris et custos ciuitatis per dominum regem ad Crucem Sancti Pauli coram omni populo.^b

896. Postea, die Dominica [26 June], precepit dominus rex ut in crastinum de singulis wardis tunc uenissent uiginti homines parati ad prosternendum fossatum quod comes fieri fecit ita quod non appareret locus eius.

897. Memorandum quod pax facta fuit inter dominum regem et comitem Glouuernie in forma subscripta: uidelicet quod dominus rex remisit illi et omnibus de familia, societate et amicia sua, et omnibus Londoniensibus omnem iram, rancorem et indignacionem, et omnem malam uoluntatem quam habuit uersus eos occasione transgressionum et aliarum rerum per eos factarum in terra uel in aqua postquam dictus comes recesserat ultimo a Wallia et dum moram fecit in ciuitate; et quod dominus rex

^{a-a} *Supplied in margin scribe 1.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De Alano la Zuche.*

acquietabit omnes illos uersus omnes gentes et non permittet aliquem illorum occasionari uel appellari racione predictarum transgressionum, excepto tamen quod mercatores qui non intromiserunt se de gwerra habeant plenam accionem ad recuperandum tantummodo catalla sua sine misericordia domini regis per legem terre; et quod terre, domus et redditus | qui dati sunt tam per regem quam per comitem post predictum recessum comitis de Wallia omnino reuocentur. Dictus uero comes obligauit se sacramento prestito quod non mouebit gwerram uersus dominum regem, et inde fecit litteras et inuenit plegios sub pena decem millium marcarum; et hec pena locum habeat, quousque sciatur a domino papa si illa pena ei sufficiens uideatur, et quicquid dominus papa super hoc ordinauerit, dictus comes tenetur obseruare. Et hec ordinacio debet fieri infra festum Purificationis beate Marie [2 February] proximo uenturum.

fo. 103

898. Tunc temporis remisit dominus rex Londoniensibus omnem malam uoluntatem quam habuit uersus eos occasione predicta per literas suas patentes et subscriptas.

899. Tunc ad instanciam regis ciues promiserunt regi Alemannie mille marcas pro dampnis suis de Istheworthe.

900. Littere domini regis de remissione pro perhendinacione comitis Glouernie in ciuitate.

901. Henri par la grace Deu rey de Engleterre, seniur de Hirlande e duc de Aquitanie a tuz ceux ke ceste lettre uerunt ou orunt saluz. Cum par enchesun del mouement ke de nuuel ad este en nostre tere eiums este entu uers la gent de Lundres, par achesun de la demure Gilbert de Clare cunte de Gloucestre et de Hertford en la cite auant dite; et pur autres choses ke fetes sunt pus le partir le cunte de Wales dreynement en uenant uers la cite et pus k'il entra; et pur choses ke fetes sunt par le cunte et de par autres de sa mesne et de sa companie et de sa amiste; et per ceus de Lundres en la cite et dehors en diuers

fo. 103^v cuntees et paiis ausi bien par ewe cum par <tere>;^a | nus par le cunseil et par assentement nostre cher frere le reys de Alemain et les cuntes et les baruns et le comun de nostre tere auums pardone et relesse a tuz ceus de Lundres tute manere de ire et de rancur et de male uolunte, et auum grante et otrie ke a eus mal, ne damage, ne ne froms ne froms fere, ne ne sofrons estre fet; et k'il ne serunt achesunz et ne enquerelez pur les choses auandites, fors pris marchanz ke de gwere ne se sunt entremis, les queus auerunt lur accion solom lei de tere si il uolient; issi ne pur oet ke endroit de eus, cum endroit des autres a ki eui auera trespasse seient tuz ceus de Lundres quietes, quant a nus et a nos heirs de forfet et de amende, e ke par la suite de marchaunz nert nul enquerelez mal ne damage, mes ke les marchanz sulement recuuerent lur chateus. Estre ce nus uoluns et grantoms ke ceus de Lundres ke a Lundres ne estoyent mie le iur ke ceste quitance fu fete seyent quite ensement cum les autres ke i sint, si il ne facent choses contre nostre pes entre ci e la ke il puent de ceste pes ke fete est estre acerte. E auums ensement grante et otrie que tute les teres a Lundres, ke unt este seisies par achesun de ce muuement pus le terme auandit, seient maintenant rendus a eus et retournez. E si il ieit nul ke eyt este pris pus le terme auandit par achesun del auandit muuement maintenant seit deliuere. En temoyne de | ceste chose nus et nostre cher frere sire Richard par la grace de Deu rey de Almain a cest escrit auum fet mettre nos siaus. Dune a Estratfor le sezime iur de Iuin, le an de nostre regne cinquante primerein.

fo. 104

902. Cito postea recepit dominus rex ad pacem suam Iohannem de Eyuile, Nicholaum de Segraue, Willelmum Marmeyun et complices eorum qui hospitati fuerunt ultra pontem.

903. Circa idem tempus domino rege moram faciente apud Londonias, in parlamento apud Wyndleshors existentibus ibidem domino rege Alemannie, domino Henrico filio

^a Supplied from the patent roll TNA C 66/85 m. 15.

eius, domino Philippo Basset et allis magnatibus regni Anglie facti sunt concordēs Dominus Edwardus et comes Glouernie.

904. Eodem uero tempore reddita fuit insula de Ely Domino Edwardo, qui recepit illos quos ibidem inuenit ad pacem suam et ad grāciam domini regis patris sui, et omnes claustruras et municiones ^acirca illam et in illa ut in terra et^a in aqua factas fecit prosternere; eodem modo omnes municiones, barbēkanos et claustrura que facte fuerunt circa Suwerk fecit dominus rex prosternere et adnullare ita quod non apparet locus illarum.

fo. 104^v **905.** Postea dominus rex recedens a Londoniis profectus est cum multis baronibus et militibus et aliis peditibus et equitibus usque ad Salopesbery ad habendum | parlamentum cum Lewelino principe Wallie.

906. Hic annus omnibus annis antea elapsis temporibus tunc uiuencium extitit fertilior, ut in aruis copia segetum, in arboribus copia fructuum, tam in siluis et in spinetis quam in gardins et eciam in uineis.^b

907. Memorandum quod die Lune proxima ante festum sancti Michaelis [26 September], cum comuna tunc conuenisset in Gildhallia ad eligendum uicecomites secundum consuetudines suas, missum fuit breue domini regis domino Alano la Zuche custodi ciuitatis et ciuibus precipientes ut Iohannes Addrien et Lucas de Batencurt remanerent balliui usque ad aduentum suum Londonias: et sic ^cremanserunt balliui usque ad Pascam [8 April] proximam sequens.^c

^{a-a} *Supplied over an erasure.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Annus fertilis.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

908. Iohannes Addrien, Lucas de Batencurt - anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, ^ain festo sancti Michaelis,^a ^bin fine anni regni regis quinquagesimo primo.^b

909. Hoc anno dominus rex rediens de Salopesbery facta concordia inter ipsum et Lewelinum principem Wallie uenit Londonias in uigilia sancti Edwardi regis et confessoris [12 October].

910. Hoc anno, circa festum sancti Michaelis [29 September], prouisum fuit per consilium domini regis quod facta fuisset inquisicio per totum regnum Anglie de articulis, qui subnotati sunt Gallice in hoc libro:^c

911. Porco ke li reis d'Engleterre ad done les terres de plusurs gens ke unt terres en diuerses contees et en diuers hundres, pur ce uout il ke lem enquerge ki sunt feiffie par li e en quel hundred des terres de cels; ki lem dit ke furent contre lui en cest emouement de son regne et de queles terres il sunt feffie, et a ki celes terres furent, et ki les tient ore, et ki unt | pris les espleiz de celes terres pus cel tens et ou il sunt deuenuz.

fo. 105

912. D'autre part il ueut sauer ke lem enquerge ki unt pris autri terres a force par enchesun del auandit mouement del regne et les detinent enco et nes unt pas rendues au rei, et qui les tinent et par quel garant.

913. Il ueut ke lem enquerge ki unt este contre lui en cest barat, ou en fet ou en dit, et si les terres ou les biens de ceus sunt encore dones ou nun par le rei ou par nul de seus.

914. Lem enquera ausibien des erceueskes, eueskes, de tute genz de religion de quel ordre ke il seient, cum de persones e de prestres et de clers et de tute autre manere de

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De inquisitionibus faciendis per regnum Anglie et de iusticiariis itinerandis. Require prouisiones factas hoc anno de statu regni in ultimo quaterno huius libri.*

genz ki ce sunt ki apertement procurerent les busunies le cunte de Leicestre, et cels ke tindrent od lui en atreant le gent par menconges et par faucetes, par priser la partie le counte et blamer la partie le rei et sun fiz.

915. Lem enquera li quel unt fet eide al conte de Leicestre ou a ceus de sa partie de lur pecunie, ou lur unt enuoie de lur genz en eide par lur eindegre sanz fere lur destresce.

916. Lem enquera quels des feffees unt fet pais a lur aduersaries e unt pris de lur deners e lur unt lur terres rendues sanz le conseil le rei.

fo. 105^v

917. Il ueut ke lem enquerge | ki unt este principals robburs e ki unt este aueke eus; e ki unte este derobbez, et de quele genz, et quant, et ou, et pur quele acheisun; e ou les robburs unt este recettiez.

918. Lem enquera si nules terres du demeine le roi seient donez par acheson de cest mouement, et ki les tienent, et a ki e les sunt donees, et pur quel forfet.

919. Lem enquera ki par acheson de cest esmouement unt fet robberies, homicides ou arsons sur les feals le rei.

920. Lem enquera quels utlagez sunt reuenuz a la cumpanie de ceus ki se appellerent desheritez et demorent encore el paiis, et ou il sunt recettiez.

921. Lem enquera ki unt achate des robberies ki unt este faites cuntre les feal le rei en le auandit tens.

922. Lem enquera si nul de ceus seit derobbez, ke ne se tindrent od l'une partie ne od l'autre, mes se tindrent en pais et ki les ad desrobbie et de quei.

923. Lem enquera si nul eglise seit robbie en l'auandit tens et par queus.

924. Lem enquera si nuls eit demande du rei les terres de akun ki nad pas en l'auantdit tens este cuntre le rey, et les tient encore et ki ce est.

925. Len enquera ki unt este de lur aindegre baillifs ou seruanz le cunte de Leicestre.

926. Les nons des enquerurs en ceste cunteres:

Eustace de Baliol, Adam de Gesem', Richard de Middeltona - Euerwyk, Norhumberland, Cumberland, | Westmorland, Lancastre, Notingham, Derby.

fo. 106

927. Les nons des enquerurs en ceste cunteres:

Robert de Neuile, Roger de Sumeri, Iohan le Bretun - Nicole, Norhamtune, Leicestre, Warewyk, Roteland, Oxneford, Barkschire, Bukingeham, Bedeford.

928. Les nons des enquerurs en ceste cunteres:

Adam de Greinuile, Robert de Brehuse, le abbe de Schireburne, Richard de Chertedona - Salopesbery, Stafford, Hereford, Wyrecestre, Gloucestre, Deueneschyre, Sumersete, Dorsetre, Wylteschire, Suhamptuna.

929. Les nons des enquerurs en ceste cunteres:

Wiliame de Seint Oumer, Ion Luuel, Simon de Creye - Sureye, Susexe, Kent, Middelsexe, Esex, Herteford, Sutfolke, Nortfolke, Cantebrigge, Huntingdone.

fo. 106^v

930. Sciendum quod illa prouisio. |

931. Memorandum quod tempore elapso multociens in Gildhallia coram omni populo preceptum fuit ex parte domini regis sub pena uite et membrorum, et eciam per totam ciuitatem proclamatum ne aliqui fecissent parlamentum, conuenticulas per se seu

congregaciones, per quod pax domini^a regis et ciuitatis posset in aliquo perturbari; set quod omnes de ciuitate tam pauperes quam diuites essent quasi corpus unum et uir unus ad pacem regis et ciuitatis ad fidem suam fideliter obseruandam; ne per tales conuenticulas et congregaciones ciuitas iterum confunderetur, sicut contingebat temporibus Thome filii Thome tunc maioris Londoniarum et Thome de Piwelesdona complices sui, sub quorum potestate minutus populus per tales congregaciones et confederaciones inter se factas erexit se contra magnates ciuitatis et habuerunt omnem potestatem ciuitatis, ita quod magnates eos non potuerunt pacificare nec iustificare; et hoc fuit inicium confusionis ciuitatis. Preterea preceptum fuit et proclamatum sub eadem forma ne aliqui uindictam caperent de bacteria uel alia iniuria sibi illata, set inde queremoniam facerent balliuis ciuitatis, qui eis super hoc plenam iusticiam exhiberent.

932. Contra hoc, circa festum sancte Katerine [25 November] hoc anno, contigit quod quedam contencio orta fuit inter quosdam de officio aurifabrorum et quosdam de officio cissorum, quibus adhererunt hinc et hinc quidam de officio parmentariorum et quidam de officio allutarum, qui fecerunt magnas congregaciones et per tres noctes continuas incedebant armati per uicos | ciuitatis facientes maximum conflictum inter se: ita quod *fo. 107* tertia nocte fuerunt congregati, ut dicebatur, plusquam quingenti de illis malificis, in quo conflictu fuerunt quamplures uulnerati. Set tamen nullus uoluit facere queremoniam balliuis, set unusquisque expectabat ui et armis capere uindictam de aduersario suo contra pacem et fidem domini regis; quod intelligentes balliui et discreti uiri de ciuitate fecerunt capi de illis plus quam triginta et incarcerari apud Neugate; qui, die Veneris proxima post festum sancte Caterine [2 December], comparuerunt ^αcoram Laurencio de Broc iusticiario ad gayolam deliberandam assignatum,^α qui secutus est contra ipsos pro rege dicens quod ipsi contra pacem et fidem domini regis incedebant armati in ciuitate,

^a *Ins. above line.*

et de nocte uulnerantes et depredantes nequiter et in feloniam et quosdam interficientes, quorum corpora, ut dicebatur, proiecta fuerunt in Thamisiam.

933. ^αIpsi uero defenderunt uim et iniuriam et cetera et de hoc posuerunt se super uerdictum uisneti.^α In crastino uero, qui per predictum uisnetum fuerunt indictati fuisse in predicto conflictu, adiudicando predicto iusticiario statim fuerunt suspensi, ^βlicet nullus eorum fuisset conuictus de homicidio, mahano, uel robberia.^β ^γVnde quidam Galfridus dictus de Beuerlaco parmentarius, quia in domo sua quidam de illis malificis armauerunt se et ipse armatus cum eis fuisset in predicto conflictu, fuit suspensus cum aliis duodecim indictatis tam aurifabris quam parmentariis et allutariis.^γ

^aHoc uero totum factum est ut alii per hoc perteriti inde caperent exemplum, ita quod pax domini regis ab omnibus in ciuitate firmiter obseruaretur.^a |

fo. 107^v

934. Memorandum quod anno eodem prouisum fuit per dominum regem et consilium suum quod iusticiarii itinerantes missi fuissent per totum regnum Anglie, incipientes itinerare statim post festum sancti Hillarii [13 January].

935. Nomina iusticiariorum itinerantium in prouinciis subscriptis:

Gilbertus de Prestona, Iohannes le Bretun, Walterus de Helyun, Iohannes de Eketun - Westmorland, Norhumberland, Cumberland, Lancastria, Eborum, Notingham, Dereby, Warewyk, Leicestria, Lincolnia, Roteland.

936. Nomina iusticiariorum in subnotatis prouinciis:

Nicholaus de Turry, Robertus de Brus, Henricus de Walenestra, magister Ricardus de Stanes - Kent, Middelsexe, Surey, Susexe, Suhamtuna, Wiltune, Deuenia, Cornubia, Esex, Hertefordia, Norfolk, Suffolke.

^a *Add. scribe 1.*

937. Nomina iusticiariorum itinerancium in subscriptis prouinciis:

Riccardus de Middeltuna, Adam de Greinuile, Rogerus de Messendena, Iohannes de Stroda - Sumersete, Dorsete, Herefordia, Gloucestria, Wygornia, Sloppia, Stafford, Oxonia, Barkschire, Bukingham, Bedefordia, Norhamptune, Cantebrigge, Huntingdune.

fo. 108

938. Nomina uicecomitum tunc temporis in Anglia: |

939. Robertus de Layum uicecomes de Euerwykschre.

940. Willelmus de Huntercumbe uicecomes de Norhumberland.

941. Willelmus de Deyre uicecomes de Cumberland.

942. Simon de Hedun' uicecomes de Notingham.

943. Iohannes le Moine uicecomes de Norhamptuna.

944. Baldewynus de Sein Mor' uicecomes de Cantebrigia et de Huntingdona.

945. Robertus de Nortuna uicecomes Sufolke et Norfolke.

946. Samson Foliot uicecomes de Oxonia et Barkshire.

947. Ricardus de Heylh' uicecomes de Esexia et de Hertford.

948. Radulfus Sansauer uicecomes de Sureye et de Susexia.

949. Iohannes de Hockele uicecomes de Suhamptuna.

950. Fulco Peinfurer uicecomes de Kent.

951. Willelmus de Dun uicecomes de Wiltuna.

952. Andreas Wake uicecomes de Sumersete et Dorsete.

- 953.** Willelmus de Bikel uicecomes de Deueneschire.
- 954.** Ricardus de Hockel uicecomes de Glouernia.
- 955.** Robertus de Grele uicecomes de Hereford.
- 956.** Willelmus Bagot uicecomes de Warewyk et Leicestria.
- 957.** Walterus de Hoptuna uicecomes de Saloppia et Stafford.
- 958.** Hoc anno fuit maximus uentus in crastino sancti Hillarii [14 January].
- 959.** Hoc anno, tercia die ante Annunciacionem Dominicam [23 March], scilicet tunc temporis die Veneris, fecit dominus rex^a uenire coram se et consilio suo ciues Londoniarum, et concessit eis quasdam libertates, sicut in hoc libro subnotatur,^b subtractis pluribus articulis de libertatibus ciuitatis ^cquousque gratiam inuenissent meliorem.^c
- 960.** Hoc anno, in septimana ante Ramos Palmarum [1 April], eligerunt ciues Londoniarum sex uiros per preceptum domini | regis qui presentati fuerunt coram eo apud Westmonasterium in crastino Palmarum, ^dscilicet secundo die Aprilis:^d et tunc dominus rex pro uoluntate sua constituit duos de illis ut essent uicecomites Londoniarum et Midelsexie et colligerent omnes exitus illius uicecomitatus ad opus domini regis, uidelicet Willelmus de Durehame et Walterus Heruy,^e Iohanne Addrien et Luca de Batencurt amotis.

fo. 108^v

^a *Ins. above line.*

^b *c. 964.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

^{d-d} *Supplied in margin scribe 1.*

^e *Marginal ins. scribe 3, Per dominum regem facti uicecomites.*

961. Tunc temporis factus est custos ciuitatis et constabularius turris dominus Thomas de Eppegraue.^a

962. Postea, circa festum sancti Marci ewangeliste [25 April], Ottobonus sancti Addriani diaconus cardinalis apostolice sedis legatus celebrauit concilium suum generale in ecclesia Sancti Pauli, in quo fuerunt presentes uel per se aut per procuratores omnes archiepiscopi, episcopi, abbates et priores, decani, prepositi et archidiaconi tocius Anglie, Hibernie, Schochie et Wallie.

963. Carta domini regis quam fecit ciuibus Londoniarum ^bsub spe inueniendi ab eo meliorem gratiam.^b

964. Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Aquitannie archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, iusticiariis, uicecomitibus, prepositis, ministris et omnibus balliuis et fidelibus suis salutem. Sciatis nos concessisse pro nobis et heredibus nostris ciuibus nostris Londoniarum, quos nuper post uarias transgressiones et forisfacturas suas et communitatis sue nobis factas, pro quibus de uita et membris et aliis omnibus ad ciuitatem predictam spectantibus se uoluntati nostre supposuerunt, recepimus ad gratiam et pacem nostrum; quod nullus eorum placitare cogatur extra muros ciuitatis predicte de re aliqua, exceptis tenuris exterioribus et exceptis monetariis nostris et ministeriis et exceptis hiis que contra pacem nostram fieri contingent, que secundum legem regni nostri communem terminari solent in partibus ubi transgressiones ille facte fuissent, et exceptis placitis de mercandisis que secundum legem mercatoriam terminari solent in burgis et feriis; ita tamen quod per quatuor uel quinque de ciuibus Londoniarum predictis qui | presentes fuerint in dictis burgis uel feriis terminentur querele ille, saluis nobis amerciamentis

fo. 109

^a *Marginal ins. scribe 1, De Thoma de Ippegraue.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

inde quocumque modo prouenientibus, de quibus nobis et heredibus super grauem forisfacturam nostram fideliter respondebunt.^α Concessimus eciam eisdem ciuibus nostris quitanciam murdri infra ciuitatem predictam et in Portsokne; et quod nullus ciuium ipsorum faciat duellum; et quod de placitis ad coronam pertinentibus, de hiis maxime que infra ciuitatem predictam et eius suburbium fieri continget, se possint disracionare secundum antiquam consuetudinem ciuitatis predictae - ^βeo tamen excepto quod super tumulos mortuorum, de eo quod dicturi essent mortui si uiuerent, non liceat precise iurare, set loco mortuorum qui ante obitum suum electi fuerint ad eos disracionandos, qui de rebus ad coronam spectantibus appellati fuerint uel arectati, alii liberi et legales eligantur qui idem sine dilacione faciant, quod per defunctos memoratos si uiuerent fieri oporteret;^β et eciam quod infra muros ciuitatis uel eciam in Portsokne nullus capiat hospicium per uim uel liberacionem marescalli. Concessimus eciam eisdem ciuibus quod per totam terram et potestatem nostram, ubi uenerint alibi cum rebus et mercandisis suis et eciam per omnes portus maris tam citra mare quam ultra, quieti sint de theolonio et lastagio et omni alia consuetudine, excepta ubique debita et antiqua prisa nostra uini, unius uidelicet tonelli ante malum et alterius retro malum, per uiginti solidos pro tonello soluendos, in forma qua nos et antecessores nostri huius prisas habere consueuimus. Et si | quis in aliqua terrarum nostrarum citra mare uel ultra, siue in portibus maris citra mare uel ultra, contra hanc concessionem theoloneum uel aliquam aliam consuetudinem ab hominibus Londoniarum ceperit excepta prisa predicta postquam ipse a recto defecerit, uicecomites Londoniarum namium inde capiant apud Londonias. ^γConcessimus eciam eisdem quod singulis septimanis teneatur hustengum semel in ebdomada et hoc tantummodo per unum diem, ita tamen ut que illo die terminare non poterunt, continuentur in crastinum et non ultra;^a et quod de terris

fo. 102^v

^a *Marginal ins. scribe 1*, Hoc anno per tenorem presentis carte incoactum est quoque placita que terminari

suis et tenuris infra ciuitatem ipsam rectum eis teneatur secundum consuetudinem ciuitatis eiusdem, ita tamen quod tam forinseci quam alii attornatos facere possint tam agendo quam defendendo^v sicut alibi in curia nostra;^a et quod non occasionentur propter miskeninga in suis loquelis, uidelicet si bene non omnino narrauerint; et de omnibus debitis suis que accomodata fuerint apud Londonias et de uademoniis sibi ibidem factis, placita ibidem teneantur secundum consuetudinem iustam et consuetam. Insuper eciam ad emendacionem ciuitatis predicte concedimus quod omnes sint quieti de childewyta et de yeresgyue et de scotale, ita quod uicecomites nostri Londoniarum uel aliquis alius balliuus scotale non faciant; et quod dicti ciues terras suas et tenuras uel uadimonia iuste habeant et teneant, et eciam debita sua quicumque ea debeant; et quod nullus mercator uel alius obuiam eat mercatoribus uenientibus per terram uel per aquam cum mercandisis suis et uictualibus uersus ciuitatem illam, ad emendum uel reuendendum, quousque ad dictam ciuitatem uenerint et mercimonia | sua ibidem uendicioni exposuerint, super forisfacturam rei empte et penam carceris, a quo sine graui castigacione non euadat; et quod nullus exponat mercimonia sua uendicioni que custumam debeant quousque debita custuma leuetur, sub forisfactura tocius auerii de quo secus fieri contingent; et quod nullus mercator extraneus uel alius emat uel uendat aliquid auerium quod ponderari debeat uel tronari nisi per stateram uel tronam nostram sub forisfactura auerii predicti. Debita insuper que ex suis contractibus uel mutuis eis debebuntur, ad eorum securitatem in nostro scacario ad recongnicionem eorum, qui sibi in dictis debitis tenebuntur, faciant irrotulari; ita tamen quod nullum debitum irrotuletur per recongnicionem alicuius qui non sit ibi notus, uel nisi constet de sua persona per testimonium sex uel quatuor legalium hominum qui sint sufficientes ad

non possint in hustingo die Lune, continuata sunt usque in crastinum et tunc terminentur.

^a *Marginal ins. scribe 1*, Eodem tempore concessum est per ciues ut omnis liber homo in hustingo et in omnibus curiis ciuitatis possit facere attornatum tam agendo quam defendendo, quod ante fieri non solebat nisi tantummodo defendendo.

respondendum tam de debito quam de dampno, quod habuerint aliqui per huiusmodi recongnicionem, si eam falso fieri contingat sub nomine ipsorum; et pro libra qualibet in dicto scacario irrotulanda denarius unus soluatur ad opus nostrum pro onere sustentacionis eorum quos huius irrotulacioni intendere oportebit. Has autem libertates et liberas consuetudines eis concessimus habendas sibi et heredibus eorum, quamdiu erga nos et heredes nostros bene et fideliter se habuerint, una cum aliis iustis et rationabilibus consuetudinibus suis quas temporibus predecessorum nostrorum et nostro hactenus habuerunt, tam de forma et modo placitandi de tenuris, debitis et uadimoniis suis quam de aliis quibuscumque casibus et ipsos et ciuitatem ipsam tangentibus, dum tamen consuetudines ille iusticie et rectis legibus contrarie non existant, ^δsaluis in omnibus libertatibus ecclesie Westmonasterii abbati et monachis eiusdem loci per cartas nostras | et predecessorum nostrorum regum Anglie concessis.^δ De Iudeis autem nostris et mercatoribus extraneis, atque a supradictis concessionibus nostris nos et ciuitatem nostram predictam tangentibus, prouidebimus nos et heredes nostri prout melius nobis^a uidebimus expedire. Hiis testibus Ricardo rege Alemannie fratre nostro, Edwardo primogenito nostro, Edmundo filio nostro, Rogero de Mortuo Mari, Rogero de Clifford, Rogero de Leyburne, Roberto Walerand, Roberto Agulun, magistro Godefrido Giffard cancellario nostro, Waltero de Mertona, magistro Iohanne de Cheshull archidiacono Londoniarum, Iohanne de la Lynde, Willelmo de Aette et aliis. Datum per manum nostram apud Westmonasterium uicesimo sexto die Marcii, anno regni nostri quinquagesimo secundo.

fo. 110^v

965. Anno eodem legatus recessit a Londoniis uersus mare quarto nonas Iulii [4 July].^b

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De recessu legati.*

966. Anno eodem, in crastino sancti Iacobi apostoli [26 July], factus est constabularius turris Londoniarum et custos eiusdem ciuitatis dominus Stephanus de Eddeworthe.^a

967. Postea eodem anno rex Alemannie in crastino sancti Petri ad Vincula [2 August] recessit a Londoniis transfreturus in regnum suum.

968. Hoc anno, post Pentecosten [27 May], magister Godefridus de Sancto Dunstano tunc temporis custos episcopatus Londoniarum iniunxit presbiteris parochialibus ciuitatis ut quosdam magnates predictae ciuitatis denunciarent excommunicatos, eo quod recipiunt probacionem testamentorum de terris et tenementis legatis. Vnde ciues impetrauerunt a domino rege quoddam breue cuius tenor talis est:

969. Henricus Dei gracia et cetera magistro Godefrido custodi episcopatus Londoniarum salutem.^b Cum ciues nostri Londoniarum a tempore quo non extat memoria, ex concessione predecessorum nostrorum | regum Anglie et nostra, et ex antiqua et approbata consuetudine terras et tenementa sua infra libertatem ciuitatis predictae in ultima uoluntate sua pro suo libito legare, et coram se ipsis in hustengo suo Londoniis huius probacionem testamenti quo ad hoc admittere consueuerint; uos in huiusmodi probaciones admittentes in ciuitate predicta sentenciam excommunicacionis contra consuetudines et concessiones predictas intulistis, ut accepimus, ad eorundem ciuium detrimentum non modicum et in corone et regie dignitatis nostre preiudicium manifestum, de quo miramur quam plurimum et mouemur. Et ideo uobis mandamus firmiter iniungentes quatinus sentenciam predictam in ciues nostros predictos ea occasione latam sine more dispendio reuocetis. Et hoc sicut indignacionem nostram uitare uolueritis nullatenus omittatis, ita quod non oporteat nos amplius inde sollicitari per quod manum ad hoc aliter apponere debeamus. Scituri quod nisi feceritis nos ad uos

fo. 111

^a *Marginal ins. scribe 1*, De Stephano de Eddeworth.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Littere misse magistro Godefrido pro ciuibus.

et uestram tam grauiter capiemus, quod uos ex inde non mediocriter sencietis grauatos. Teste et cetera. Datum apud Wodestoke, ^amense Iulii anno regni nostri quinquagesimo secundo.^a

970. Per istud mandatum regium supersedebat<ur> dictus magister de sua execucione facienda.

971. Memorandum quod quamplures ciuitatis Londoniarum cum bonis suis exierunt a ciuitate ita^b quod nichil potuit inueniri per quod ipsi possent distringi ad porcionem super eos assessam leuandam. Vnde ciues impetrauerunt regias literas sub hac forma:

972. Henricus Dei gracia et cetera omnibus balliuis et fidelibus suis ad quos presentes littere peruenerint salutem.^c Cum quidam de ciuitate nostra Londoniarum cum mercimoniis et bonis et catallis suis eandem ciuitatem sint egressi | subterfugia querenda ut sic latenter diffugiant, quo minus tallagium super ipsos assessum pro fine uiginti milium marcarum, quem ciues nostri dicte ciuitatis nobiscum fecerunt pro bona uoluntate nostra habenda, persoluant; concessimus eisdem ciuibus nostris quod mercimonia, bona et catalla ciuitatem predictam sic egressorum, ubicumque ea in regno nostro inueniri contingat, arestentur donec de tallagio super ipsos assesso satisfecerint ad plenum. Et ideo uobis mandamus quod mercimonia, bona et catalla predictorum ciuitatem illam sic egressorum, ubicumque ea in regno nostro predicto inueniri contigerit, arestari faciatis donec tallagium predictum soluerint plenarie, sicut predictum est. In cuius rei testimonio has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Wodestoke quarto decimo die Iulii, anno regni nostri quinquagesimo secundo.

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

^c *Marginal ins. scribe 1, Littere regis ad dstringendos extra ciuitatem ipsos qui recesserunt a ciuitate sine satisfaccione redempcionis sue.*

973. Hoc anno Dominus Eadwardus et dominus Gilbertus comes Glouuernie et multi alii magnates de regno Anglie ceperunt crucem apud Norhamtonam in festo sancti Iohannis baptiste [24 June] in subsidium terre sancte profecturi.^a

974. Predicti Walterus Herui et Willelmus de Dureham - anno milesimo ducentesimo sexagesimo octauo ad festum sancti Michaelis [29 September], ^bin fine anni regni regis quinquagesimo secundo.^b

975. Isti remanserunt balliui in forma prenotata et sine eleccione ciuium et sine precepto domini regis.

976. Hoc anno cum uniuersum barnagium regni Anglie per preceptum domini regis uenissent Londonias ad parlamentum super statum regni ibidem habendum,^c tunc uenit ibi ^dmagister Walterus Giffardus^d archiepiscopus Eborum, qui contra dignitatem Cantuariensis archiepiscopi in diocesi sua ^efecit portare crucem ante se,^e que diocesis durat per omnia loca a fluuio de Humbre usque mare uersus Austrum; ob quam causam dictus archiepiscopus Cantuarie interdixit ciuitatem Londoniarum^f et eciam extra ciuitatem per spacium duarum | leucarum ex omni parte ciuitatis, ita quod nullum diuinum officium celebratum fuit nisi sub silencio, et nulle campane pulsate fuerunt nisi tantummodo in ciuitate; nec tamen propter hoc^g dictus Eboracensis noluit se subtrahere, set per superbiam et elacionem contra libertatem et dignitatem ecclesie Cantuarie quamdiu fuit in partibus illis fecit illam crucem ante se portare. Eodem fecit post festum sancti Hillarii [13 January].

fo. 112

^a *Marginal ins. scribe 1*, De recepcione crucis Domini Edwardi.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^c *Marginal ins. scribe 1*, Post festum sancti Michaelis.

^{d-d} *Ins. above line*.

^{e-e} *Ins. above line*.

^f *Ins. above line*.

^g *Ins. above line*.

977. Hoc anno fuit yemps maxima et magnum gelu incipiens citra festum sancti Andree apostoli [30 November] et duravit fere usque ad Purificationem beate Marie uirginis [2 February].^a

978. Hoc anno excreuit aqua Thamisie in festo sancti Vincencii [22 January] ascendens alcius quam uncquam temporibus aliquorum hominum tunc uiuencium,^b ita quod multa maneria, domus et eciam homines per illam cretinam submersi sunt.

979. Hoc anno, in prima septimana quadragesime [10-16 February], tradidit dominus rex Domino Edwardo filio suo ciuitatem Londoniarum et turrim; qui statim fecit dominum Hugonem filium Otonis constabularium turris et custodem ciuitatis.^c

980. Hoc anno dominus Eadmundus filius domini regis desponsauit filiam comitis de Aubemarlle in ecclesia conuentuali Westmonasterii in presencia domini regis, regine, Domini Edwardi primogeniti predicti domini regis et multorum aliorum magnatum regni Anglie;^d quo die dominus rex ibidem in magna aula sua tenuit magnam et nobilissimam curiam, scilicet nono die Aprilis tunc temporis Hokeday.

981. Hoc anno, in festo sancti Erkenwaldi scilicet ultimo die Aprilis, precipiente domino rege, electi sunt per ciues Robertus de Corenhelle, Thomas de Basinges, Edwardus | Blundus, Walterus le Poter, Willelmus de Hadestoke et Anketillus de Auuerne, qui tercia die postea profecti sunt apud Wyndleshores ad dominum regem; et in crastino elegit dominus rex de ipsis sex uiris Robertum de Corenhelle et Thomam de Basinges ut essent balliui sui respondentes eidem de exitibus uicecomitatus Londoniarum et Midelsexie. Qui uero Robertus et Thomas in proxima die Lune,

fo. 112^v

^a *Marginal ins. scribe 1*, De gelu.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De cretina.

^c *Marginal ins. scribe 1*, Quod ciuitas tradita est Domino Edwardo custodienda.

^d *Marginal ins. scribe 1*, De desponsacione domini Eadmundi filii regis.

postquam redierunt, presentati fuerunt in Gildhallia Londoniarum coram communitate eiusdem ciuitatis, ^ascilicet sexto die Maii.^a

982. Hoc anno, die Mercurii in septimana Pentecostes [15 May], dominus Henricus filius regis Alemannie desponsauit apud Wyndlesores filiam cuiusdam nobilis de Aquitannia nomine Gasconis de Byernia.

983. Memorandum quod cum dominus rex tunc temporis tribus annis elapsis concesserat domino Edwardo filio suo^b capere consuetudinem de omnibus rebus per mare uenientibus in Angliam et de Anglia exeuntibus, et ipsa consuetudo demissa^c fuisset quibusdam Italicis ad firmam reddendo Domino Edwardo sex mille marcas per annum, ipsi Italici exigerunt a ciuibus Londoniarum eamdem consuetudinem et uademonia ab eis ceperunt contra suas libertates. Ciues uero adierunt Dominum Edwardum rogantes eum ne tale iugum seruitutis eis permetteret imponi contra libertates per cartas domini regis patris sui et predecessorum suorum regum Anglie eis concessas. Vnde Dominus Edwardus quietanciam predicte consuetudinis ad preces eorum eis concessit faciendo eis super hoc litteras suas | patentes.

fo. 113

984. Ciues uero fecerunt ei curialitatem dantes ei ducentas marcas.

985. Littere Domini Edwardi de noua consuetudine ciuibus remittenda:

986. Edwardus illustris regis Anglie primogenitus uniuersis ad quos presentes littere peruenerint salutem in Domino. Sciatis nos concessisse et presenti scripto nostro confirmasse uniuersis et singulis ciuibus Londoniarum quod liberi et quieti sint imperpetuum per totum regnum Anglie de nouo auxilio nostro, quod habemus de dono domini regis patris nostri; ita quod nos nec heredes nostri nec aliquis per nos uel pro

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

^c *de ins. above line.*

nobis aliquid a ciuibus predictis ratione predicti auxilii possumus exigere uel aliquo modo uendicare; set quod predicti ciues et heredes eorum tam de tempore preterito quam presenti et futuro huius gaudeant libertate imperpetuum et liberi permaneant et quieti. In cuius rei testimonium has literas nostras eisdem fieri fecimus patentes. Datum apud Cipeham uicesimo sexto die Aprilis, anno regni domini regis patris nostri quinquagesimo tercio.

987. Memorandum quod circa festum sancti Andree [30 November] proximo preteritum obiit Clemens papa quartus, et post obitum suum remansit sedes romana uacua per longum tempus quia cardinales, ad quos pertinet electio, fuerunt discordes, ita quod nullus papa extitit per tres annos et amplius.

fo. 113^v **988.** Memorandum quod die Martis ante festum sancti Laurentii [6 August] Dominus Eadwardus recessit a Londoniis ad petitionem regis Francie ut esset ad parlamentum suum in Francia, qui cum uenisset nauigando apud Graueshend inuenit | ibidem hospitatum regem Alemannie auunculum suum qui uenerat de terra sua; unde Dominus Eadwardus hospitauit se apud Nortflete. In crastino uero predictus rex et predictus Dominus Edwardus habuerunt inter se magnum et longum colloquium super transfretacione dicti Edwardi et rebus aliis. Postea dictus Dominus Eadwardus profectus est uersus Doueriam. ^αDictus autem rex die Iouis proxima sequente [8 August] uenit Londoniis et regina sua cum eo, quam nuper desponsauerat in partibus Alemannie, filia cuiusdam nobilis de terra illa.^α Postea, proxima die ante uigiliam Assumpcionis beate Marie uirginis [13 August], Dominus Eadwardus, dominus Henricus de Alemannia, dominus Rogerus de Leyburne, dominus Robertus Walrauen, dominus Gascon de Byerne et plures alii milites et seruiantes transfretauerunt.

989. Postea dictus Eadwardus in festo Natiuitatis beate Marie [8 September] proximo sequentis applicuit apud Doueriam rediens a predicto parlamento ubi inter predictum regem Francie et ipsum conuenerat, sicut in hoc libro gallicis uerbis subnotatur:^a

990. Lowys par le grace de Deu roys de France a tous ceus qui ceste lettres uerunt saluz. Nous uus fesums a sauuer ke entre nus et nostre tre cher cusin Munseniur Eadward, aizne fiz du noble roy de Engleterre, sunt fetes de commun accord sur sa uoye dou pelerinage de outre mer iceles cuenautes. Nus deuums prester a deuandit Edward seisaunte et dis mile liuere de Tournoy.^b |.

fo. 114

991. Quale facinus Thomas et Thomas facere proposuerunt.

992. Gesta et opera bonorum in scriptis reddiguntur ut ea ad eorum laudem et gloriam perpetuam possint posteris reduci ad memoriam; et ita debent crudelitates, malicie, perfidie et nequicie iniquorum in scriptis poni ut ad eorum dedecus, uituperium et scandalum ea possint toto mundo futuris temporibus notificari. Hinc est quod non debet sub silencio preteriri quale facinus et qualem crudelitatem Thomas filius Thome et Thomas de Piwelesdona et iniqui complices eorum inter tot mala que fecerant in perturbacione regni Anglie facere cogitauerant; et ad effectum ducere sperauerunt, et factum fuisset nisi occasione prelii de Euesham fuisset impeditum. Nam tempore quo Dominus Edwardus et comes Glouernie et illi qui eis adhererunt fuerunt apud Glouerniam, existentibus comite Leicestrie et complicibus suis et eciam domino rege, licet non sponte sua, apud Herefordiam, predicti Thomas et Thomas et alii iniqui habito colloquio inter eos, "nescio si ad mandatum comitis Leicestrie aut non,"^a ordinauerunt et sacramento confirmauerunt ut subito et inopinate morti traderent circiter quadraginta uiros de legalioribus ciuitatis eo quod ipsi fuerunt fideles domino regi et Domino

^a *Marginal ins. scribe 1*, Conuenciones facte inter regem Francie et Dominum Eadwardum.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Verte folium et lege ubi inueneris talem figuram #. See c. 994.

Edwardo filio suo. Die namque statuta, scilicet die Iouis post ad Vinculam [6 August], summonita fuit uniuersalis communa ut uenissent apud Gildhalliam ut ita inter ipsos fuissent predicti uiri capti et morti statim liberati. Quo die uenerunt ibi predicti iniqui sub uestibus armati, irruentibus cateruatim cum gladiis et armis eorum complicitibus promptis et paratis ad predictam feloniam perficiendam, et ecce rumores de prelio quod
fo. 114^v actum fuit apud Euesham die Martis precedenti [4 August], | quibus rumoribus auditis ipsi ^βiniqui uiri Belial^β a proposito suo se retraxerunt et saluatus sangwis innoxius in illa die.

993. Nomina illorum qui principaliter fuerunt ordinati ad interficiendum: Iohannes de Gizorcio, Willelmus filius Ricardi, Iohannes Addrienus draparius, Willelmus de Dunelmia, Gregorius de Rokesle, Reginaldus de Suffolchia, Arnaldus Thedmarus, Robertus de Corenhelle, Galfridus de Wincestre, Iohannes Derkin, Bartholomeus de Castello – inter quem et unum de maleficis orta fuit de nouo uerbosa contencio, predicto Bartholomeo fouente partes Domini Edwardi et altero partes comitis Leicestrie.

994. ^acuntees en ceste summe uint et cinc mile liueres de Tournoy, les queles Gastons uisconte de Byarne deueit auer de nus pur lui e pur son passage e pur sa genz; ke il deueit mener en pelirinage de outre mer oueke nus, le quel le deuandit Edward ad receu celi Gastons e sa genz en sa cumpanie, e de ices seisante dis mile liures deit estre baillez pur cheuaus, pur uiandes, pur nefis e pur passage de celi Edward; ce ke mestre luy sera e serra paye par nos genz, ou par ceus que nus i meterons a ceus, de qui les choses desusdites seront prises ou achatees pur icely Edward par la uewe de ces genz ke il auera a ce aturne. E si remenant ia il sera deliure a iceli Edward la ou nus serums outre
fo. 115 mer | apres ce ke il sera uenuz a nus. E les deuandit deners iceli Edward est tenu a rendre a nus, c'est asauer chescun an dis miles liures a deus termes desus escrites iekes

^a *Marginal ins. scribe 1, #.*

atant ke nus soyons enterignement payez de tuz les seisante dis mile liures. E cumencera la premiere paye, c'est a sauoir de cinc mile liures, en mi Mars l'an del incarnation nostre Senieur mil deus cens et seisante treze; e l'autre paye des autres cinc miles liures a la Natiuite seint Iohan baptiste [24 June] prochein suan; e issi de an en an a ices termes iekes atant ke nus serums parpayez. E serunt payes ces deners chescun an a Paris au Temple de deinz la quinzeine apres les termes desus nomees du paage de Burdeaus par la mein du cunestable de celi Edward ou par celi ke tendra sun leu ou de lur mandement. E ueut iceli Edward ke de cel paage a chescun terme ne seit riens mis en autre usage iekes atant ke nus aiuns eu enterignement la paye de chescun terme, le quel paage le deuandit Edward nus ad assene en la deuandite manere, e oblige e temoigne en sa lettre ke il nus ad baille, ke ce est par uolunte nostre cher cousin le roy de Engleterre son pere, pur la somme de deners deuantdis. E ueut ke nus en seyums payez chescun an des lors sicum il est desusdit sanz failir. E de cest assignement e obligation iceli Edward nus deit faire auoir les lettres noster | cher cousin le rey d'Engleterre son pere deuandit oueke les sues lettres. E si il auenoit auant ke les deners deuandis fusent payez, ke celi Edward tenist plus de terre ke il ne tient au tens de ore ou reaume de France, iceli Edward ueut ke ele seit ausi oblige pur la paye desusdite. E oueke tut ce il nus oblige pur la paye deuandite, si defaute iauoit, ces biens mubles e non meubles, les queus porunt estre truuees en nostre reaume apres il nus ad promis ke il serra au plus tart de dens l'Assumpcion Nostre Dame [15 August] prochein auenir au port d'Eguemorte aparaille de passer, se il ne auoit tele ensonie par quei nus la tenisums excuses. E ensi estoit ke il ne uenist a nus pur le assoine deuandite, dunt Deus le defende, il ueut e otreye ke de ces choses les queles sa gent auerunt achatees de deners desusdis, ke nus en reteignons et prengnons ce ke il nus plera par le pris, ke il auerunt este achatees e le remenant soit uendu par ces gens franchement sanz encumbrement de

fo. 115^v

fo. 116 nuly, e les deniers ke en istrunts, serunt renduz a nus ou a nostre cumandement en aquittance du prest auandit. E ce ke demur ad a par fere du payment de la somme deuandite sera pris sus le assenement auandite sulun la resun des termes deuandis. E ad promis uncore iceli Edward ke il trauallera en bone fei de passer e de uenir au plus | tost ke il pora la ou nus seroms. E autre si il ad promis en bone fei ke nule greuances ne damages ne fra par luy ne par les soens en nostre terre, ne en la terre de nos freres, ke il unt en nostre reaume ou dehors en alant en sun pelerinage e en demorant et en retornant. E tant cum il sera en sun pelerinage oueke nus il nus obeyera en bone fei ausi cum uns de nos baruns de nostre reaume pur fere le seruice nostre Seniur. E totes ces choses deuandites iceli Edward nus adiurees sur seintes Ewangelies a garder fermement et a tenir liaument et a par fere en bone fei enterinement, e especiaument pur cest article, c'est asauer pur uenir au port deuandit et pur passer la ou nus serons sicum il est desusdit. Iceli Edward deit balier a Paris un de ses fiz en ostage de deinz la prochein Chandelur [2 February] a nus ou a nostre cumandement, le quel sun fiz sera tut quites et deliures de cest ostage si tost cum iceli Edward uendra la ou nus seruns; e nus le ferums quite deliuerer a iceli Edward sun pere. E si il aueneit ke le deuandit Edward murust auant ke il uenist a nus, ou autre assoine li auenist, dunt Deus defende, par quei nus le tenisoms assoine sicum il est desusdit, li enfanz sera tot quite deliures a luy, ou a sa mere, ou a sun cumandement, ou au rei de Engleterre sun pere, ou a la reyne sa mere, ou a lur mandement si il auenoit issi ke la mere a l'enfant murust auant. E a ceste deliuerance sumes nus tenuz et nostre heir. E en temoigne de ces choses iceli Edward nus a fait baillier ces lettres pendans seles de sun sel; e oueke tot ice nostre cher cousin Henri fiz ainzne le rei de Alemanie, Gastons uiscunte de Byarne, Thomas de Clare frere le cunte de Gloucestre, Roger de Leyburne, Robert Walerand, cheualers out iurees a seintes Ewangelies a la requeste du deuandit Edward ke il en bone fei trauallirunt et

fo. 116^v mettrunt liaument conseil e peine ke li | deuandit Edward gard e acomplise les cuenantes deuantdites; e unt aiointe as lettres de celi Edward lur seaus ouekes le seel iceli Edward en temoigne de tutes ces choses deuandites. E nus en temoine des choses desusdites auoms a ces presentes lettres fet mettre noster nostre seel. Ce fu fet a Paris le Mercredi apres la feste seint Barthelmeu l'apostre [28 August] en l'an de noster Senior mil et deu cens et soisante et noef.

995. Anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono,^a ^bin fine anni regni regis quinquagesimo tercii,^b adhuc remansit dominus Hugo filius Otonis constabularius turris Londoniarum et custos ciuitatis, et predicti Robertus et Thomas balliui ciuitatis sine aliqua noua eleccione uel presentacione, ^cqui remanserunt usque ad sextum decimum diem Iulii sequentis.^c

996. Memorandum quod temporibus antiquis statutum fuit et prouisum de retibus quibus debentur piscari in Thamisia,^d quod in sinu talium recium debet mascula esse contexta ita larga^e quod ungula pollicis unius hominis per illam tota possit transire; et si aliqua mascula in aliqua rete fuerit inuenta aliter contexta, totum rete debet condempnari. Vnde contigit quod ante festum sancti Michaelis [29 September] hoc anno, et eciam post festum, fuerunt plura recia capta et adducta apud Gildhalliam, et ibidem per duodecim uiros iuratos de ciuitate qui nullam partem habuerent in predictis retibus, adiudicata esse contra predicta statuta. Super quod iudicium quidam ciues diuerse sencierunt: aliqui uero dixerunt quod illa pars solummodo, que fuit mala et iniusta debet concremari, et alie partes que fuerunt bone et legales debent saluari; et econtra dixit ciuitas communiter quod rete cuius pars est mala, totum est malum, et

^a *Marginal ins. scribe 1*, In festo sancti Michaelis.

^{b-b} *Add. scribe 3*.

^{c-c} *Add. scribe 1*.

^d *Marginal ins. scribe 1*, De retibus concrematis.

^e *Supplied over and erasure*.

quod nichil per illam partem que mala est posset piscando operari, nisi alie predictae partes fuissent ei adherentes, et ita debet totum tale rete concremari.

fo. 117

997. Sicut contigit quod si dextera hominis unius fecerit feloniam alia manus sua cum toto corpore solet puniri, similiter homo qui fecerit feloniam omnes ei adherentes et consencientes punirentur. Et eciam ad exemplum | quod alia uice talia recia omnino fuerunt concremata, consenserunt ciues communiter quod illa eodem modo fuissent dampnata: et sic factum fuit, quod tertia die post festum sancti Michaelis [1/2 October] omnia illa recia in medio Westchep fuerunt concremata numero circa uiginti, ita quod nichil de illis saluatum fuit.

998. Et memorandum quod tunc temporis plura de illis retibus capta fuerunt extra Thamisiā et extra libertatem ciuitatis, set hoc factum per potestatem constabularii turris Londoniarum qui fuit custos ciuitatis.

999. Memorandum quod hoc anno, post festum sancti Michaelis [29 September] et eciam per quinque septimanas ante dictum festum, dominus rex misit ciuibus Londoniarum breue suum mandans eis ut pro amore suo se prepararent ad faciendum ei seruicium de butelaria in festo sancti Edwardi proximo sequenti [13 October], quo die ipse proposuerat transferre corpus eiusdem sancti et ipse et regina sua coronam portare.^a ^αCiues uero licet tunc temporis tale seruicium de debito non tenebantur, tamen pro bona uoluntate sua habenda ad hoc assensum prebuerunt et preparauerunt se cum magno custu et expensis magnis nobiliter inuestitu de scarletto et serico et in aliis indumentis satis decentibus.^α ^βEt cum omnia parata fuissent et ciues prompti ad faciendum dictum seruicium, ecce in uigilia sancti Edwardi [12 October] fecit dominus rex proclamare in regia aula Westmonasterii, et eciam in foro Londoniarum, quod ipse

^a *Marginal ins. scribe 1*, De secunda translacione sancti Edwardi.

non fuit consultus quod tunc portaret coronam, nam satis deberet sibi sufficere semel coronam portare, et quod nullus neque Londonienses neque alii in crastino coram ipso de aliquo seruicio se intromitteret, nisi ipsi tantummodo qui sunt de propria familia sua, set quicumque ad prandium uenire uoluisset, gratis reciperetur: et sic omisum fuit illud nobile seruicium Londoniensium.^β Tamen in crastino ciues, qui preparati fuerunt, ad Westmonasterium profecti sunt nullam cupam uel ciphum deferentes, set ibi coram domino rege sanctum cum oblacionibus adorantes; γpost missam uero qui uoluerunt remanserunt ad prandium et alii ad propria redierunt.γ

fo. 117^v

1000. Eodem die fecit rex transferre corpus sancti predicti a loco ubi positum fuerat quando in primis translatum fuit tempore regis Henrici secundi, et scrinium in | quo iacet cum corpore in alio loco collocari ubi nunc iacet, et super sanctum nouam basilicam fieri totam auro purissimo et gemmis preciosis coopertam et ornatam.

1001. Non est sub silencio pretereundum cum archiepiscopus Eboracensis adhuc in elacione sua perseuerans fecisset ante se crucem suam portare in preiudicium ecclesie Cantuarie, et ipse illa die ibidem preesset ad diuina celebranda; quod nullus episcoporum qui presentes fuerant, omnes pontificalibus induti, qui uero uenerant per preceptum regis circiter tredecim episcopi de Anglia et de partibus transmarinis, uoluit sequi predictum archiepiscopum ad processionem quando corpus sancti circum portatum fuit, set omnes in ecclesia remanserunt. Similiter quando corpus collocatum fuit ubi nunc iacet, ipse solus turificauit omnibus aliis episcopis sedentibus super sedilia in stallis monachorum. Et tunc quidem quamdiu ipse fuit in partibus Londoniarum, fuit interdictum, et in omnibus locis et omni eodem modo sicut in hoc libro prenotatur.^a

^a c. 976.

1002. Memorandum quod secundum consuetudinem ciuitatis omnes mercatores extranei uenientes in Londonias solebant hospitari cum mercimoniis suis in hospiciis ciuium, et auerium eorum quod uenditur per centenarium, ut cera, alumen et huiusmodi ponderari per stateram domini regis. Alia uero aueria qui afforantur per libras, ut piper, gingibre, brasilium, grana et huiusmodi solebant ponderari per ulnas stateras pleicias hospitem uel per balkettum suum; ita quod emptor habuit ad quemlibet centinarium quatuor libras pro tractu ponderato per medium clauium sicut aurum et argentum.^a Postea Ytallici, Kaurcinii et mercatores de Prouincia – in primis uero perpauci uenientes in ciuitatem cum mercimoniis suis – eodem modo se gerebant, set processu temporis cum quamplures mercatores de predictis partibus, qui erant ualde diuites, adduxissent in ciuitatem maximam copiam mercimoniorum ut quantitas mercimoniorum illorum lateret ciuibus, noluerunt^b hospitari in hospiciis ciuium, set conduxerunt domos in ciuitate et in illis cum bonis suis manserunt per se. Et tunc quidem per stateras suas proprias | ponderando uendiderunt mercimonia sua contra consuetudinem ciuitatis, et etiam quedam que uendebantur per centenaria, que scilicet deberent ponderari per stateram regis, ipsi ponderauerunt per stateras suas in preiudicium domini regis et ad dampnum et iacturam pesagii sui; et sic faciebant per plures annos. «Postea cum dominus rex dedisset ciuibus unam nouam cartam super libertatibus eorum in quo continetur quod nullus mercator extraneus emat uel uendat aliquid auerium quod ponderari debeat uel tronizari nisi per stateram et tronium domini regis super forisfacturam tocus auerii,^α et hoc scilicet per totam ciuitatem proclamatum, illi mercatores nichilominus ponderauerunt sicut antea fecerunt. Quod cum datum fuisset intelligi domino regi et consilio suo, balliui sui per preceptum suum ceperunt omnes stateras et pondera dictorum mercatorum et ipsos per saluos plegios atachiauerunt.

fo. 118

^a *Marginal ins. scribe 1*, De stateris et ponderibus mercatorum extraneorum.

^b *After no ins. above line.*

Postea hoc anno, die Iouis ante festum apostolorum Simonis et Iude [24 October], fecit dominus rex uenire coram se et consilio suo dictos mercatores apud Westmonasterium, et quia ipsi conuicti sunt ponderasse per stateras eorum contra prohibitionem regis et post proclamacionem factam in ciuitate, et quia statere et pondera eorum quando examinata fuerunt in escambio regis fuerunt falsa inuenta,^a ipsi adiudicati fuerunt in misericordia et ad prisonem, qui statim numero circiter uiginti adducti sunt ad turrim et ibi imprisonati. In crastino autem statere illorum et pondera in Westchep fuerunt concremata et quod per ignem non potuit consumi, malleis ferreis fuit fractum et penitus conquassatum; et hoc factum fuit^b in ausencia custodis et balliuorum ciuitatis, set solummodo^c per Walterum Herui. Tunc fecerunt predicti mercatores finem uersus regem pro mille libris sterlingorum et quasi coacti quia in turpissimo carcere intrudi formidabant.

1003. Hoc anno missum est breue domini regis circa festum sancti Nicholai [6 December] custodi, balliuis et aldermannis ciuitatis in quo continebatur quod ipse precepit ut omnes illi, qui post ciuitatem ei redditam elongauerunt se a ciuitate metu amittendi uitam | uel membra et sunt reuersi, eiciantur a ciuitate, ne per illos sit iterum fusum uenenum in ciuitate. Vnde congregatis custode, balliuis et uniuersis aldermannis, predicti breui lecto et intellecto, custos protulit quemdam rotulum quem habuit in Warderoba domini regis in quo scripta sunt nomina multorum qui in perturbacione regni gratis adhererunt comiti comiti Leicestrie facientes depredaciones in ciuitate et extra; qui uero rotulus compositus fuit per inquisitionem quorundam ciuium de legalioribus ciuitatis et missus ad warderobam regis statim postquam fuit ei reddita. Quo rotulo lecto et intellecto ac examinato scrutati sunt tales et nomina ipsorum in

fo. 118^v

^a *Marginal ins. scribe 1, ut dicitur.*

^b *Ins. above line.*

^c *Supplied over an erasure.*

quodam rotulo scripta. "Postea, quarto die ante Nathale Domini, congregato innumerabili populo de ciuitate in camera Gildhallie diulgatum est illud negocium, et lectum est predictum breue domini regis, et lecta sunt nomina illorum qui amouendi sunt a ciuitate, ad quod uniuersus populus prebuit assensum.^a Post hoc, secunda die ante Nathale Domini, proclamatum est per totam ciuitatem ut illi quorum nomina lecta fuerunt coram populo, sicut predictum est,^a si sint in ciuitate se amoueant non reuersuri; et illi qui moram faciunt extra ciuitatem de cetero non redeant in ciuitate super penam uite et membrorum.^b Et tunc nomina predictorum diulgata fuerunt et specificata aperte per proclamatorem et distincte quorum nomina sunt ista:

1004. Thomas de Piwelesdona, Willelmus de Heywode, Ricardus de Coudres, Ricardus le Cofrer, Robertus de Dereby, Albinus de Dereby, Iuo le Lingedraper, Willelmus le Flauner, Gwydo seruiens eius, Willelmus May mercer, Ricardus le Bret, Willelmus de Basinges mercer, Robertus Baynard draper, Henricus de Hauuile, Philippus de Halstede, Coc le Afeyte, Iohannes frater eius, Conradus aurifaber, Eadmundus de Exeport, Iohannes Patrici aurifaber, Henricus frater eius, Alexander le Ferun, | Hubertus Aurifaber, Willelmus Makerel, Euerardus le Batur, Galfridus de Ruhinges, Rogerus Luueday, Haukinus le Plumer, Willelmus de Bixle stocfismongere, Iohannes de Oistregate, magister Gwido cissor, Henricus Saunnays, Iohannes de Cumbe, Henricus de Capelestona, Iohannes de Couentre abrokur, Ricardus Ayswy abrokur, Hudde le Bereman, Hobbe Lok, Iohannes de Flete barber, Willelmus Clericus decanus, Walterus de Mulsham, Ricardus Wombestrong, Petrus de Heywode peisiner, Eadmundus qui fuit cum Stephano Bukerel, Colinus Briante carnifex, Rogerus de Piwelesdona, Ricardus frater eius, Thomas de Clauill, Rogerus de Lydgate mercer, Radulfus de Dudingtona, Robertus

fo. 119

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 3, De foris baniatis extra ciuitatem.*

Stor, Iohannes qui fuit cum Iohanne Heirun, Gilbertus le Armerer, Willelmus Snacard, Adam de Ysemongere Lane, Henricus de Hudendene tauerner, Iohannes de Lanfare chaluner. Istorum nomina remanserunt in manus custodis et balliuorum.

1005. Hoc anno pillorium stans in foro confractum fuit propter negligenciam balliuorum et per longum tempus non fuit reparatum. Vnde nullum iudicium interim captum fuit de pistoribus, set ipsi pro uoluntate sua fecerunt panes suos, ita quod de singulis panibus eorum deficit tercia pars ponderis quod ponderare deberent, prout adiudicatum fuit in assayo facto in festo sancti Michaelis [29 September] precedenti. ^aEt hoc durauit per annum integrum et amplius.^a

1006. Eodem anno omnes liberi homines de regno Anglie tam de uillis quam de ciuitatibus et burgis et alibi dederunt domino regi uicesimam partem omnium bonorum suorum mobilium ad expensas suas faciendas in itinere uersus terram Ierosolomitana. ^bSet postea Dominus Edwardus pro se et patre suo illud iter arripuit.^b

1007. Hoc anno Lodewycus rex Francie filius Lodewyci regis filii Philippi profectus est uersus terram sanctam, scilicet quarto decimo die Marcii tunc temporis die Veneris.

fo. 119^v **1008.** Parum antea fecit Dominus Edwardus adduci unum de filiis suis | ad regem Francie sicut nuper conuencio facta fuit in scripto inter eos confecto. Rex uero sufficienter credens dicto Domino Edwardo sine obside remisit filium suum in Angliam.

1009. Memorandum quod circa Hokeday [28 April] fere omnes episcopi, comites, barones, milites et libere tenentes tocus regni Anglie per preceptum domini regis conuenerunt apud Londonias, et tunc durauit parlamentum apud Westmonasterium super pluribus articulis consuetudinum regni Anglie – et maxime super contencione

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

habita inter Dominum^a Edwardum et comitem Glouernie; qui uero Dominus Edwardus et comes posuerunt se omnino super dictum regis Alemannie ad predictam contenciam pacificandam;^b quod dictum predictus rex Alemannie pronunciauit sicut notatur in secundo folio.^c

1010. Memorandum quod postea, tercio decimo die Maii, accesserunt ad Crucem Sancti Pauli nouem episcopi pontificalibus induti, scilicet: Nicholaus Wintoniensis, Iohannes Herefordensis, Godefridus Wygorniensis, Rogerus Norewycensis, Laurencius Roffensis, Rogerus Cestrensis, Walterus Sarresberiensis, ^{***d} Batoniensis et ^{***e} Sancti Thasauenis de Wallia, qui fecerunt legi quamdam bullam Innocencii pape, que confirmauit cartas de libertatibus Anglie et de Foresta quas rex fecit baronibus Anglie anno regni sui nono; et fecerunt legi coram omni populo aperte et distincte sentenciam, que per tredecim episcopos pontificalibus indutos anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio in maiori aula Westmonasterii coram domino rege et multis magnatibus Anglie lata fuit in omnes transgressores predictarum cartarum.^f Quibus lectis et a populo intellectis ipsi nouem episcopi excommunicauerunt omnes qui post predictam sentenciam latam aliquid fecerunt uel impetrauerunt contra aliquem articulum in predictis cartis specificatum; excommunicauerunt eciam omnes qui in perturbacione habita in regno manus uiolentas in rectores aut clericos iniecerunt, et qui bona cuiuscumque fuerunt in sacris locis deposita ceperunt et asportauerunt, nisi infra quindenam post predictum diem ad emendacionem ueniant et secundum arbitrium

^a *Supplied in margin scribe 1.*

^b *Marginal ins. scribe 3, Dominus Edwardus et comes Glouernie posuerunt se in dictum regis Alemannie.*

^c *c. 1011.*

^d Willelmus

^e Anianus

^f *Marginal ins. scribe 1, Item iterum sententia lata in transgressores predictarum cartarum et libertatum ecclesiasticarum.*

fo. 120 locorum diocesaniorum satisfecerint: que sententia postea diuulgata fuit in singulis ecclesiis Londoniarum per presbiteros parochiales. |

1011. Die Martis ante Pentecosten, tunc uicesimo septimo die Maii, rex Alemannie pronunciauit dictum suum sub hac forma: quod si Dominus Edwardus mare transeat uersus terram sanctam mense Septembri, tunc comes Glouernie transibit predictum mare mense Marcio proximo sequenti; et si dictus comes pro domino rege, qui crucesignatus est, uoluerit illud iter arripere, tunc dominus rex dabit ei octo mille marcas argenti, medietatem ad festum Omnium Sanctorum [1 November] proximo sequentem et aliam medietatem mense Marcio sequente; set si pro se ipso uoluerit illud iter facere, tunc dominus rex dabit ei duo millia marcas; et pro securitate predictum dictum obseruandi dictus comes tradet in manus domini regis castrum de Tunbrigge et castrum de Henlege in marchiis Wallie, ita quod cum constiterit regi ipsum esse in terra sancta, tunc predicta castra faciet rex liberari cui comes uoluerit sine dilacione, set comes tunc restituet regi custum quod ipse posuerit in custodia dictorum castrorum dum fuerint in manus suas. ^aQuod non stetit.^a

1012. De nouis maiore et uicecomitibus Londoniarum.

Circa idem tempus, ^bscilicet Pentecosten^b [1 June], ad instanciam Domini Edwardi concessit dominus rex ciuibus ad habendum de se ipsis maiorem in forma qua illum habere solebant. Concessit eciam eis ad habendum de se ipsis duos uicecomites qui tenerent uicecomitatem ciuitatis et Midelsexie ad firmam sicut antea solebant; ita tamen cum temporibus transactis soluissent inde tantummodo per annum trecentas libras sterlingorum blancorum, quod de cetero soluent annuatim quadringentas libras sterlingorum computatorum. In illa uero septimana ciues eligerunt Iohannem

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 3.*

Addrianum draparium ut esset maior^{} ciuitatis, Philippum uero Cissorem et Walterum le Poder ut essent uicecomites ciuitatis. Et quia Dominus Edwardus postea non fuit in partibus Londoniarum, ipsi non fuerunt incontinenti presentati domino regi usque ad aduentum suum, et tunc domino Hugone filio Ottonis non amplius existente custode ciuitatis presentatus est predictus Iohannes domino regi et admissus, scilicet sexto decimo die Iulii proximo sequentis, tunc temporis die Mercurii. In die autem Veneris sequenti fuit hic iuratus coram rege et eodem die predicti Philippus et Walterus fuerunt presentati uicecomites ad scacarium et admissi. ^aEt tunc tradite sunt ciuibus omnes antique carte eorum de libertatibus suis que fuerunt in manus domini regis, et concessum est eis per dominum regem et per Dominum Edwardum ut eis plenarie utantur excepto quod pro firma ciuitatis et comitatus soluent per annum quadringentas libras sicut prescriptum est.^a

fo. 120^v **1013.** Tunc temporis dederunt ciues domino regi | centum marcas sterlingorum unde emptum fuit aurum ad basilicam sancti Edwardi reparandam; dederunt eciam Domino Edwardo quingentas marcas ad expensas suas in itinere uersus terram sanctam.

1014. ^bHoc anno, circa festum sancte Margarete [20 July], obiit Bonifacius Cantuarensis archiepiscopus in patria natiuitatis sui.

1015. Memorandum quod in parlamento quod fuit apud Wintoniam hoc anno mense Iulii per assensum episcoporum et magnatum regni Anglie ibidem existencium commisit rex crucem suam quam portauerat Domino Edwardo filio suo ut proficeret pro se et pro patre in terram sanctam. Et tunc concessit rex ei omnes denarios prouenientes de uicesimo denario collecto per totam Angleam de omnibus liberis hominibus eiusdem regni, unde mencio superius facta est in hoc libro. Et tunc ipse Dominus Edwardus

^{a-a} *Add. scribe 1.*

^b *Scribe 12.*

profectus est ad Portesmue ut transfretaret ibi uolens transire per Vasconiam et Hispaniam locuturus cum rege Hispanie fratre uxoris sue; set deficiente uento oportuno fere per quindecim dies recessit inde usque Doueriam, et ibi posuit se cum uxore sua et omni comitiua sua ^ain mare uicesimo die Augusti;^a et quam cito ultra mare applicuit omisso predicto itinere de Vasconia et Hispania cum festinatione recto itinere profectus est uersus partes illas ubi regem Francie posset inuenire.

1016. ^bMemorandum quod hoc anno circa Pascha proximo preteritum [13 April] prouisum fuit per commune consilium domini regis quod panni uenientes in Angliam a partibus transmarinis contineant in longitudine ad minus uiginti sex ulnas et in latitudine ulnam et dimidiam, sub forisfactura tocius panni; et tunc preceptum fuit mercatoribus ne post nundinas sancti Botulfi sequentis aliquod pannum adducerent in Angliam super predictam forisfacturam nisi essent de predicta longitudine et latitudine, exceptis burellis Normannie.

1017. ^cIn fine anni regni regis quinquagesimo quarto,^c ad festum sancti Michaelis [29 September] anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo facti sunt uicecomites Gregorius de Rokesle, Henricus Wallensis.

1018. Isti uicecomites statim post festum sancti Michaelis [29 September] fecerunt unum nouum pillorium et erexerunt illud in loco ubi uetus pillorium antea steterat, de quo mencio facta est in secundo folio precedenti.^d |

fo. 121

1019. Postea, post festum Translacionis sancti Edwardi [13 October], uenerunt rumores apud Londonias quod rex Francie cruce signatus proficissens uersus terram sanctam

^{a-a} *Ins. above line.*

^b *Scribe 1.*

^{c-c} *Add. scribe 3.*

^d *c. 1005.*

mortuus fuit in quadam insula in mari Mediterraneo sita et Saracenis inhabitata,^a et quidam filius suus et multi magnates et mediocres qui secuti sunt eum de exercitu Christiano, qui relinquens in mari rectum iter uersus Acon uellificauerunt ad predictam insulam capiendam et ipsam intrauerunt, que insula ualde est opulenta, ut dicitur, et uocatur Tuniz. Statim uero post mortem predicti regis filius suus Philippus nomine electus est in regem Francorum. Dominus autem Edwardus, qui antea obligatus fuerat predicto regi defuncto dum uiueret, licet in aliquo non obligatus sit predicto filio suo, ^atamen ad petitionem suam in manu ualida et armata cum multis militibus et seruiantibus ad ueniendum ad eum posuit se in mare die Iouis post festum sancti Michaelis preteritum [2 October],^a qui ^bdie Dominica ante festum sancti Martini [9 November] applicuit ad Tunes; et ante aduentum suum rex Francie et Karolus patruus suus fecerant pacem cum rege de Tunes; et tunc ad petitionem predictorum regis Francie et Karoli per bonam securitatem factam Domino Edwardo ipse iuit cum eis ad Ceciliam et applicuit ad Trapes, saluis nauibus et omni comitiua sua^{b,c}

1020. Memorandum quod circa festum sancti Egidii [1 September] proximo preteritum comitissa Flandrie cepit omnia catalla inuenta in Flandria mercatorum Anglie, Wallie, Ybernie et eciam Vasconie occasione cuiusdam redditus annui quem ipsa exigebat a domino rege Anglie,^d qui uero redditus a retro fuit per plures annos ut ipsa dicebat. Et predicta catalla statim uendit et denarios inde captos cepit ad opus suum omnibus predictis mercatoribus a terra sua eiectis. Vnde Dominus Edwardus, qui adhuc fuit in partibus Francie proficissens uersus terram sanctam, quam cito audiuit rumores de tali iniuria et crudelitate per comitissam hominibus patris sui et suis facta, scripsit domino regi patri suo et regine et domino regi Alemannie et omni consilio regis et regni ut

^a *Marginal ins. scribe 3*, De obitu regis Francie in insula de Tunis.

^{b-b} *Add. scribe 1*.

^c *Marginal ins. scribe 1*, Require in secundo folio sequenti de eodem.

^d *Marginal ins. scribe 3*, Quod comitissa [*supplied scribe 1 over erasure*] Flandres cepit bona Anglicorum.

quibuscumque modis possent, grauassent dictam comitissam et suos, ita quod omnia predicta bona a predictis mercatoribus capta eis fuissent plenarie restituta et quousque domino regi de iniuriis sibi et suis illatis plenarie fuisset satisfactum.

fo. 121^v **1021.** Tunc habito consilio per preceptum domini regis omnia catalla mercatorum Flandrie fuerunt capta et arestata, que uero pauca fuerunt, quia ipsi antea per comitissam premuniti | fere omnia bona sua eiecerunt a regno. Et eodem tempore prohibitum fuit per breue domini regis missum ad Londonias et ad omnes portus maris ne aliquis siue indigena siue alienigena aliquam lanam duceret extra regnum ad partes transmarinas; et ita factum est usque ad parlamentum quod fuit apud Westmonasterium post festum Translacionis sancti Edwardi [13 October], in quo parlamento prouisum fuit et ordinatum quod omnes mercatores exceptis Flandrensibus possint adducere lanam extra regnum ubicumque uoluerint preter in Flandriam.^a Et tunc per preceptum regis omnes mercatores qui fuerunt in Londoniis comparuerunt apud Westmonasterium coram consilio suo, et omnes ibi iurauerunt quod nullam lanam ducerent in Flandriam nec ullam societatem haberent cum Flandrensibus nec ullam lanam eis uenderent; et si quis contra hoc uenire presumpserit omnia catalla sua in Anglia ueniencia domino regi incurranter et ipse imprisonaretur. Si autem talis se absentauerit non ueniens in Angliam, tunc compatriota suus qui in Angliam uenerit dictam penam pro eo portabit.

1022. ^bEt sciendum quod catalla que predicta comitissa ceperat apreciata fuerunt plusquam ad quadraginta mille marcas sterlingorum.^b

1023. Hoc anno iterum electus est Iohannes Addrien maior in festo Simonis et Iude [28 October], et domino rege non existente apud Westmonasterium presentatus fuit

^a *Marginal ins. scribe 1*, In quo parlamento ordinatum fuit de lanis.

^{b-b} *Add. scribe 1*.

baronibus de scacario et admissus. ^aEt iterum post aduentum regis eidem domino regi presentatus et admissus, uidelicet die Iouis proximo post Epiphaniam Domini [8 January], prout debent per cartam de maioratu.^a

1024. Tunc missum est breue domini regis ciuibus Londoniarum sub forma subscripta:

1025. Henricus Dei gracia et cetera maiori et uicecomitibus et toti communitati ciuitatis sue Londoniarum salutem. Cum uos, maior et quidam de conciuibus uestris predictis nuper in presencia nostra constituti tale sacramentum prestaueritis, uidelicet quod nostre fidei nostro perpetuo constanter adherebitis, et si uiuente Edwardo primogenito nostro de nobis humaniter contigerit ipsi Edwardo, et si uiuente Iohanne filio suo nos et ipse Edwardus in fata decesserimus, ipsi Iohanni pre cunctis mortalibus eandem fidem portabitis et obseruabitis, et post eius decessum rectis heredibus corone Anglie; et nos quibusdam de causis uolumus quod quilibet uestrum hoc idem sacramentum coram dilecto et fideli nostro magistro Iohanne de Chishull' thesaurario nostro per consilium suum | faciat et pro parte sua conseruet, uobis mandamus quod uos omnes et singuli ad aliquem certum diem in hustingo uestro uel ad Crucem in cimiterio Sancti Pauli illud idem sacramentum prestetis in forma predicta. Et quia uolumus quod ciuitas predicta ad nostram et uestram securitatem et pacem taliter custodiatur, ne aliquis de quo suspicio haberi possit eam ingrediatur per quod nobis et uobis dampnum aut periculum posset euenire, uobis mandamus in fide, homagio et dileccione quibus nobis tenemini firmiter iniungentes quatinus portas ciuitatis uestre cum hominibus sufficienter armatis de diebus custodiri et noctibus firmiter et secure claudi faciatis; et quod arma nec equos precii centum solidorum uel ultra extra eandem ciuitatem uendatis, nec ea aliis quam amicis nostris notoriis extra ipsam ciuitatem duci, uel aliquod collegium hominum de qua sinistra suspicio haberi posset aut eciam equos de precio cum armis ipsam ciuitatem

fo. 122

^{a-a} *Add. scribe 1.*

ingredi permittatis, super forisfacturam omnium bonorum uestrorum et eciam libertatum ciuitatis uestre predicte. Teste me ipso apud Wyndesoram uicesimo nono die Octobris, anno regni nostri quinquagesimo quinto.

1026. Hoc breue executum fuit quantum de fidelitate regi facienda nono die Nouembris. ^aPostea ad petitionem ciuium^a dominus rex qui essent recepturi in ciuitate certificauit eos per breue suum,^a quod breue uerte folium inuenies scriptum.^b

1027. Memorandum quod mense Iulii preterito transmiserunt ciues Londoniarum quoddam scriptum obligatorium sigillo communitatis sigillatum domino regi existenti in parlamento apud Wyntoniam, in quo continetur quod Iohannes Addrien maior Londoniarum, ^abarones, ciues et uniuersalis communa^a eiusdem ciuitatis obligati sunt quod ipsi et heredes eorum et qui post ipsos uenturi sunt semper et omni tempore erunt fideles domino regi et heredibus suis contra omnes gentes.^c Et si ipsi uel heredes eorum uel qui post ipsos uenturi sunt a fide dicti regis uel heredum suorum communiter recesserint arma contra ipsum portantes, tunc per predictum scriptum^d concedunt ut ipsi amittant uitam et membra sine omni misericordia, et exheredentur et heredes eorum imperpetuum, et excommunicentur, et pluribus aliis modis in illo scripto sunt obligati. Set tamen si aliqua seperalis persona uel seperales persone eiusdem ciuitatis contra fidem regis uel heredum suorum aliquid fecerint, ipsi soli puniantur et habeant iudicium per legem terre sine dampno aliorum ciuium. |

fo. 122^v

1028. Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Aquitannie dilectis et fidelibus suis maiori et uicecomitibus Londoniarum et ciuibus suis eiusdem ciuitatis salutem. Sciatis quod ad securitatem nostram et uestram ac ciuitatis predicte

^a *Ins. above line.*

^b *c. 1028.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De obligatione ciuium.*

^d *Supplied in margin scribe 3.*

prouidimus de consilio nostro quod eadem ciuitas et porte eiusdem fideliter et bene custodiantur de die et nocte, uidelicet quod nocte porte predictae claudantur et de die per homines armatos uiriliter et discrete custodiantur, in forma uobis inde pridie demandata; et etiam quod nulli equites uel pedites seu alii de quibus suspicio aliqua haberi possit, uel etiam suspicari quod sinistrum aliquod uel malum de nobis perperam suggerere uelint dicendo, predicando, conuenticulas seu congregaciones aliquas faciendo, de cetero ciuitatem predictam nullatenus receptetur seu eam ingrediatur; et insuper quod nullus magnas comes uel baron quicumque fuerit infra ciuitatem predictam nullatenus receptetur seu eam ingrediatur absque mandato nostro speciali; et insuper quod nullus equus, qui precium centum solidorum excedit, retineatur ab aliquo infra eandem ciuitatem; et etiam quod omnes armature cuiuscumque fuerit maioris uel minoris per uos uideantur, et illis in quorum manibus armature ille consistunt tradantur huiusmodi armature per bonam securitatem, ita quod ipsi eas extra manum suam non ponant, immo eis saluo custodiant ad opus nostrum iuxta ratconabile precium eorumdem per uos assidendum cum armaturis illis indiguerimus, et quod per uos caucius scrutetur ubi et in quorum manibus armature ille poterunt inueniri. Prouidimus insuper quod omnes banniti a ciuitate predicta predicta etiam si fuerint in burgo de Suwerk uel infra libertatem Westmonasterii, uel etiam in suburbio eiusdem ciuitatis seu alibi in comitatu Middelsexie, de quibus sinistra suspicio haberetur uel haberi poterit, capiantur seu arestantur et saluo custodiantur donec aliud inde perceperimus. Et ideo uobis mandamus quod premissa omnia tam uiriliter, fideliter et diligenter ad securitatem et honorem nostram et uestram exequamini quod probitatem, diligenciam et industriam uestram ex inde perpetuis temporibus commendare debeamus. Teste me ipso apud Windesoram primo die Nouembris, anno regni nostri quinquagesimo quinto.

1029. Hoc anno,^a tertia die^b post festum Conuersionis sancti Pauli [28 January], circa horam primam, subito et inopinate quedam magna pars turris ecclesie Sancte Marie de Arcubus Londoniarum cecidit uersus forum et oppressit plusquam uiginti homines ^cet feminas.^c |

fo. 123

1030. De agno monstruoso.

Anno eodem, scilicet in exitu anni millesimi ducentissimi septuagesimi, mense Marcii contigit in pago de Grenewyz iuxta Londonias quod quedam ouis peperit quoddam animal monstruosum habens duo corpora agnina et unum solum capud, cui capiti illa corpora per colla adhererunt; quodlibet uero corpus habuit quatuor pedes et unam caudam. Capud uero fuit agninum habens duas auriculas, ^det nescitur si illud prodigium alicuius infortunium significaret. Set notorium est quod dominus illius tenementi ubi predicta ouis peperit sanus et incolumis et sufficienter sobrius et ^ein potu et cibo modestus^e eodem anno subito et inopinate cecidit in paralisis amittens usum loquendi et officium manus sue dextre.^d

1031. Tales rumores uenerunt die Dominica ante Annunciacionem Dominicam [22 March] ^emissis literatorie per quemdam qui fuit de exercitu Christiano,^e scilicet quod cum dictus Dominus Edwardus uenisset ad Trapes, sicut in secundo folio precedenti scriptum est,^e et exercitus Christianorum uenisset fibi, quod^f in parlamento habito inter ipsos ordinatum est et iuratum quod isto itinerario deficiente prolongatum est passagium^g usque ad festum Natiuitatis sancti Iohannis baptiste [24 June] in tres annos. Rex uero Francie, rex Cecilie, et Dominus Edwardus, et comes de Peiters et alii magnates

^a *Marginal ins. scribe 1*, De ruina turris ecclesie sancte Marie de Arcubus.

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Add. scribe 2.*

^{d-d} *Add. Scribe 2.*

^e *c. 1019.*

^{f-f} *Ibi ins. above line; quod supplied in the margin.*

^g *Ins. above line.*

de exercitu Christiano hoc iurauerunt; set Dominus Edwardus iurauit per condicionem, uidelicet si ipse poterit monstrare regi Francie rationabilem causam ob quam non poterit ad illud^a sequens itinerarium uenire.^b

1032. Et sciendum est quando totus exercitus fuit coadunatus, non fuit uisum eis quod possent pugnasse contra Soldanum; rex Francie uadit in Franciam ad suscipiendam coronam suam; rex uero Cecilie ad Constantinopolim super Grecos et quilibet magnates in patriam suam. ^aEt tunc Dominus Edwardus remansit apud Palernam usque ad mensem Maii et tunc transfretabit usque ad Acon.^a Set ipse super hoc posuit quatuor condiciones: prima condicio si papa fuerit creatus qui prohibuerit passagium usque ad magnum passagium; alia uero condicio si infirmitate detentus fuerit; tertia si pater suus obierit; quarta si gwerra fuerit in Anglia. Et sciendum est quod talis est pax | facta inter regem Cecilie et regem de Tunis: quod rex de Tunis tenebit regnum suum de rege Cecilie reddendo inde ei quantum solebat reddere imperatori Fretherico et Manfredo filio suo, et arreragia que a retro fuerunt post mortem dicti Manfredi, scilicet per quinque annos duplicabit; insuper regi Francie et regi Cecilie dedit maximam summam pecunie; omnes uero prisiones suos de Christianis quos rex de Tunis ceperat deliberati sunt; et concessit quod Christiani diuina celebrare et predicare de fide catholica possint per omnes bonas uillas suas sine impedimento Saracenorum; et quod Christiani possint ire et uenire in terra sua sicut antea solebant; set et quod nullum inimicum regis Cecilie receptabit. Item sciendum est quod ante pacem factam inter predictos reges existente exercitu Christianorum in predicta insula,^c quod Coradini fixerunt tentoria sua extra uillam suam per duas leucas uersus exercitum Christianorum, et inter predictos duos exercitus ^βerant adeo pulcre et late planicies prout sunt uersus Salesberiam,^β et omni

fo. 123^v

^a *Ins. above line.*

^b *Supplied in the margin.*

^c *Ins. above line.*

die uenerunt ita prope exercitum Christianorum quod potuerunt trahere ad ipsos cum arcibus suis. Contigit autem quod quidam Christiani una die in manu ualida et armata militauerunt super Saracenos, ita quod ipsos fugauerunt ipsos per medium tentoria sua et ex illis occiderunt plus quam ducenti et lucrauerunt quamplures papiliones. In quo conflictu rex Francie perdidit marescallum exercitus sui, et fratres de Baukarie perdiderunt centum de minuto populo. Et sciendum quod rex de Tunis nuncquam exiuit a uilla sua quando nuncii regum Christianorum perrexerunt ^aad eum^a pro pace facienda, scilicet comes de Peinthein, et cancellarius Cecilie et alii magnates de exercitu Christiano; ipse rex de Tunis contra ipsos a cathedra sua noluit surgere set princeps de Arabia et Rex de Bugie exierunt a uilla et habuerunt colloquium cum nunciis Christianis quousque pax fuit firmata, sicut predictum est. Et sciendum est quod in toto exercitu Christiano non fuerunt plusquam mille et octingenti milites, de quibus mortui sunt quadringenti milites, de quibus duo fuerunt reges^b uidelicet rex Francie et rex Nauarie, et quinque comites, scilicet comes de Eneuers, comes de Eu, comes de la Marche, comes de Mendome et comes de Acele, et sexaginta septem uexilla portantes sine minuto populo. |

fo. 124

1033. Per prescripta manifestum est quod ille Karolus tunc rex Cecilie,^c qui non longo tempore transacto illam terram occupauit capiens uerum heredem illius regni, scilicet Conradinum filium Conradi filii Frtherici imperatoris, quem cum quindecim nobilibus de regno Alemannie in uinculis crudeliter interfecit, totum exercitum Christianorum qui preparati fuerunt transfretandi in terram sanctam grauiter fecit errare; et adduxit eos secum in predictam insulam dans eis intelligere quod ipse uellet Saracenos in eadem insula habitantes penitus destruere, quod tamen non fecit; set solummodo duxit secum

^{a-a} *Ins. above line.*

^b *Supplied in the margin.*

^c *Marginal ins. scribe 3, Quod Karolus fecit errare cruce signatos.*

predictos Christianos occasione illam insulam subiciendi dominacioni sue, sicut patet in premissis. Et ita defecit passagium cruce signatorum uersus terram sanctam ad inrecuperabile dampnum tocius Christianitatis et eciam maximum dampnum illius terre sancte.

1034. Memorandum quod infra hunc annum uenerunt rumores Londonias, circa festum sancti Georgii [23 April], quod in crastino festi sancti Gregorii [13 March] proximo precedenti Simon et Gwydo filii Simonis de Monte Forti quondam comitis Leicestrie interfecerant Hendricum filium domini Ricardi regis Alemannie, dum fuerat in conductu Philippi filii regis Lodewyci regis Francie, subito et inopinate dum predictus Henricus fuit in ecclesia diuina audiendi in ciuitate Vyterby prope ciuitatem Romanam.

1035. Littere misse domino regi Alemannie post interfeccionem filii sui:

1036. Philippus Dei gracia Francorum rex egregio principi karissimo consangwineo suo et amico Ricardo eadem gracia Romanorum et Alemannie regi illustri et comiti Cornubiensi salutem et sincere dileccionis affectum. Ad uestre serenitatis noticiam iocundiores libenter dirigeremus rumores, si nobis eos diuina miseracio indulisset, set nunc noua quedam molesta et triscia uobis compellimur nunciare, que nos in crastino beati Gregorii existentes Viterbii et in ecclesia fratrum minorum | Viterbiencium missarum solempnia audientes ex relatibus quorundam fide dignorum didicimus, uidelicet quod Gwydo et Simon de Monte Forti milites in karissimum consangwineum nostrum dominum Henricum primogenitum uestrum, dum dictis die et hora in quadam alia capella Viterbii ante suum hospicium esset causa audiendi missam seu orandi, manu irruerunt armata et ibidem eum instigante diabolo occiderunt; quod uobis referimus non absque uehementi cordis nostri amaritudine ac dolore. Et quantum inde dolentes simus et fuerimus ac turbati, fauente Domino, proponimus ostendere per effectum.

fo. 124^v

Verum cum dilectus miles noster Florencius de Warenn' nostri nauigii amirallus quendam liberum suum cum liberis karissimi consangwinei nostri Domini Edwardi primogeniti illustris regis Anglie habeat, ut intelleximus commorantem, idemque Florencius pro parte Domini Edwardi semper, ut intelleximus fuerit, contra Gwydonem et Simonem antedictos ne eidem libero dicti militis nostri aliquod possit incommodum euenire, magnificenciam uestram qua possumus affeccione, rogamus quatinus ad nos saluo et secure dicti amiralli et militis nostri liberum remittatis. Datum Viterbii in crastino festi predicti.

1037. Tenor litterarum quas rex Alemannie misit fratribus minoribus Londoniarum pro filio suo:

1038. Ricardus Dei gracia Romanorum rex semper Augustus gardiano Fratrum Minorum Londoniarum et eiusdem loci conuentui dilectis deuotis suis salutem et sincere dileccionis affectum. Noua detestabilia et merore plena deuocioni uestre cogimur nunciare, uidelicet quod Simon et Gwydo illius nequissimi proditoris quondam Simonis de Monte Forti filii, Sathane satellites, in crastino sancti Gregorii [13 March] apud Vyterbium in dilectum primogenitum nostrum Henricum in quadam capella solempnia missarum audientem et oracionibus uacantem nichilque mali cogitantem manu irruerunt armata et ipsum crudeliter interfecerunt; quod uobis non sine magna cordis amaritudine dolentes referimus rogantes quatinus exequias eiusdem deuote celebrantes apud Deum pro eo suppliciter intercedere uelitis, ut uobis pro inde ad condignas ualeamus assurgere graciaram acciones. Datum apud Istleworthe uicesimo quarto die |
fo. 125 Aprilis, anno regni nostri quarto decimo.

1039. In crastino Ascensionis Domini, scilicet tunc temporis quinto decimo die Maii, uenerunt ossa domini Henrici de Alemannia Londonias et inde adducta ad Heiles ad

sePELLIENDUM in abbathia de Heiles alborum monachorum, quam pater suus fundauit et est prope Gloucestriam.

1040. Transcriptum litterarum quas dominus rex misit maiori et uicecomitibus Londoniarum ut fecissent proclamare per totam ciuitatem sicut subnotatur:

1041. Henricus Dei gracia rex Anglie et cetera maiori et uicecomitibus Londoniarum salutem. Cum comitissa Flandrie lanas, bona et diuersa mercimonia mercatorum regni nostri infra terram et potestatem suam inuenta non solum arestari, set quod deterius est in predictorum mercatorum dapnum inrecuperabile et nostri uituperium uendi fecerit, ad innumerabilem pecunie summam denarios inde prouenientes in proprios usus conuertendo, propter quod nos qui grauamini dicte comitisse pridie studuimus prouidere, mandauimus per totum regnum nostrum quod omnia Flandrensium ubicumque locorum in regno nostro inuenta fuissent arestarentur et saluo custodirentur donec aliud inde precepissimus. Et nos postea, ad clamorem tam mercatorum regni nostri quam Francie, Normannie et aliorum regnorum qui pleggios et aliam securitatem per corporale sacramentum nobis inuenerunt quod ipsi lanas aliquas non ducerent ad partes Flandrie uel Hayonie, uel illas Flandrensibus aut aliis quibuscumque lanas huiusmodi mercatoribus predictae comitisse uendere uolentibus uenderent, uel per artem aut ingenium dimitterent, ipsis mercatoribus sub eadem forma dederimus licenciam ducendi lanas extra regnum nostrum ad partes transmarinas ad faciendum commodum suum. Ac nos iam pro certo intelleximus quod lane predictae extra regnum nostrum de licencia nostra ducte dictis Flandrensibus prope partes sua per predictos mercatores contra securitatem predictam uenduntur ad libitum, quod diucius sustinere nolumus ullo modo; nos de consilio nostro statuimus quod omnes lane regni nostri uendicioni exponende de cetero morentur infra regnum nostrum, nec ad quascumque

fo. 125^v partes transmarinas aliqua ratione ducantur citra festum sancti Iohannis baptiste [24 June] proximo futurum. Et ideo uobis mandamus | quod lanas aliquas extra regnum nostrum citra terminum predictum uersus quamcumque terram minime ducatis uel per partes uestras duci permittatis, set si quas per partes ducendas inueneritis extra regnum nostrum eas arestatis et saluo custodiatis ad mandatum nostrum nisi predicta comitissa per procuracionem suam et interuentum nunciorum suorum, quibus diem prefiximus coram nobis in instantibus octabis sancte Trinitatis [7 June] ad tractandum nobiscum super negocio illo nostre, se coaptauerit uoluntati; et uos aliud a nobis inde receperitis in mandatis. Et hoc sicut uos et omnia que haberetis in regno nostro diligitis et perpetuam indignacionem nostram uitare uolueritis nullatenus omittatis. Et scire faciatis omnibus de balliua uestra lanas uendendas habentibus quod de uendicione lanarum suarum non desperent, quia mercatores regni nostri parati sunt nobis securitatem inuenire quod nisi predicta comitissa de commissis medio tempore nostre satisfecerit uoluntati, ita quod Flandrensibus lanas emendi et ducendi sicut solebant demus potestatem, ipsi mercatores omnes lanas quorumcumque ement et pecuniam inde soluent ad rectum et uerum ualorem earundem; et ex causa illa uobis significabimus qualiter inter nos et nuncios predictos tractatum erit in octabis antedictis. Proclamari eciam faciatis quod omnes operadores et operatrices pannorum laneorum tam Flandrie quam terrarum aliarum secure ueniant in regnum nostrum ad pannos faciendos ibidem, ita quod illi qui uenerint et pannos operati fuerint sint quieti de theolonio et tallagio et aliis consuetudinibus dandis pro opere suo usque ad quinquennium proximo sequens completum. Teste me ipso apud Westmonasterium octauo decimo die Maii, anno regni nostri quinquagesimo quinto.

1042. Predictum mandatum domini regis fuit proclamatum per totam ciuitatem uicesimo primo die Maii.

1043. ^aHoc anno apud Reys, in festo Decollacionis sancti Iohannis baptiste [29 August], fuit^a inunctus in regem Francorum predictus Philippus filius predicti Lodewyci, qui obiit in Insula de Tunis sicut predictum est.

fo. 126

1044. Postea nuncii predictae comitisse uenerunt Londonias ad diem eis prefixum, scilicet in octabis sancte Trinitatis [7 June], qui sperantes muneribus et promissis consilium domini regis corumpere pecierunt ab eo ut illud negocium positum fuisset in respectum usque ad festum sancti Michaelis [29 September], et ut interim mercatores Anglie possent negociare in Flandria et Flandrenses in regno Anglie sicut solebant; que uero peticio ualde fuit stulta et omni rationi contraria quia interim possent ipsi omnia bona et catalla sua a regno Anglie eicere, et tantas lanas emere et ad partes suas adducere que sufficerent eis ad omnia agenda sua usque duos annos uel tres, mercatoribus Anglie qui per comitissam Flandrie dampna recipereⁿt interim omnino bonis et catallis suis carentibus quod eis penitus fuit denegatum. Set illis per tres septimanas moram facientibus apud Londonias dictum est per regem et consilium suum in festo Commemoracionis sancti Pauli [30 June] precise ut exeant a regno Anglie et cetera, sicut patet in literis subscriptis:

1045. Henricus Dei gracia rex Anglie et cetera maiori et uicecomitibus Londoniarum salutem. Cum comitissa Flandrie contra proprie debitum honestatis lanas et alia mercimonia ac bona tam nostrorum quam aliorum magnatum regni nostri mercatorum nuper infra terram et potestatem ipsius comitisse non solum arrestari, set quod deterius est in nostri et magnatum predictorum uituperium et contemptum uendi fecerit, totam pecunie summam inde prouenientem in proprios usus conuertendo; et ipsa comitissa per solempnes nuncios suos ad nos pluries transmissos de tractando nobiscum et cum consilio nostro de transgressione illa, nullas competentes emendas inde nobis optulerit;

^{a-a} *Supplied over an erasure.*

propter quod nos per uiam districcionis super ipsam et suos in regno nostro faciende donec de eadem transgressione nobis ad plenum fuerit satisfactum procedere prouocamur. ^aHabito super hoc cum consilio nostro diligenti tractatu prouidimus et statuimus quod omnia bona Flandrensium, Hanonensium et aliorum quorumcunque de potestate predicte comitisse existencium in regnum et potestatem nostram ueniencia et ibidem nunc existencia, simul cum arris et debitis ipsorum Flandrensium et Hanonensium in quorumcunque manibus siue religiosorum siue laicorum inueniantur, *fo. 126^v* arrestentur et saluo custodiantur; et postmodum in | presencia dilectorum et fidelium nostrorum Nicholai Adele de la Pole, Alexandri le Riche de Andouere, Rogeri de Dunstaple de Wintonia et Iohannis de Gernemuta clerici nostri, quos ad apreciacionem de bonis eisdem et inquisitionem de arris et debitis illis faciendam deputauimus, per sacramentum proborum et legalium hominum apprecientur ad uerum et rectum ualorem eorundem; et quod uniuersi et singuli Flandrenses et Hanonenses et alii de potestate predicte comitisse siue mercatores siue alii, exceptis tamen operariis qui de licencia nostra pannos operaturi uenient in regnum nostrum, et hiis similiter exceptis qui uxorati sunt in regno nostro et terras et certa domicilia habent et pro maiori parte morantur in eodem, quos indigenas reputamus, sub periculo uite et membrorum et amissione omnium bonorum suorum citra diem Martis proximam post festum apostolorum Petri et Pauli [7 July] proximo futurum exeant regnum nostrum; et quod omnes lane regni nostri morentur in eodem donec aliud inde prouiderimus. Et ideo uobis mandamus quod per totam balliuam uestram proclamari faciatis et omnes et singuli Flandrenses, et Hanonenses et alii de potestate dicte comitisse, exceptis predictis operariis et aliis uxoratis aut in regno nostro manentibus ut predictum est, sub periculo uite et membrorum citra terminum predictum exeant regnum nostrum uacuis manibus

^a *Marginal ins. * see c. 1050.*

saluis sibi necessariis expensis ad transfretandum. Et nullus ipsos uel aliquem ipsorum ultra dictum terminum sub simili pena hospitetur uel receptet. Et si quos de predictis Flandrensibus infra balliuam uestram post terminum predictum inueneritis, ipsos simulque eorumdem receptores capiat et in prisiona nostra saluo custodiatis donec aliud inde mandauerimus. Proclamari eciam faciatis quod omnes et singuli mercatores regni nostri quorum mercimonia et bona per predictam comitissam arrestantur uel uenduntur, ut predictum est, ueniant coram nobis et consilio nostro in presencia prefatorum appreciatorum et inquisitorum nostrorum, in octabis instantis festi sancti Edwardi [20 October], parati ostendere per sacramentum suum et mercatorum suorum que et cuiusdam bona sua per predictam comitissam uendita sunt uel arrestata, et quantus extitit et rectus ualor eorumdem, et ad recipiendam recompensationem que sibi fieri poterit de bonis suis uenditis uel arrestatis; ita scilicet quod si de falsa suggestionem uel exactione super hoc postmodum conuicti fuerint, amissione omnium bonorum suorum incurrant. Et quod uniuersi et singuli | religiosi uel qui a predictis Flandrensibus, Hanonensibus aut aliis de potestate dicte comitisse arras pro lanis et aliis bonis habendis receperint, et qui ipsis in aliquibus debitis tenentur, tunc sint ibi ad liberanda nobis ibidem arras et debita illa. Et nichilominus uos ipsos quorum nomina dicti inquisitores nostri uobis scire facient ad hoc per terras et catalla sua in balliua uestra distringatis et ad dictas apreciaciones et inquisiciones faciendas uenire faciatis coram predictis appreciatoribus et inquisitoribus nostris ad certos diem et locum, quos iidem inquisitores uobis scire facient infra balliuam uestram tot et tales probos et legales homines de balliua uestra per quos bona predicta appreciari et de omnibus aliis predictis rei ueritas melius sciri poterit et inquiri. Et ipsis inquisitoribus uiriliter ad hoc insistatis prout ipsi uobis scire facient ex parte nostra. Et taliter uos habeatis in hoc mandato nostro exequendo quod uestram fidelitate<m> ex inde debeamus

fo. 127

commendare. Teste me ipso apud Westmonasterium uicesimo octauo die Iunii, anno regni nostri quinquagesimo quinto.

1046. Predictum mandatum proclamatum fuit per ciuitatem Londoniarum in crastino
fo. 127^v Commemoracionis sancti Pauli [1 July]. |

1047. Et sciendum est quod illa dies Martis qui prefixus est^a Flandrensibus exeundi regnum Anglie debet intelligi dies Martis proximus post festum Commemoracionis sancti sancti Pauli, scilicet septimo die Iulii.

1048. Eodem tempore misse sunt littere domini regis sub eadem forma omnibus uicecomitibus regni Anglie; set tamen in litteris que misse sunt uicecomitibus in longuis partibus existentibus prolixior terminus datus est Flandrensibus exeundi a regno Anglie, scilicet usque ad crastinum sancte Margarite [21 July].

1049. Postea, post festum sancti Iohannis baptiste [24 June], rex Francie, dux de Branban et alii principes de partibus transmarinis miserunt litteras suas domino regi petentes ut mercatores eorum possent uenire in terram suam morari et exire per antiquas consuetudines suas sicut solebant, et sine impedimento possint lanas et alia
fo. 128 mercimonia sua ducere extra regnum | cum ipsi nichil transgressi ^bsunt uersus^b regem uel suos; set puniatur comitissa Flandrie solummodo et illi qui sunt de potestate sua.

Vnde habito colloquio coram domino rege prouisum est, uidelicet quod omnes mercatores exceptis illis de potestate comitisse Flandrie possint ducere lanas extra regnum in forma prouisa in parlamento habito apud Westmonasterium in festo Translacionis sancti Edwardi [13 October] proximo preterito, que forma scripta est in

^a *Ins. above line.*

^{b-b} *Ins. above line.*

sexto folio huius libri precedenti;^a ^bset tamen quod quilibet habeat breue domini regis ad hoc exequendum.^b

1050. Ipsis uero qui sunt de potestate Flandrie remaneant et sint in eodem statu sicut prouisum fuit post festum preteritum sancte Trinitatis [31 May], scilicet sicut continetur in litteris domini regis que scripte sunt in folio precedenti ubi inueneris talem figuram.^c

1051. Hoc anno obiit Iohannes primogenitus Domini Edwardi puer etate quinque annorum et non plene quatuor septimanarum, cuius corpus in ecclesia Westmonasterii ex opposito basilice sancti Edwardi in parte aquilonali datum est^d sepulture octauo die mensis Augusti.^e

1052. Hoc anno, in uigilia sancti Bartholomei [23 August], uenerunt rumores Londonias literatorie per Dominum Edwardum quod ipse, mense Maii precedenti, cum uxore sua et omni comitiua sanus et incholumis applicuit in terram sanctam apud Acon.

1053. ^aMemorandum quod cum post prelium de Euesham ciues Londoniarum supposuerunt se uoluntati domini regis de uita et membris et omnibus bonis mobilibus et immobilibus pro transgressionibus eis impositis et per aliquos ipsorum factis, et dominus rex cepit ciuitatem in manus suas et posuit ibi custodes pro uoluntate sua,^a quod tunc temporis ipse concessit regine sue custodiam pontis Londoniarum que ipsam custodiam tenuit in manus suas fere per sex annos;^f et amotis custodibus ciuium ibidem posuit ibi custodes pro uoluntate | sua, qui per totum predictum tempus colligerunt omnes exitus reddituum et terrarum predicte pontis, illos nescio^β in quales usus conuertendo set tamen nullam emendacionem in predicto ponte ponendo. Tandem cum

fo. 128^v

^a c. 1021.

^{b-b} *Add. scribe 1.*

^c *Marginal ins. * see c. 1045.*

^d *Ins. above line.*

^e *Marginal ins. scribe 1, Require in fine huius libri statuta de Iudeis que facta fuerunt hoc anno mense Iunii.*

^f *Marginal ins. scribe 1, De ponte Londoniarum.*

predicta regina pro certo intellexisset quod per hoc magnum dampnum et periculum dicto ponti contingebat, ipsa dictam custodiam ciuibus^a resignauit; qui hoc anno, in festo sancti Egidii [1 September], elegerunt duos uiros ad illum pontem custodiendum sicut ante prelium de Euesham solebat custodiri.

1054. Postea predicta regina infra quindecim dies proximo sequentes, nescio^α quorum consilio, de predicta resignacione se penituit et a proposito suo se retraxit retinens predictum pontem in manus suas.

1055. Ad festum sancti Michaelis [29 September] facti uicecomites Ricardus de Paris, Iohannes de Buddele - anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo, in fine anni regni regis quinquagesimo quinto.

1056. Hoc anno factus est maior Walterus Heruy.

1057. ^bHoc anno in parlamento apud Westmonasterium habito post festum Translacionis sancti Edwardi [13 October] uenerunt coram consilio regis illi qui per preceptum suum missi fuerant per Angliam ad inquirendum de bonis et catallis Flandrencie dicentes quod bona per eos inuenta in debitis et catallis ascendebant ad ^cocto mille libras cum debito regis.^c

1058. Tunc uero prouisum fuit per consilium domini regis quod omnes mercatores Anglie quibus aliquid comitisse la Flandrie abstulerat, ueniant apud Westmonasterium ad proximum festum sancti Hillarii [13 January] ostensuri et certificari consilium domini regis quilibet per se de ualore catallorum que^d predicta comitissa ab eis ceperat, et tunc

^a *Ins. above line.*

^b *Scribe 13.*

^{c-c} *Add. scribe 1.*

^d *Ins. above line.*

recepturi de predictis bonis Flandrencium quilibet suam porcionem. ^aEt sciendum quod catalla que comitissa ceperat ab Anglicis ascendebant ad septem mille libras sterlingorum, exceptis catallis mercatorum Hibernie, Scochie, Wallie, et tenencium Domini Edwardi.

fo. 129

1059. Postea, in paralamto habito in quindena sancti Hillarii [27 January], quidam quorum bona capta fuerunt | in Flandria, sicut prenotatur, et maxime Londonienses, sub spe habendi aliquem denarium de debitis Flandrencium que tunc colligebantur per Angliam certificauerunt illos qui^b ad hoc per dominum regem^c et consilium suum ^dattornati fuerunt,^d quilibet iuramento suo tercia manu sua que bona comitissa ceperat ab eis et ualorem ipsorum. Tunc temporis omnes de quibus coopertum fuit in inquisicione facta temporibus retroactis quid habuerunt de bonis aut debitis Flandrencium iniunctum fuit, ut ipsi habeant omnes denarios inde prouenientes coram consilio domini regis in prima septimana quadragesime. Et tunc eodem tempore facta est inquisicio per singulas wardas ciuitatis et eciam per omnes mercatores extraneos in ciuitate existentes, qui communicauerunt cum aliquibus de potestate comitisse Flandrie uel uendendo uel emendo uel mutuando uel bona eorum receptando; et eciam qui lanas adduxere extra Angliam ad partes transmarinas contra prohibicionem domini regis.

1060. Tunc temporis plures Flandrenses inuenti in ciuitate capti fuerunt et in custodia positi per aliquos dies, qui ut deliberarentur a dicta custodia abiurauerunt regnum Anglie non reuersuri quamdiu predicta contencio duraret inter regem Anglie et comitissam Flandrie.

^a *Scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

^c *Ins. above line.*

^{d-d} *Ins. above line.*

1061. ^aHoc anno, in septimana ante Annunciacionem Dominicam [25 March], delatum est^b Londonias subnotatum transcriptum litterarum quas rex Tartarorum nomine Albaga transmisit Domino Edwardo tunc existenti apud Acon cum sexaginta milia Tartarorum et Christianorum, ut dicitur:

fo. 129^v **1062.** Per uirtutem Dei uiui et per potenciam Chaan Albaga Domino Edwardo Dei gracia illustrissimo regis Anglie primogenito. Verba uestra per uirorum prouidorum et discretorum nunciorum nostrorum fratrem Reginaldum Rossel, Godefridum | de Waus, Iohannes le Parker propositis ex parte uestra diligenter intelleximus, super bona uestra^c uoluntate quam plurimum fuimus gauisi. Verum quod anno preterito infideles Sarazeni Christiane fidei non modicum iniuriantes, Christianis quam pluribus dampna quam plurima intulerunt eorumque terras <et> possessiones deuastare minime uerebantur, placuit nobis ut inimici nostri pariter et uestri in medio circumdati, nobis utriusque aduersa cogitantes, exercitibus fortibus ex utraque parte, Dei uiui uirtute, prima confusi extirpantur. Ideoque consulti ex parte nostra Cemakar exercitus capitaneo cum exercitibus ualidis uobis transmittersse curauimus, unde uos de cetero una cum dicto Cemakar discrete consulentes tam de die quam de mense cum inimicis preliandi caute ordinare curetis. Datum Maraga quarto die mensis Septembris.

1063. ^dAnno septuagesimo secundo incipiente in fine mensis Marcii obiit Ricardus rex Alemannie et comes Cornubie frater domini Henrici regis Anglie, anno coronacionis sue quindecim; et sepultus est in abbathia alborum monachorum de Heyles quam ipse construxerat.

^a *Scribe 2.*

^b *Ins. above line.*

^c *Ins. above line.*

^d *Scribe 1.*

1064. In eodem mense uenerunt rumores Londonias quod nouus papa creatus fuit apud Romam cum sedes papalis antea fuit uacua per tres annos et amplius; qui uero papa uocatus est Gregorius eiusdem nomine papa decimus <et> consecratus sexto kalendas Aprilis [27 March], tunc temporis dies Dominica.

1065. Hoc anno, post Pascha [24 April], uenerunt nuncii missi a comitissa Flandrie ad dominum regem dicentes quod ipsa uult satisfacere omnibus mercatoribus regni sui de omnibus bonis et catallis que capta fuerunt in terra sua, sicut prenotatum est;^a tali condicione quod ipse rex obliget se per litteras suas patentes ad soluendum ei redditum quod ipsa exigit ab eo et eciam omnia debita que ipsa et regina sua debent Flandrensibus in tres annos proximo sequentes; et nisi fecerit quod illa possit | licite distringere omnes uenientes in Flandriam de regno Anglie per corpora et omnia bona eorum quousque ei satisfactum fuerit de eo quod a retro fuerit. Quod uero superbum mandatum rex cum consilio suo audiens et intelligens indigne tulit, et spreuit predictos nuncios precipiens eis sub periculo uite et membrorum ut exeant a regno Anglie infra tres dies proximo sequentes et ne aliquis de potestate dicte comitisse ueniat in regnum Anglie sub eodem periculo. Actum sexto die Maii. Set tamen per assensum consilii domini regis concessum fuit quod lana duceretur extra regnum eodem modo quo fieri solebat anno precedenti; hoc scilicet addito quod quilibet saccus lane signaretur signo domini regis, ita si in aliqua nauis mare transeunte fuisset aliquis saccus inuentus sine tali signacione, fuisset forisfactus; et est talis illa signacio, scilicet in quolibet sacco cum rubea terra de longo in longum subter et supra fiat una crux depicta, et eciam ex transuerso subter et supra; et pro illa signacione dabit mercator de quolibet sacco unum obolum: ^bquod non stetit.^b

fo. 130

^a c. 1020.

^{b-b} Add. scribe 3.

1066. Per totum hunc annum nullum iudicium factum est de pistoribus, set fecerunt panes pro uoluntate sua ita quod de quolibet pane defecit in pondere tercia pars uel quarta ad minus.

1067. Hoc anno, mense Augusti, apud Norewycum accidit quoddam pessimum infortunium et a seculo inter Christianos inauditum, quod ecclesia cathedralis in honore sancte Trinitatis ab antiquo ibidem fundata combusta est per ignem uoluntarie impositum cum omnibus domibus monachorum infra clausturas dicte ecclesie constructis; ^αet hoc fuit per superbiam illius qui tunc temporis fuit prior illius cenobii, sicut in subsequentiis cognosci poterit. Nam per assensum et | consensum illius prioris garciones et seruientes monachorum sepissime intrauerunt ciuitatem uerberantes et wlnerantes homines et feminas infra domos suas et extra et multa mala facientes. Item ille prior extraere a communa ciuitatis homines de libertate nitebatur ut essent sub dominio suo separati a communa.^α Item cum monachi habeant singulis annis unam feriam per antiquam consuetudinem, contigit hoc anno circa festum sancte Trinitatis [19 June] uenientibus ciuibus cum mercimoniis suis ibidem; et cum maior pars eorum in fine nundinarum reuersi fuerunt ad propria, ^βseruientes monachorum illos qui remanserunt nequiter insultantes uerberauerunt, uulnerauerunt et quosdam interfecerunt; et super hoc nuncquam ullam emendam facere curauerunt, set semper in malicia et nequicia sua perseuerantes uersus ciues omnia mala perpetrauerunt.^β Ciues autem tot mala et tantam uiolenciam ferre amplius non ualentes congregauerunt se et ad arma preparauerunt ut uim ui repellerent; quod velle pessimus prior intelligens fecit uenire de Gernemuta magnam multitudinem maliuolorum, qui tempore turbacionis regni extiterant fures, raptores et malefactores, qui omnes uenerunt per aquas ad illud cenobium ascendentes super Berefridum ubi campane dependebant munientes illum cum armis ueluti castra et inde traxerunt ad cum arcubus et balistis, ita quod nullus per

fo. 130^v

uicos uel uenellas prope cenobium transire poterat nisi fuisset uulneratus.^y Hanc uiolenciam ciues uidentes arbitrati sunt illos malificos esse manifeste contra pacem domini regis qui fecerunt castrum adulterinum in ciuitate sua; qui congregati disponentes illos comprehendere et adducere ad iusticiam regis armis se munierunt, qui appropinquantes ad portam curie clausam non ualentes intrare propter municionem hominum | armatorum, igne imposito, portam crudeliter succenderunt. Quo igne inualescente Berefridus succenditur et omnia domicilia monachorum et eciam, ut ^aquidam dicunt,^a cathedralis ecclesia, pro dolor, cum omnibus reliquiis sanctorum, libris et ornamentis ecclesie, ita quod quicquid comburi poterat deductum est in cineres excepta quedam capella que incombusta remansit. Monachi uero et omnes qui poterant ponentes se in fugam euaserunt, set tamen quidam ex utraque parte interfecti sunt.

1068. Et sciendum est quod licet omnibus modis inimicos regis et qui sunt contra pacem suam eciam si necesse fuerit per ignis impositionem grauare et expugnare, set^b tamen non est licitum Christianis in ecclesiis uel in aliis sacro sanctis locis ignem imponere.

1069. Dominus autem rex audiens hos pessimos rumores ualde condoluit, qui in furore et in ira uehementi profectus est ad illam ciuitatem, et ueniens ibi fecit capi de ciuibus quotquot fuerunt suspecti et incarcerari in castello suo; et fecit summoniri homines extra ciuitatem predictam manentes uolens per eos iuratos scire huius rei ueritatem, quibus uenientibus coram iusticiariis per dominum regem ad hoc electis, ^aaccessit episcopus illius loci Rogerus nomine non degenerans a nequicia et crudelitate prioris sui nec considerans ad religionem ordinis seu dignitatis sue, set carens omni pietate et misericordia cupiens pro posse suo omnes ciues morti dampnare, coram omni populo

^{a-a} *Supplied in margin scribe 1.*

^b *Ins. above line.*

excommunicauit omnes qui fauore, mercede, pietate seu misericordia alicui de ciuibus parceret ne transisset per iudicium.^α Ita quod post latam sentenciam dominus rex nulli aliquam gratiam uoluit conferre, licet fuisset requisitus per multos uiros religiosos manentes infra ciuitatem et extra. ^βEt tunc nichil allocatum fuit ciuibus quod prior et complices sui fuerunt origo et causa tocius illius infortunii, nec dampna nec tot mala que ciues passi sunt per predictum priorem et suos, set tantummodo facta | est inquisicio qui fuerunt in illo conflictu; qui omnes de hoc indictati per iuratores morte dampnati et adiudicante Laurencio de Broke, qui est iusticiarius apud Neugate ad gayolam deliberandam, qui tunc fuit ibidem presens, fuerunt iuuenes de ciuitate numero circiter triginta crudelissima morte dampnati, scilicet detracti, suspensi, et corpora post mortem igne cremata.^β Quidam uero sacerdos et duo clerici manifeste sunt conuicti fecisse roberiam in illa ecclesia, qui traditi sunt episcopo ad iudicandum secundum consuetudinem sancte ecclesie.

1070. Postea per uerissimam inquisitionem quadraginta militum prope ciuitatem manensium compertum est quod illa ecclesia combusta fuit per illum maledictum et non per ignem ciuium. Ille namque oculte uenire fecerat fabros sursum in turrim ecclesie, qui fecerunt ibi tela et pila ad trahendum cum illa <et> cum balistis in ciuitate; qui uero fabri cum uidissent Berefridum comburi, sicut prescriptum est, posuerunt se in fugam et non extinxerunt ignem suum, quo igne inualescente accensa est turris et ecclesia combusta. ^αCompertum est eciam quod ille nequissimus prior proposuerat totam ciuitatem comburere, unde ipse per quosdam complices suos fecit ignem poni in tribus locis ciuitatis. Quidam uero de ciuibus uolentes malum suum uindicare illud pessime augmentauerunt, nam ipsi illo eodem igne succenderunt portam de predicto prioratu de qua superius mencio facta est. Fuit eciam ille nequam prior conuictus de homicidio, de roberia et de aliis innumerabilibus crudelitibus et iniquitatibus et per eum

personaliter et per iniquos complices suos factis. Et ideo dominus rex fecit eum capi et tradidit illum episcopo suo ut illum saluo custodiret in prisiona sua et produceret coram rege ad mandatum suum. ^aPostea ille prior coram episcopo suo, qui nimis erat ei fauorabilis purgavit se more ecclesiastico, et ita ille nequissimus de crimine ei inposito pro dolor inpunitus remansit; qui postea infra dimidium annum proximo sequentem diuina ulcione superueniente, ut credo, ille nequissimus miserabiliter mortuus est.^α |

fo. 132

1071. Memorandum quod temporibus Iohannis Horn et Walteri le Poter uicecomitum Londoniarum quorum nomina scripta sunt in tercio folio huius libri sequenti,^b cum ciues Londoniarum, sicut consuetudo est, in festo Simonis et Iude [28 October] conuenissent in Gildallia ad elegendum maiorem, et aldermanni et discreiores ciuitatis et eligissent Philippum le Tayllur, quod uulgus ciuitatis illam eleccionem contradicentes et magnum tumultum facientes clamauerunt ^α'Nay, nay, nos nolumus ullum maiorem habere nisi Walterum Hereuy^α qui antea maior extiterat'. Et illum contra uoluntatem aliorum totis uiribus suis in sede maioratus posuerunt. Aldermanni uero et quamplures uiri discreti qui eis adheserunt non ualentes contra tantam multitudinem illius innumerabilis populi resistere, statim adierunt dominum regem et consilium suum apud Westmonasterium; et Walterus Hereuy ducens secum illum populum perrexit similiter ibidem promittens eis, sicut antea promiserat, quod ipse conseruaret eos singulos per totum tempus maioratus sui indempnes de omnibus tallagiis, exaccionibus, et tollis, et quod ipse acquietaret ciuitatem de omnibus debitis suis et contra reginam et contra omnes alios per arreragia in rotulis camerariorum ciuitatis contenta.

1072. Vocauit autem areragia quicquid relaxatum et remissum fuit, per breue domini regis missum domino Alano de la Souche tunc temporis custodi ciuitatis in magno

^a *Scribe 2.*

^b *c. 1091.*

tallagio facto per assensum uniuersorum ciuium, illis ciuibus qui, ultra contra^a facultates sue sufficerent, fuissent assessi in prestitis antea factis ad redempcionem ciuitatis uersus dominum regem acquietandam; que scilicet relaxacio et remissio facta fuit per uiros iuratos de uisineto et de officiis illorum quibus remissio facta fuit; et ita aperte et distincte inrotulatum est in rotulis camerariorum ciuitatis, qui scilicet rotuli habent recordum. Et insuper dominus rex pro quibusdam de illis nuper scripserat eidem maiori et uicecomitibus Londoniarum ut ipsi fecissent scrutari predictos rotulos, et ne contra inrotulationem in eis contentam ipsos grauarent uel grauari permetterent.

1073. ^aSet tamen ille maior contra predictam inrotulacionem et contra mandatum domini regis a predictis ciuibus magnam pecuniam extorqueri nitebatur,^a et semper promisit et in bona fide affirmauit predicto populo, sicut prescriptum est,^b cui ille populus credens uerum esse quod promiserat ei adhererunt et submiserunt se uoluntati sue; ita quod ipsi per centenos, per millenos et per multitudinem hominum quorum non est numerus pede et equo ad mandatum suum eum sequebantur.

1074. In predicto uero festo Simonis et Iude [28 October] predicti aldermanni et eis adherentes cum uenissent coram domino rege et consilio suo, sicut prescriptum est,^c ostenderunt eis grauiter conquerendo qualiter ille populus cum uiribus suis uiolenter et iniuste impediabant eleccionem eorum, ad quos scilicet eleccio maioris et uicecomitum in ciuitate magis quam ad aliquos alios pertinet de iure | et semper pertinere consueuit. Et rogauerunt dominum regem et consilium suum deuote ut rex uellet ad hoc brachium suum et manum suam apponere, ne ille populus uocans se `communem ciuitatis' et excipiens aldermannos et discretos uiros ciuitatis se erigant contra pacem suam et contra pacem regni sui, sicut contigerat tempore comitis Leycestrie, uidelicet quando

fo. 132^v

^a *Ins. above line.*

^b *cc. 1071-2.*

^c *c. 1071.*

Thomas filius Thome, et Thomas de Pullesdona ita exaltauerat populum ciuitatis ultra aldermannos et discretos ciuitatis, quod quando necesse fuit ipsum populum non poterant iustificare, per que sicut notorium est toto mundo orta est mortalis guerra in Anglia.

1075. ^αPopulus autem contra hoc nullam rationem ostendentes set magnum tumultum facientes in aula regis, ita quod clamor peruenit ad dominum regem in lecto graui infirmitate laborantem, semper clamauerunt `Nos sumus communa ciuitatis et ad nos pertinet eleccio maioris ciuitatis, et uolumus prescise quod Walterus Hereuy sit maior quem elegimus.'^α Ac contra ^βaldermanni ostenderunt multis rationibus quod ad eos pertinet eleccio maioris, tum quia ipsi aldermanni sunt quasi capita et populus quasi membra,^β tamen quia aldermanni reddunt omnia iudicia in placitis motis in ciuitate. De populo autem sunt plures qui non habent terras, redditus, domicilia in ciuitate, ^γfili diuersarum matrum et quidam seruilis condicionis, qui omnes parum uel nichil curant de statu ciuitatis.^γ

1076. Populus autem semper clamabat sicut antea. Illi uero de consilio regis nolentes neque partem aldermannorum neque partem populi contristari, et ne rex qui fuit in debili statu in aliquo commoueretur, licenciauerunt eos usque in crastinum. Et dixerunt predicto Waltero ne ipse ueniret ad curiam cum tanta multitudine gencium, set solummodo cum decem uiris uel duodecim ad plus; et hoc dicto reuersi sunt omnes ad ciuitatem.

1077. Set predictus Walterus nichil curans de precepto quod dictum fuit ei per consilium domini regis, statim post prandium fecit submonere uniuersos de ciuitate exceptis illis qui adheserunt aldermannis sub nomine domini regis, ipso tamen hoc penitus ingnorante, et sub graui pena pecunie ut ipsi omnes eum sequerentur. In

fo. 133

crastino uero innumerabilis populus uenit cum eo equo et pede apud Westmonasterium, qui uenientes in aula regis nullam rationem ostendentes set | sicut antea fecerant clamando dicentes ‘Nos uolumus quod Walterus Hereuy sit maior noster quia nullus in ciuitate est tam necessarius ad nos gubernandos.’ Aldermanni uero fuerunt ibidem presentes expectantes responsum a domino rege et consilio suo. Ipsi uero de consilio regis dixerunt aldermannis et aliis predicto Waltero adherentibus ut ipsi unanimiter prebuissent assensum ad quem uoluissent in ciuitate qui esset maior eorum, et ipsum presentarent domino regi et dominus rex ipsum admitteret in maioratu. Populus tamen semper clamabat sicut antea dictum est.^a Nullum autem responsum potuerunt partes predictae habere de rege et consilio suo per plures dies.

1078. Set aldermanni cum illis qui adhererunt eis, et predictus Walterus cum innumerabili populo qui submoniti erant cotidie sub eadem pena et modis omnibus sicut antea notatum est,^b uenerunt ad Westmonasterium singulis diebus de die in diem usque ad festum sancti Martini [11 November].

1079. Et memorandum quod cum ipse Walterus intellexisset se uituperari a quibusdam eo quod ipse uellet esse maior ciuitatis, qui dixerunt ‘Nullus debet habere balliam qui eam desiderat, nam tales nil cogitant de promocione subiectorum suorum set solummodo de promocione eorum propria.’ Ad quod predictus Walterus tale dedit responsum gentibus sibi circumstantibus affirmans et iurans per Deum et per animam suam, quod ipse non desiderauit esse maior uel aliquis alius balliuus in ciuitate pro se, set pro amore Dei et caritatis intuitu uellet illud honus et illum laborem sustinere ut posset pauperes de ciuitate sustinere contra diuites, qui uolunt ipsos opprimere in tallagiis et in sumptibus in ciuitate factis.

^a c. 1075.

^b c. 1077.

1080. In festo autem predicto sancti Martini [11 November] illi de consilio regis uidentes nichil proficere ad illud negocium elongandum <et> uocantes coram se aldermannos et Walterum cum complicibus suis dixerunt eis, 'Dominus rex uult omnes libertates uestras illesas conseruare, et cum uos non poteritis unanimiter assentire ad unum maiorem eligendum, ipse uult quod et Walterus Hereuy et Philippus le Taillur ammouentur a maioratu et quod uos habeatis unum custodem de nobismecipsis, qui per me custodiat ciuitatem ad opus meum et ad opus Edwardi filii mei'; et tunc statim Henricus de Frowick factus est custos ciuitatis ut eam custodiret usque ad festum sancti Hillarii [13 January] proximo sequens; set qualicumque hora ciues uellent | unanimiter ad unum maiorem assentire, ipsum presentarent domino regi et dominus rex amoto Henrico de custodia ciuitatis ipsum libenter admitteret.

fo. 133^v

1081. Postea quidam de consilio regis, scilicet Walterus de Mertona et alii, uenerunt in ciuitatem et per plures dies habuerunt colloquium inter dictos aldermannos et dictum Walterum pacem et ad concordiam reformandam. Vnde communiter assentitum fuit quod quinque uiri ex parte aldermannorum fuissent electi et quinque ex parte dicti Walteri, et quem ipsi eligissent fuisset maior illius anni.

1082. Nomina electorum per aldermannos, scilicet: Iohannes Addrian', Walterus le Poter, Henricus le Waleys, Henricus de Couentre et Thomas de Basinge.

1083. Nomina electorum per Walterum Hereuy, scilicet: Robertus Gratefige, Robertus Hauteyn, Alanus le Hurer, Bartholomeus les Spicer, Henricus de Wyntona.

1084. Que quidem prouisio et assensus non uenit ad effectum sicut in subscriptis potuit dinosci.

1085. Memorandum quod quidam maliciosi uiri Belial, ut dicebatur, proposuerunt quod statim rege mortuo insurgerent in aldermannos et in eos qui ad eos adheserunt, et illos depredarent de omnibus bonis et catallis suis inuentis in ciuitate, arbitantes inter se hoc posse inpune fieri dum regnum esset sine rege. Quod falso arbitratum est, nam statim post mortem regis regnum deuolutum est filio suo Domino Edwardo; et cum uniuersi de regno fecissent eidem fidelitatem, tunc constat bene quod qui sub dominio suo aliquid contra pacem perpetrauerint, tam grauiter debent puniri sicut sub dominio patris sui uiuentis. Set tamen ipsi iniqui fuerunt impediti quod illa iniquitas non facta fuit. Nam statim rege mortuo, in crastino sancti Eadmundi archiepiscopi [17 November], archiepiscopus Eboracensis, comes Glouernie et multi alii magnates de regno Anglie qui tunc fuerunt presentes, uenerunt in ciuitatem et fecerunt pacem proclamare uersus omnes tam Iudeos quam Christianos. Et postea uenerunt in camera Gildalie ubi aldermanni et predictus Walterus cum innumerabili populo congregati fuerunt, et audita discordia que fuit inter aldermannos et ipsum Walterum, predictus comes uidens tantum populum adherentem dicto Waltero, ne tranquillitas ciuitatis perturbaretur uoluit eum in maiorem | admitti; set aldermanni dixerunt ei quod illud negocium positum fuit in arbitrio decem uirorum sicut prescriptum est.^a Comes uero paruipendens illud arbitrium iussit ut in crastino, scilicet die Veneris [18 November], congregaretur folkesmotum in cimiterio ad Crucem Sancti Pauli, et cuius eleccioni maior pars ciuitatis assentiret hoc anno maior remaneret.

fo. 134

1086. In crastino autem uniuersitas ciuitatis uenit in cimiterio Sancti Pauli, et archiepiscopus, comes Robertus Burnel, Walterus de Mertona et multi alii magnates uenerunt ad ecclesiam Sancti Pauli; qui intrantes ibidem capellam cum quibusdam aldermannis dederunt eis consilium ut assentirent eleccioni illius Walteri ut esset maior

^a cc. 1081-3.

solummodo per unum annum ne peius eueniret in ciuitate. Ipsi uero uidentes talem esse uoluntatem illorum magnatum et quod aliter tunc temporis non potuit fieri, ad hoc prebuerunt assensum; et uocato predicto Waltero coram eis dictum est quod factum fuit. Et tunc per ordinationem predictorum archiepiscopi, comitis et aliorum magnatum iurauit dictus Walterus quod non grauaret uel grauare permetteret toto tempore maioratus sui aliquem de illis qui contra electionem suam extiterant. Et ita declaratum est per Walterum de Mertonam ad Crucem Sancti Pauli coram omni populo quod aldermanni assenserunt quod ille Walterus sit maior illo anno.

1087. Quarto die post mortem regis, scilicet in festo sancti Eadmundi regis [20 November], tunc temporis die Dominica, corpus suum nobiliter attornatum sicut decet reges datum est sepulture in ecclesia conuentuali monachorum apud Westmonasterium ante magnum altare. Ipso uero sepulto archiepiscopus Eboracensis qui ibidem missam celebrauerat, comes Glouernie, comes Warennie, comes Herefordie et alii episcopi, barones et omnes magnates ibidem tunc presentes iurauerunt quod ipsi conseruarent pacem in regno, et totis uiribus suis facerent conseruari, et quod regnum custodirent ad opus Domini Edwardi tunc existentis in terra sancta. Et tunc coram omni populo fractum est sigillum regis.

1088. Postea die Lune sequenti et sic de die in diem episcopi et barones conuenerunt ad Nouum Templum ad statum regni reformandum.

1089. Tunc factum est nouum sigillum Domino Edwardo cuius superscripcio est talis qualis fuit mutato solummodo nomine ^ain nouo sigillo^a patris sui dum uiueret. Et factus est cancellarius suus Walterus de Mertonam.

^{a-a} *Supplied in the margin.*

1090. Require tenorem primi breuis quod exiuit a cancellaria sua ad pacem regni
fo. 134^v obseruandam in secundo folio sequenti.^a |

1091. ^bIohannes Horn, iterum Walterus le Poter uicecomites - ^canno millesimo ducentesimo septagesimo secundo, ^din fine anni regni regis quinquagesimo sexto.^d

1092. Anno eodem, sexto die Octobris, Eadmundus Ricardi quondam regis Alemannie et comitis Cornubie filius^e desponsauit Gilberti de Clare comitis Glouernie et Hertfordie sororem nomine Margaretam in capella de Reyslepe; que uilla distat a Londoniis uersus occidentem per spacium duodecim leucarum.

1093. Postea, in festo Translacionis sancti Eadwardi [13 October], apud Westmonasterium dominus Eadmundus filius Ricardi quondam regis Alemannie et comitis Cornubie factus est miles, et Henricus de Laci comes Lincolnie, et multi alii nobiles de regno Anglie et de transmarinis partibus, numero circiter quinquaginta ut dicitur.

1094. Hoc anno quia discordia orta fuit in festo Simonis et Iude [28 October] de eleccione maioris, sicut ^fin duobus foliis^f precedentibus plenius continetur,^g fecit dominus rex loco maioris custodem Henricum de Fruwyk ^hin festo sancti Martini.^h

1095. Circa iddem tempus uenerunt rumores Londonias quod prior ecclesie Sancte Trinitatis de Cantuaria electus in archiepiscopum, qui moram fecerat per aliquod tempus apud Romam sciens et intelligens se cassari eo quod dominus papa in examinacione sua ipsum non habuit pro sufficienti litterato, resignauit eleccionem suam.

^a *cc. 1099-1100.*

^b *Scribe 1.*

^{c-c} *Marginal ins. scribe 1.*

^{d-d} *Add. scribe 3.*

^e *Supplied in the margin.*

^{f-f} *Supplied over an erasure by scribe 2.*

^g *cc. 1071-86.*

^{h-h} *Add. scribe 2.*

Vnde dominus papa contulit illam dignitatem cuidam fratri predicatori qui fuit prior prouincialis tocius ordinis sui in Anglia, Scochia et Walia, nomine Robertus de Killewareby.^a

1096. Postea, in festo sancti Eadmundi archiepiscopi [16 November] Gilbertus de Clare comes Glouernie ueniens apud Westmonasterium coram domino rege laborante in extremis, sacramento prestito, promisit quod ipse pacem regni Anglie conseruaret et pro toto posse suo faceret obseruare, et illud regnum custodiret ad opus Domini Eadwardi.

fo. 135 Postea eodem die, sero, rex obiit,^b cum regnasset | per quinquaginta sex annos integros et uiginti dies. ^cEt sepultus est in festo sancti Edmundi regis sicut continetur in folio precedenti.^d

1097. Secunda die post festum sancti Eadmundi archiepiscopi [18 November] factus est maior Walterus Hereuy, sicut continetur in folio precedenti conuerso;^e set statim non presentatus quia postquam rex obiit nulli barones fuerunt ad scaccarium usque ad diem illum.

1098. Postea, in uigilia sancti Andree [29 November], prenotati uicecomites de nouo fuerunt presentati ad scaccarium baronibus ibidem sedentibus sub nomine Domini Edwardi.

1099. Transcriptum primi breuis quod exiuit a cancellaria Domini Edwardi post obitum patris sui:

1100. Edwardus Dei gracia rex Anglie, dominus Hybernie et dux Aquitannie uicecomiti Nortfolk salutem. Cum defuncto iam celebris memorie domino Henrico rege patre

^a *Marginal ins. scribe 1*, De rumoribus archiepiscopi.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De obitu regis Henrici filii regis Iohannis.

^c *Scribe 2*.

^d *c. 1087*.

^e *c. 1086*.

nostro ad nos regni gubernaculum successione hereditaria ac procerum regni uoluntate et fidelitate nobis prestita sit deuolutum; per quod nomine nostro, qui in exhibicione iusticie et pacis obseruacione omnibus et singulis de ipso regno scimus ex nunc debitores, pacem nostram dicti magnates et fideles nostri fecerant proclamari; tibi precipimus quod per totam balliam tuam in singulis ciuitatibus et burgis, feriis, mercatis et locis aliis pacem nostram publice proclamari et firmiter teneri facias, inhibendo omnibus et singulis sub periculo exheredacionis, necnon amissionis uite et membrorum, ne quis pacem nostram infringere presumat. Nos enim omnibus et singulis, in omnibus iuribus et rebus ipsos contingentibus contra quoscumque tam maiores quam minores, parati sumus et erimus plenam auctore domino iusticiam exhibere. Teste, Walterus Eborum archiepiscopo apud Westmonasterium uicesimo tercio die Nouembris, anno regni nostri primo.

1101. Postea dominus Edmundus filius domini regis uenit Londonias a terra sancta decimo die Decembris, tunc temporis die Sabbati.

1102. Hoc anno, undecimo die Ianuarii, dominus Willelmus de Walencia, qui fuit cum Domino Edwardo, uenit Londonias de terra sancta.

1103. Ultimo die istius mensis Ianuarii episcopus Londoniarum uenit Londonias a Roma ubi missus fuerat per legatum. |

fo. 135^v

1104. Memorandum quod circa^a mensem Maii proximo precedentem contigit in terra sancta apud Acon,^b scilicet quod quidam Saracenus maleficus proditor sciens loqui Gallice accessit ad curiam Domini Edwardi et fecit se ibidem domesticum, uelud esset de familia sua; qui uero quadam die uenit ad eum dicens quod ipse uellet secreto de bono et

^a *Ins. above line.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Quod Dominus Edwardus fuit uulneratus.*

promocione sua loqui cum eo. Dominus autem Edwardus nimis credulus et ultra modum credens proditori recepit eum in camera sua nemine ibidem remanente; qui nequam clauso hoscio camere accessit ad Dominum Edwardum quasi locuturus cum ipso, et statim extracto quodam cutello toxicato uolens eum occidere dedit ei quatuor uulnera pessima et fere mortalia. Ipse uero Edwardus uiriliter erigens se in manu forti illum malificum prostrauit in terra et proprio cutello proditoris ipsum frustatim dilaniauit, benedictus Deus, et occidit. Postea notum fuit quod Soudanus illum miserat ad Dominum Edwardum interficiendum sicut Vetus de Montanis habuit in usu, qui tempore regis Ricardi Anglie fecit per duos seruientes interficere Marchisum de Munferat apud Tyrum in terra sancta, sicut narratur in hystoria predicti regis Ricardi.

1105. Memorandum quod post obitum prenotati regis nullus implacitatus per breue suum tenebatur respondere aduersario suo, nisi prius dominus Edwardus rex Anglie filius suus per breue suum dedisset in mandatis ad breue patris sui ad efectum perducendum.

1106. Hoc anno, in crastino sancti Valentini [15 February], diuulgatum fuit per archidiaconum Londoniarum uniuersis capellanis eiusdem ciuitatis quod ad mandatum domini pape omnes uiri ecclesiastici per totam Angliam constituti darent per duos annos continuos decimam partem omnium mobilium suorum dominis Edwardo et Eadmundo filiis predicti regis redeuntibus a terra sancta ad expensas eorum acquietandas, ^aexemptis tantummodo Templariis, Hospitalariis et monachis Cisterciensibus^{a, b}

1107. Postea, prima die Dominica quadragesime, tunc temporis uicesimo sexto die Februarii, electus Cantuariensis nomine Robertus de Kylewareby consecratus fuit apud

^{a-a} *Add. scribe 2.*

^b *Marginal ins. scribe 2, De decimis clericorum.*

fo. 136

Cantuar' in cathedrali ecclesia Sancte Trinitatis;^a tunc fuerunt ibi presentes suffragani sui episcopi, scilicet: Laurencius de sancto Martino Roffensis, Nicholaus Wyntoniensis, Godefridus | Wygorniensis, Ricardus Lincolniensis, Hugo Elyensis, Rogerus Norwycencis, Willelmus Batonensis, Rogerus Cestrensis, Walterus Exoniensis, electus uero de Salesberia nomine Robertus fuit presens. Et absentes fuerunt: Henricus Londoniensis et Iohannes Herefordensis propter infirmitatem eorum; Stephanus autem Cistrensis adhuc fuit apud Romam ubi missus fuerat per Ottobonum legatum pape, sicut prescriptum est.^b

1108. Memorandum quod mense Nouembris proximo precedenti uenerunt nuncii domini pape Londonias deferentes litteras papales; et quia dominus rex tunc temporis obierat et filius suus succedens in regnum non fuit presens, magnates Anglie noluerunt predictis nunciis dare responsum; super quod predicti nuncii miserunt litteras suas domino pape interim moram facientes apud Nouum Templum. Set tamen ipsi ceperunt ad expensas suas sexdecim solidos de qualibet domo religiosa in Angliam constituta nulla exempta neque Templariorum neque Hospitaliorum neque monachorum ordinis Cisterciensis.^c

1109. ^dSecunda die ante Annunciacionem Dominicam [23 March] in Gildhallia Londoniarum lecte fuerunt littere Domini Edwardi Regis cuius tenor talis est:

1110. ^eEdwardus Dei gracia rex Anglie, dominus Hybernie et dux Acquitannie maiori et uicecomitibus et communitati Londoniarum salutem. Scimus et firmiter speramus quod de nobis quam tociens exauditis prospera, uestri congratulantur animi incrementum exultacionis recipientes et leticie, quam ad presens uobis representantes nunciamus nos

^a *Marginal ins. scribe 2*, De archiepiscopo.

^b *c. 865*.

^c *Marginal ins. scribe 2*, De nunciis a papa missis.

^d *Scribe 1*.

^e *Scribe 2*.

in confeccione presentium apud Caples in terra Laboris iuxta illustrem regem Sicilie consanguineum nostrum karissimum extitisse sanos et incolumes, sicuti fore potuimus post doloris amaritudinem quam accepimus de bone memorie domini regis quondam genitoris nostri transmigracione, quod pacienter sustinemus diuine uoluntati placaturi. Ceterum quia uellemus et desideramus quod omnia in regno nostro pace gauderent et tranquillitate, uobis mandamus in fide et dileccione in quibus nobis tenemini quatinus ad hoc diligenter insistentes taliter nobis absentibus uos habere curetis, quod in aduentu nostro in Angliam quod ad presens festinamus summo precedente adiutorio, uobis promereri ualeamus. Quia uero sigillum nostrum regium nondum factum habuimus, sigillo domini regis Cicilie supradicti presentes ad nostram includi fecimus instanciam.

fo. 136^v Teste me ipso apud Caples nono decimo die Ianuarii, anno regni nostri primo. |

1111. ^aMemorandum cum Stephanus episcopus Cycestrensis, qui missus fuit ad Romam per Ottobonum legatum domini pape, sicut prenotatum est in hoc libro,^b impetrasset gratiam a summo pontifice domino Gregorio decimo redeundi in patriam suam et rehabendi dignitatem suam, quod tunc proficiscendo uersus Angliam^c fatue et indiscrete se gerebat; quia cepit in societatem suam Emericum de Monte Forti ad conducendum et ueniendum secum in Anglia, quem dominus Edwardus Rex odio habuit eo quod fratres sui interfecerant dominum Henricum de Alemannia, sicut prescriptum est.^d Vnde dominus rex statim mandauit constabulario castri de Daueria ut ipse fecisset ubique mare custodiri nauibus et galleis ne ipse intrasset in regnum Anglie. Mandauit eciam iusticiariis suis quod ipsi caperent in manus suas baroniam dicti episcopi.

^a *Scribe 1.*

^b *cc. 865, 1107.*

^c *Ins. above line.*

^d *cc. 1034-9.*

1112. Hoc anno sicut nec in tribus annis precedentibus facta fuit aliqua iusticia de pistoribus Londoniarum, set ipsi pro mercede dato maiori et uicecomitibus fecerunt panes suos pro uoluntate sua, ita quod quilibet panis fuit in pondere leuior quam deberet de tercia parte uel quarta ad magnum dampnum et detrimentum ciuium et omnium in ciuitate ueniencium.

1113. Memorandum quod toto tempore maioratus istius maioris non permisit ille placitare in hustingo de placitis terrarum, nisi ualde raro; eo quod ipse implacitatus fuit de quodam tenemento quod Isabella Bukerel exigit ab eo per placitum inter ipsos motum.

1114. Hoc anno dominus rex ueniens de terra sancta cum nobili apparatu et comitiua uenit Parisius die Iouis ante Ad Vinculam [27 July],^a tunc temporis sexto kalendas Augusti, regina sua antea profecta in Vasconiam. In crastino uero fecit regi Francie homagium de terris quas tenet et quas clamat tenere de eo. |

fo. 137

1115. Cito postea ipse profectus est cum comitiua sua uersus Vasconiam, quibusdam comitibus et aliis magnatibus de regno Anglie qui uenerant ei obuiam usque Parisius et ultra comitantibus ei.

1116. Littere subscripte lecte fuerunt in Gildhallia in festo Natiuitatis beate Marie [8 September] anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, et secundum tenorem illarum proclamatum per totam ciuitatem:

1117. ^bEdwardus Dei gracia rex Anglie, dominus Hybernie et dux Acquitannie maiori et uicecomitibus suis Londoniarum salutem.^c Cum comitissa Flandrie et sui nobis et nostris iniurias et grauamina diuersa in terra et potestate sua intulerint, propter quod

^a *Marginal ins. scribe 1*, De aduentu regis Parisius.

^b *Scribe 2*.

^c *Marginal ins. scribe 1*, De Flandrensibus.

nolumus quod ipsi ulterius in regnum nostrum ueniant aut in eodem morentur seu mercimonia uel negociaciones ibidem exercent, uobis precipimus firmiter iniungentes quod in ciuitate nostra Londoniarum publice proclamari faciatis ne quis eorum sub forisfactura sui et bonorum suorum terram nostram ingredi aut ibidem moram presumat. Et si forte aliquibus personis singularibus a domino Henrico rege patre nostro seu aliis antecessoribus nostris specialiter concessum fuerit ut in terram nostram uenire, ibidem morari et mercandias suas exercere possint, clamari faciatis quod mercandias suas et debita sua citra festum Natalis Domini proximo futurum recolligant et tunc ad ultimum a regno nostro exeant, ibidem ulterius sub forisfactura consimili nequaquam reuersuri. Datum per manum Walteri de Mertona cancellarii nostri apud sanctum Martinum magnum Londoniarum octauo die Septembris, anno regni nostri primo.

1118. ^aHoc anno archiepiscopus Cantuarie qui nuper consecratus fuit, intronizatus est et positus in cathedra archiepiscopali die sancti Lamberti [17 September], tunc temporis die Dominica, quo die ipse indutus palliolum suum solempniter diuina celebrauit et eodem die tenuit maximam et nobilissimam curiam de multis prelati et baronibus Anglie.^b

fo. 137^v **1119.** Tunc temporis obiit Henricus de Sandwyco Londoniarum episcopus in quodam manerio suo quod uocatur Orsete distans a Londoniis per octodecim leucas,^c | cuius corpus datum est sepulture ^dnono kalendas Octobris^d [23 September] in ecclesia Sancti Pauli Londoniarum, eodem loco quod ipse elegerat die quo intronizatus fuit si obiisset in regno Anglie.

^a *Scribe 1.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De intronizacione archiepiscopi Cantuarensis.*

^c *Marginal ins. scribe 1, De obitu episcopi Londoniarum.*

^{d-d} *Supplied in margin scribe 1 in crastino sancti Mathei apostoli [22 September] erased – perhaps not by a contemporary hand.*

1120. Petrus Cusin, Robertus de Meldeburne - anno Domini millesimo ducesimo septuagesimo tercio, ^aanno regni regis Edwardi primo.^a

1121. Isti electi fuerunt uicecomites die Lune ante festum sancti Michaelis [25 September], et in crastino sancti Michaelis [30 September], sicut mos est, presentati apud Westmonasterium baronibus de scacario non sedentibus ad scacarium set existentibus in parua camera que est iuxta receptorium prope Thamisiam et ibi admissi; ^bqui remanserunt tantummodo usque ad festum sancti Andree [30 November].^b

1122. Anno eodem, ^cdie Sabbati post festum Translacionis sancti Eadwardi^c [14 October], frater Robertus archiepiscopus Cantuarie cum octo episcopis de suffraganeis suis in magna aula Westmonasterii pontificalibus induti confirmauit sentenciam per Bonefacium archiepiscopum predecessorem suum latam cum tredecim episcopis in eadem aula, sicut prenotatum est in hoc libro,^d et de nouo excommunicauit omnes illos qui facto, consilio, fauore, auxilio, seu assensu pacem regis et regni ^eclam uel aperte^e perturbarent uel perturbari procurarent.^f

1123. Postea capta fuerunt recia piscatorum de Thamisia et die Lune ante festum sancti Luce [11 December] adducta ad Gildhalliam et ibi adiudicata;^g et quia non erant legalia secundum statuta ciuitatis fuerunt in Westchep cremata numero uiginti septem.

1124. ^hHoc anno, ante festum sancti Michaelis [29 September] et post festum, per preceptum constabularii de Douere propter iniurias quas comitissa Flandrie fecerat

^{a-a} *Add. scribe 3.*

^{b-b} *Add. scribe 1.*

^{c-c} *Supplied in margin scribe 1.*

^d *β-β, c. 680.*

^{e-e} *Supplied in margin scribe 1.*

^f *Marginal ins. scribe 1, De sentencia lata per Robertum archiepiscopum Cantuarie.*

^g *Marginal ins. scribe 1, De retibus.*

^h *Scribe 2.*

mercatoribus Anglie, sicut prenotatum est in hoc libro,^a homines de Quinque Portibus in manu ualida et armata cum nauibus et galeis pluribus nauigauerunt in mare; et omnes naues quas inuenerunt uelificantes cum lanis uersus Flandriam arestauerunt et omnia bona Flandrensiū in mare inuenta ceperunt. ^bPostea inhibitum fuit per dominum regem ne aliqua lana duceretur extra regnum.^b |

fo. 138

1125. Hoc anno, in festo Symonis et Iude [28 October], factus est maior Henricus le Waleys et postea tercia die uel quarta ad scaccarium baronum presentatus, admissus et iuratus.^c

1126. Hoc anno principes Alemannie, circa festum sancti Michaelis preteritum [29 September], ad quos scilicet pertinet eleccio imperatoris, elegerunt quendam principem Alemannie Radulphum nomine de Hanesberuth; qui infra eundem mensem ab archiepiscopo Coloniensi coronatus est in ciuitate Aquensi et ibi in sede Magni Caroli cathedratus.^d

1127. ^eMemorandum quod hoc anno, die Lune proxima ante festum sancti Andree [27 November], uenientibus maiore et ciuibus Londoniarum in Gildhallia ad communia placita placitanda,^f et eodem die capti fuissent quamplures pistores ad panes eorum examiandos si ponderissent quantum ponderare deberent secundum assaium factam in ciuitate; de quibus Petrus Cusin uicecomes permisit unum libere abire pro mercede capta ab eo et illum non produxit. Vnde ipse Petrus de hoc rectatus in pleno hustingo confessus est recepisse a dicto pistore sexaginta solidos ne ipse produceretur cum aliis pistoribus; quare ipse depositus est a balliua sua quod statim diuulgatum est per totam

^a c. 1020.

^{b-b} *Add. scribe 1.*

^c *Marginal ins. scribe 3, De maiore.*

^d *Marginal ins. scribe 2, De eleccione imperatoris.*

^e *Scribe 1.*

^f *Marginal ins. scribe 1, De deposicione uicecomitum.*

ciuitatem; ita quod hoc notum factum est consilio domini regis et baronibus de scacario, qui fecerunt maiorem, uicecomites et omnes aldermannos uenire coram se ad scacarium. Quibus comparentibus dictum est quod talis transgressio est contra dignitatem regiam et uoluerunt huius rei scire ueritatem ibidem; quibus responsum fuit per ciues ostendentes cartas suas quod ipsi non debent placitare extra muros ciuitatis, et quod uicecomites Londoniarum debent gaudere eisdem libertatibus quibus alii ciues utuntur, et quod possunt amouere uicecomites cum necesse fuerit et alios ponere loco eorum set quod presentati sint ad scacarium domini regis; quod tandem eis concessum est et datus est eis dies ad Sanctum | Martinum Magnum in Londoniis, ubi iusticiarii domini regis uenerunt in festo sancti Andree [30 November] et maior et uicecomites et ciues. Quo die compertum fuit coram ipsis de Petro Cusin sicut predictum est; et eciam compertum est in inquisicione facta per quosdam magnates ciuitatis oneratos in fide Dei et per sacramentum quod fecerant domino regi, quod alter uicecomes Robertus de Meldeburne nomine prebuit assensum ad predictos sexaginta solidos capiendos et ibi presens fuerat in forma predicta, et ideo sicut et socius suus depositus est et ambo in misericordia domini regis. Secundo uero die post festum sancti Andree [2 December] ciues elegerunt Henricum de Couentre et Nicholaum filium Galfridi de Wintonia ut essent uicecomites per residuum illius anni et presentati fuerunt ad scacarium et ibidem admissi.^a ^bPredicto uero Petro Cosyn et socio suo uenientibus ad scaccarium barones, quia ipsi inueniebant in rotulis suis quendam uicecomitem Londoniarum, scilicet Symonem filium Marie, qui pro una sola misericordia soluit uiginti libras argenti, quod quidam ciues deferentes cartas suas calumpniauerunt dicentes quod ambo uicecomites non debent ameriari pro uno delicto plusquam uiginti libras; quod positum est in

fo. 138^v

^a *Marginal ins. scribe 1*, Henricus de Couentre, Nicholaus de Wintonia facti uicecomites.

^{b-b} *Add. scribe 2*.

respectu donec melius sciatur de seysina regis. Petrus autem inrotulatus est in debito de uiginti libris.^b

1128. Memorandum quod per prouisionem maioris et quorumdam magnatum ciuitatis de illis qui fuerunt foris bannati extra ciuitatem per preceptum domini regis,^a tunc temporis quatuor annis elapsis sicut prenotatur in hoc libro,^b capti sunt quamplures et incarcerati apud Neugate donec sciatur quo waranto ipsi redierunt in ciuitatem moram ibidem facientes; qui postea deliberati sunt abiurantes ciuitatem usque ad aduentum domini regis.

1129. ^cHoc anno Iohannes de Burgo senior intrauit in turrim Londoniarum cum tota familia sua in festo Innocencium [28 December],^d cuius turris custodiam dominus rex adhuc existens in Vasconia ei concesserat. Ipse autem antea contulerat domino regi, et ipsum inde heredem fecerat omnes terras et tenuras quas habuit in regno Anglie, ita quod dominus rex ei inueniret omnia necessaria uite sue quamdiu uiueret et debita sua acquietaret. |

fo. 139

1130. ^eMemorandum quod cum constaret decano et capitulo Sancti Pauli Londoniarum per litteras regias eis missas a nunciis suis,^f qui transfretauerunt in Vasconiam ad dominum regem, ipsos habere licenciam eligendi episcopum: tunc in crastino sancti Nicholai [7 December] electus est in episcopum Iohannes de Chishelle decanus eiusdem ecclesie et prepositus Beuerlacensis, qui postea quinto die sequente profectus est uersus mare ad transfretandum apud dominum regem ut presentaretur ei; qui admissus a domino rege rediit in Angliam et die Martis proxima post festum sancti Gregorii [13

^a *Marginal ins. scribe 2*, De foris banniatis.

^b *cc. 1003-4*.

^c *Scribe 2*.

^d *Marginal ins. scribe 2*, De Iohanne de Burgo.

^e *Scribe 1*.

^f *Marginal ins. scribe 2*, De eleccione episcopi Londoniensis.

March] uenit apud Lambethe, et confirmatus est ab officiali Cantuarie quia archiepiscopus non fuit in Anglia.

1131. Postea, tercia die ante festum apostolorum Philippi et Iacobi [29 April], anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, consecratus est in capella archiepiscopi Cantuarie apud Lambethe ab episcopo Sancti Tassafensis; et post consecracionem transiuit Thamisiam in quadam nacella et cum applicuisset decalcatus perexit usque ad ecclesiam Sancti Pauli et ibidem eodem die intronizatus est.

1132. ^aMemorandum quod hoc anno die Martis proxima ante festum sancti Thome apostoli [19 December] conuenientibus maiore et ciuibus in Guidallia uenit quidam de illis, quibus Walterus Hereuy dum fuerat maior cartas contulerat, qui conquestus est maiori et uicecomitibus quod quidam de officio suo operatus est contra statuta contenta in carta quam ipse et homines de officio suo habunt; a quo quesitum est per quem ipsi habuerunt illam cartam; qui proferens transcriptum carte illius dixit quod ipsi habuerunt illam per Walterum Hereuy dum fuit maior.^b Walterus uero fuit presens et aduocauit illam et omnes cartas quas fecerat tempore maioratus sui. Cui responsum fuit per Gregorium de Rokesle unum ex aldermannis pro maiore et aliis discrecioribus ciuibus ciuitatis, quod tales carte non debent habere locum ultra tempus maioratus illius Walteri, tum quia ipse Walterus fecerat eas pro uoluntate sua sine assensu aldermannorum et discretorum uirorum ciuitatis, tum quia ipse facte | sunt carte solummodo ad promocionem diutum hominum de officiis illis, quibus ille collate sunt, et ^cad dampnum et ad iacturam pauperum de eisdem officiis et eciam ad dampnum et iacturam omnium aliorum ciuium et tocius regni.^c Quo dicto orta est inter predictos Gregorium et Walterum uerbosa contencio et ualde contumeliosa coram omni populo.

fo. 139^v

^a *Scribe 2.*

^b *Marginal ins. scribe 2, De contencione orta inter Henricum le Waleys maiorem et Walterum Hereuy in Guidallia.*

Postea uero dictus Walterus exeiens a Gildallia accessit ad ecclesiam Sancti Petri in Foro et fecit ibi conuenire ^βmultum populum^β de officiis illis quibus cartas contulerat dicens eis quod maior et alii uoluerunt cartas eorum infringere, set si illi uellent adherere ei, ipse illas omnes integras sustineret. Et postea uero per totam illam diem et in crastino ipse perrexit per uicos et plateas ciuitatis predicando et attrahendo populum, si posset, ut adhererent ei contra maiorem et discretos uiros ciuitatis. Quod quidem statim notum est baronibus de scaccario et consilio domini regis, qui inde ualde commoti sunt et timentes ne per ipsum Walterum et complices suos pax regis in ciuitate perturbaretur, habuerunt inter se colloquium et missum est breue domini regis maiori et uicecomitibus in forma subnotata:

1133. Edwardus Dei gracia rex Anglie et cetera maiori et uicecomitibus et ceteris fidelibus suis ciuibus Londoniarum salutem.^a Quia ex insinuacione uestra maior^{<is>} predicte necnon et Henrici de Couentre, Nicholai de Wyntonia, Willelmi de Dunelmo, Iohannes Adrian, Arnoldi Tedmar, Gregorii de Rokesle, Philippi le Taylur, Iohannis de Gysors, Iohannis Horn, Willelmi de Hadestok, Roberti de Meldeburne, Luce de Batyncurt, Reginaldi de Suffolchia, Gilberti de Dunton intelleximus quod Walterus Hereuy et alii quidam de diuersis officiis eiusdem ciuitatis manifeste minantur eisdem pro eo; quod ipsi una cum aliis nostre ciuitatis fidelibus quedam statuta iuri contraria per quosdam de officiis predictis ad lucrum suum proprium et contra communem utilitatem facta infirmare uoluerunt, quibus statutis idem Walterus tempore quo fuit maior preter assensum et concensum predictorum fidelium super hoc reclamancium et sine communitate predicta apponi fecit, ut dicitur; et insuper congregaciones et conspiraciones cum quibusdam sibi adherentibus diuersis locis et horis | suspectis tenent, prout ex assercione predicta uere accepimus; uobis mandamus quod ab omnibus

fo. 140

^a *Marginal ins. scribe 2, Littere domini regis Edwardi.*

et singulis ipsorum bonam securitatem capiatis et sufficientem manucapcionem, quod per ipsos aut alios de suis periculum dicte ciuitati seu predictis fidelibus nostris non eueniet nec turbacio pacis nostre in ciuitate predicta, prout ibi et alibi pluries per huiusmodi conspiraciones et congregaciones accidere consueuit. Datum per manum Walteri de Mertonā cancellarii nostri apud Sanctum Martinum Magnum Londoniarum uicesimo die Decembris, anno regni nostri secundo.

1134. Per hoc breue attachiatus est predictus Walterus secunda die ante Natale et dimissus per capcionem duodecim uirorum de ciuitate.^a

1135. ^bCito postea, post festum Circumsicionis Domini [1 January], maiore et ciuibus conuenientibus in Gildhallia predicti homines de officiis, qui habuerunt cartas per dictum Walterum, detulerunt cartas illas coram maiore quibus unica pars sigilli communitatis Londoniarum est appensa; que omnes sunt tradite in manus maioris ut eas custodiat quousque aliud inde prouisum fuerit.

1136. Postea, die Lune post octabas sancti Hillarii [22 January], maior fecit uenire illas cartas in hustingo coram omni populo, que lecte sunt distincte et aperte et quamplures articuli in illis contenti expositi qui sunt manifeste ad dampnum tocius ciuitatis et tocius regni, et ideo preceptum est assenciente *“tota communa ciuitatis ibidem presente”* quod ille carte sint nullius momenti et quod homines de officiis faciant officia sua sicut antea solebant,^c qua hora et ubi uoluerint et illa portant ad uendendum ubi uoluerint infra ciuitatem et extra, set quod opera illorum sint bona et legalia sub pena amittendi illa:

fo. 140^v ^dquod proclamatum fuit per totam ciuitatem.^d |

^a *Marginal ins. scribe 2*, De attachiamento Walteri Hereuy.

^b *Scribe 1*.

^c *Marginal ins. scribe 2*, De cartis adulterinis captis in manu maioris.

^{d-d} *Add. scribe 1*.

1137. ^aLittere domini regis respondententes litteris quas ciues nuper miserunt ei que lecte fuerunt in Gildallia die Dominica tunc temporis Septuagesima [28 January]:

1138. Edwardus Dei gracia rex Anglie, dominus Hybernie et dux Acquitannie maiori, uicecomitibus et communitati ciuitatis sue Londoniarum salutem. Super eo quod in absentia nostra postquam de partibus Anglie recessimus, bene et fideliter erga nos et nostros uos habuistis, grates nobis scimus speciales et specialiter gratum habemus, quod ut accepimus aduentum nostrum in Angliam quamplurimum desideratis. Vobis regando mandantes quatinus, sicuti retroactis temporibus bene uos gessistis, ita in futurum ad honoris nostri et uestri incrementum uos habere studeatis ut nobis inde honor accrescat et commodum, et ad grates speciales teneamur. Datum apud Boret uicesimo octauo die Decembris anno regni nostri secundo.

1139. ^bPostea, die apostolorum Philippi et Iacobi [1 May], in Gildhallia lecte fuerunt littere dicti domini regis sub hac forma:

1140. Edwardus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Acquitannie dilectis sibi maiori, baronibus et probis hominibus suis Londoniarum salutem. Ex quorundam fidelium nostrorum relatu plenius intelleximus quod contra solempnitatem coronacionis nostre prout regie dignitati et honori nostro magis conuenire creditis, diuersimode preparatis, super quo grates et gracias uobis referimus quas debemus. Verum quia cum quibusdam ciuitatis nostre predicte in proximo aduentu nostro Parisius, qui erit a festo Pentecostes in tres septimanas [10 June], habere uolumus colloquium speciale, uobis mandamus quod quatuor de discrecioribus ciuibus uestris ad nos ibidem tunc mittatis. Nos enim perfecto negocio nostro ibidem ad terram nostram diuertere proponimus, Deo dante. Mandamus eciam uobis quod pacem et tranquillitatem et iusticie complementum

^a *Scribe 2.*

^b *Scribe 1.*

in ciuitate predicta firmiter obseruari faciatis. Datum Burdegaliis tercio die Aprilis, anno
fo. 141 regni nostri secundo.]

1141. Hoc anno ante Pentecosten [20 May] et post Pentecosten confracte sunt per maiorem ciuitatis omnes mesure per quas bladum solebat uendi in ciuitate, et noua sunt confecta maioris quantitatis; quarum quelibet in superiori parte ligata est uno circulo ferreo inclauato clauis ferreis ne possint aliquando falsari. Quelibet uero mensura, scilicet quarterium, dimidium quarterium et bussellum sigillata est sigillo aldermanni.

1142. Eodem tempore fecit idem maior amoueri a foro omnes stallos carnificum et piscatorum et eciam stallos qui dimissi fuerunt et concessi per uicecomites precedentes aliquibus habendos et tenendos in feodo omnibus diebus uite sue, qui dederant pro hoc uicecomitibus magnam pecuniam.^a Vnde manifestum est quod ipse maior dissaisiauit ipsos de libero tenemento suo iniuste. Ipse tamen affirmauit quod hoc fecit ne aliqua immundicia remaneret in foro contra aduentum domini regis qui in breui tempore, ut dicebatur, uenturus fuit de partibus transmarinis in ciuitatem. Fecit eciam amoueri a foro alia^b que solebant uendi ibi quia uidebatur maiori quod forum fuisset occupatum illis mercimoniis, et assignauit ut illa mercimonia uenderentur in aliis locis.

1143. Postea, in crastino sancte Trinitatis [28 May], uenientibus maiore et ciuibus in Gildhalliam ad communia placita placitanda accesserunt quidam piscenarii, et precipue illi qui amoti fuerunt a foro, ostendentes conquerendo quod ipsi fuerunt disseisiti de libero tenemento suo in foro. Quibus responsum fuit per maiorem quod hoc factum fuit per consilium domini regis ne aliqua immundicia remaneret in foro contra aduentum suum. Walterus uero Herui queremonias predictorum piscenariorum sustinuit pro

^a *Marginal ins. scribe 1*, Quod maior fecit amoueri que inhonestabant forum.

^b *Ins. above line.*

fo. 141^v

posse suo contra maiorem et aldermannos, unde uerbosa contencio orta est inter dictum maiorem et predictum Walterum coram omni populo. Vnde maior | motus in iram cum quibusdam discrecioribus ciuitatis accessit ad consilium domini regis apud Westmonasterium ostendens eis quod tunc factum fuit in Gildhallia.

1144. In crastino uero peruenientibus maiore et ciuibus in Gildhalliam ad placita que incoata fuerunt die precedenti terminanda, ostensus fuit quidam rotulus et lectus coram dicto Waltero et omni populo in quo continebantur ^aplures articuli ualde notorii de presumpcionibus et iniuriis quas dictus Walterus fecerat dum fuit maior contra totam comunam ciuitatis^a et contra sacramentum suum. Vnde dictus Walterus degradatus fuit iudicialiter^b de aldermanneria sua et a consilio ciuitatis ^ainperpetuum priuatus^{a,b}. Precepitur^cque est^c uiris in illo aldermannatu manentibus ut ipsi eligerent uirum idoneum qui esset aldermannus de foro loco illius et ipsum presentassent ad proximam curiam in Gildhallia: ^dquod factum est.^d

1145. Hic subnotantur articuli de presumpcionibus Walteri Herui de quibus mencio facta est superius in hoc libro:

1146. In primis ipse iniuste testificauit quemdam attornatum receptum fuisse per breue domini regis in curia domini regis de placito terre, unde postea compertum fuit apud Gildefordiam quod nuncquam aliquod breue super hoc exierat a cancellaria; et ita notorium est quod ipse falso testimonium perhibuit de illo attornato contra sacramentum suum et contra fidem domini regis et ad exheredacionem partis aduerse.

1147. Item ipse tempore maioratus sui recepit breue domini regis ut ad certum diem ueniret apud Westmonasterium ostensurus quo iure ciues ipse dirent Waltero de

^{a-a} *Supplied in the margin scribe 1.*

^b *Marginal ins. scribe 1, Walterus Herui amotus est ab aldermannatu suo.*

^{c-c} *Ins. above line.*

^{d-d} *Add. scribe 1.*

Mertona seisinam de Mora. Et ipse, qui capud ciuitatis fuit et debet ciuitatem defendere, fecit defaltam et non retornauit breue per quam dicti ciues sunt in periculo dictam Moram amittendi.

1148. Item cum ipse tempore maioratus sui teneretur conseruare et obseruare facere omnes^a assisas factas per aldermannos et discretos uiros ciuitatis et proclamatas per totam ciuitatem, ipse permisit uendi ceruisiam ^bin warda sua^b pro tribus obolis lagenam^c et illam uendicionem | confirmauit imponendo sigillo aldermannatus sui in quadam mensura iniusta facta contra statuta ciuitatis que continebat tantummodo sextam partem lagene.

fo. 142

1149. Item cum ipse qui nec partem sustinere nec salarium capere debet aliquo modo, ipse contra sacramentum suum feoda capit per totam ciuitatem, et quamdam summam pecunie capit annuatim de communitate piscenariorum ad sustinendos ipsos in causis suis tam iniustis quam iustis.

1150. Item de litteris patentibus quas quidam de officiis fecerunt et noua statuta ordinauerunt ad eorumdem commodum proprium solummodo et ad dampnum tocus ciuitatis et tocus regni, quibus litteris ipse posuit partem sigilli communitatis que fuit in manus suas dum fuit maior sine assensu aldermannorum et aliorum uirorum pro magna pecunia recepta ab illis de officiis, satis notatum est et liquide in quarto et tercio foliis precedentibus huius libri;^d et eciam ibidem scriptum est qua de causa attachiatus fuit per duodecim manucaptos.

1151. Item cum bladum, uinum et huiusmodi ueniens in ciuitatem ad uendendum reduci non debeat extra ciuitatem set uendi in ciuitate secundum legem et

^a *Supplied over an erasure.*

^{b-b} *Supplied in the margin scribe 1.*

^c *Supplied over an erasure.*

^d *cc. 1132-36.*

consuetudinem ciuitatis, ipse mercede capta, uidelicet de aliquo mercatore doleo uini, de aliqua pipa, de aliquo uiginti solidos, permisit plusquam mille dolia abduci a ciuitate contra sacramentum suum et ad magnum dampnum ciuitatis.

1152. Item tempore quo contencio fuit inter maiores et minores de ciuitate super eleccione maioris, ipse sine assensu domini regis et magnatum ciuitatis fecit assidere inter complices suos, tunc temporis ei adherentes, unum tallagium ad summam quadraginta marcarum et amplius, que pecunia assignata fuit per ipsos ad commune negocium illorum prosequendum; quam pecuniam ipse totam conuertit in usus proprios.

fo. 142^v **1153.** Item per procuracionem suam quidam de ciuitate, de Stebenhe, Stratfordia et Hakeneya uenerunt in pleno hustingo ducentes secum quemdam causidicum, fecerunt iniustam querimoniam de maiore | qui habuit de facto suo warantum sufficiens, scilicet consilium domini regis. Ipse uero Walterus stetit cum illis et querimoniam illorum sustinuit sicut prenotatur in secundo folio precedenti huius libri.^a

1154. Hoc anno quarto decimo die Iunii, tunc temporis die Iouis, uenit Londonias a transmarinis partibus filius domini regis nomine Aunfurs qui natus fuit circa festum Omnium Sanctorum [1 November] proximo precedens apud Burdegalis in Vasconia.^b Nate uero fuerunt ei due filie in terra sancta quarum una mortua est et altera uenit cum eo et cum regina usque in Vasconiam, que postea tradita est ad nutriendam comitisse de Puntif que quondam fuit regina Hispannie matri dicte regine.

1155. Postea, proxima die ante festum sancti Botulfi [16 June], elegerunt ciues in Gildhallia Henricum le Waleys maiorem, Gregorium de Rokesle, Iohannem Horn et

^a c. 1143.

^b *Marginal ins. scribe 1*, De aduentu filii domini regis Londonias a transmarinis.

Lucam de Batencurt ad transfretandum ad dominum regem, sicut nuper mandauerat per litteras suas in hoc libro prescriptas,^a qui arripuerunt iter suum cum honore die Lune proxima subsequente [18 June].^b

1156. Elegerunt eciam Willelmum de Dureham, Philippum Cissorem et Henricum de Fruwyk die predicto ante festum sancti Botulfi ut essent custodes ciuitatis in ausencia maioris. Assignati autem sunt per maiorem Walterus le Poder, Petrus Cusin et Robertus de Meldeburne ut in nundinis sancti Botulfi audiant omnes querelas factas de ciuibus ibidem et illas terminandas sine aliquo balliuo nundinarum, sicut rex ciuibus concessit olim quando pax reformata fuit inter ipsos post turbacionem regni habitam tempore domini Simonis de Monteforti.

1157. ^cPostea ipsi ciues a die qua recesserunt in unum mensem reuersi sunt Londonias, scilicet septimo decimo kalendas Augusti [16 July].

1158. ^dPostea, in uigilia sancte Margarete [19 July], Gregorius de Rokesle et quidam alii ciues, sicut eis fuit iniunctum per ipsum dominum regem, profecti sunt uersus mare ad tractandum de pace inter ipsum regem et comitissam Flandrie ad tardius apud Musteroil
fo. 143 tertia die post festum sancte Magdalene [24/25 July]. |

1159. De Iudeis. Hoc anno, infra octo dies ante festum sancti Iohannis baptiste [24 June], quia maior tunc temporis erat in itinere uersus dominum regem existentem in partibus transmarinis, accesserunt uicecomites cum quibusdam discretis uiris ciuitatis coram consilio domini regis apud Westmonasterium, quos illi de consilio coram quibusdam Iudeis ibidem presentibus posuerunt ad rationem ita dicentes, 'Notorium est quod Iudei omnia animalia et uolatilia quorum carnibus uescuntur propriis manibus

^a *cc. 1139-40.*

^b *Marginal ins. scribe 1, De ciuibus transfretantibus uersus regem.*

^c *Scribe 2.*

^d *Scribe 1.*

interficiunt. Quedam uero animalia arbitrantur de lege sua, quedam non; de carnibus illorum que sunt de lege comedunt et non de aliorum carnibus. Quid ergo faciunt Iudei de carnibus illorum que non sunt de lege sua? An liceat Christianis illas emere et manducare?'. Ad quod responsum est per ciues quod si quis Christianus aliquas tales carnes de Iudeo emerit ipse statim erit excommunicatus, et si super hoc per uicecomites ciuitatis uel per aliquem alium conuictus fuerit, amittet carnes illas et dabuntur leprosis uel canibus ad manducandum, et erit in graui misericordia uicecomitum. 'Set si uidetur uobis illam penam nimis leuem esse, prouideat discrecio uestra tales Christianos grauiori pena esse infligendos.' Dicunt illi de consilio regis, 'Nos nolumus tales grauiori pena infligi sine domino rege quia istud istud negocium tangit Iudeos, qui sunt domini regis, set uobis in fide qua tenemini domino regi firmiter precipimus quod illam consuetudinem in ciuitate firmiter faciatis obseruari.' |

fo. 143^v

1160. De sinodo celebrata apud Lugdonum per Gregorium papam decimam anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto mensibus Iunii et Iulii.

1161. In principio ordinatum est de subsidio terre sancte dando.

1162. Item ea que facta sunt et ordinata in predicto concilio super eleccionibus. postulacionibus et prouisionibus. |

fo. 144

1163. De nobilitate attornata contra coronacionem domini Eadwardi regis filii regis Henrici filii regis Iohannis.

1164. Memorandum quod omnis terra uacua que fuit infra clausturam pallacii sui apud Westmonasterium extitit nobilissime edificata domibus et aliis officinis, ita quod nulla pars possit ibi uacua inueniri. Extiterunt ibi in parte australi ueteris pallacii sui constructa multa pallacia undique quotquot ibidem possent edificari, in quibus erecte

sunt mense in terra firmiter fixe; super quas mensas magnates et principes et nobiles debent refici in die coronacionis sue et per quindecim dies post suam coronacionem, ita quod omnes tam pauperes quam diuites ad solemnitatem coronacionis sue aduenientes gratis recipiantur et nullus expellatur.

1165. Edificantur eciam infra dictam clausturam tot coquine in quibus uictualia debent preparari contra dictam solemnitatem de quibus non est numerus. Et ne ille coquine sufficissent ut illa uictualia in eis non possint preparari, posita sunt ibi uasa plumbea extra coquinas innumerabilia in quibus carnes coqui deberent. Et memorandum quod illa magna coquina in qua uolatilia et alia debent assari igne est tota discoperta in summitate sua ut omnimodus fumus possit exire.

1166. De aliis utensilibus quibus necesse est ad tam magnam curiam sustinendam non potest aliquis in scriptis redigere. De uinis nescit aliquis dolea que ad hoc preparata sunt numerare.

1167. Et ut omnia concludam, nuncquam aliis temporibus retroactis tam magna plenitudo de deliciis et omnibus bonis que pertinent ad nobilissimam curiam celebrandam fuit preparata. |

fo. 144^v

1168. Item magna aula et parua dealbate sunt de nouo et depicte, ita quod oculi infra illas intrancium et tantam pulcritudinem intuencium plenius deliciis et gaudio repleantur. Et si aliquid infra clausturam pallacii domini regis per uetustatem uel aliquo alio modo fuerit fractum uel deterioratum, in bonum statum reparatum est.

1169. ^aMemorandum ke le dimeyne au comensement de careme [16 February], l'an du rey Edward segound, fut hune baleyne pris en Tamise pres de Grenewis; e fut la baleyne

^{a-a} *Add. scribe 4.*

de .xij. teyses de lounge e de .v. teses de grosour, e fut mene a la Tour de Loundres e a la <Tour> desewre par le conetable sire Ioun de Cronwelle a leu le rey.^a

1170. ^aParliamentum domini regis Edwardi in ciuitate Londoniarum apud fratres predicatorum, le lundy prochein apres la Assumpcion nostre Dame^b [16 August] le an nostre seigneur le rei Edward fiz au rei Edward quint en la presence le erseueske de Canterbire e plusours eueskes de la terre, countes e barons; a quel parlement furent iure touz les auaunt dit seignours, e le chaunceler, e tresourer, e iustices, e barons del eschekere, e chivalirs de touz les countees, e le meire e les aldermans de Londres ouek touz les meillour genz de la cite a garder e a meyntener touz les estatuz ordinees en l'auaunt dit parlement al profit le rei e son peuple. Le quel parlement dura par .xv. iours e a prochein reuenyr de nostre seigneur le rei a la meison des Freres Precheours en Londres furent les auant dit estatuz pupplyses par le eueske de Salesbyre, lutenant le arseueske de Caunterbyri, en | la symitere Seint Poel en la presence de plusours eueskes e le counte de Lancastre e de Nichole ^ce de Leycestre,^c de Ferys, Salesbyry; sire Emeir de Valence counte de Penebrok; ^de le^d counte de Warwyk; e le counte de Hereford; sire Hige de Ver counte de Oxeneford; e le counte de Arundel; e plusours barons de la terre, c'est a sauer le lundy prochein deuaunt la seint Michel [27 September] le an nostre seigneur le rei auant dit. E le mardy prochein apres la seint Michel [5 October] ueynt le counte de Gloucestre, monsire Henry de Percy, sire Hige Desepencer, sire Robert le Fiz Payn, sire Payn Tippetout, le chanceler, le tresourer e autre seignours de conceil le rei e pronuncierent les auaunt dites estatuz par le graunt e la bone uolunte nostre seigneur le rei de estre meyntenees e afermees parmy son reame a la Croys en la cymiterie auaunt dite de Seint Poel en presence de tout le peuple. E le lundy prochein deuaunt le

fo. 145

^a *Scribe g.*

^b *Ins. above line.*

^{c-c} *Ins. above line.*

^{d-d} *Ins. above line.*

iour seint Edward le rei [11 Ocober] furennt les auaundit estatuz aseles del graunt seal le rei oue ces brefs enueez parmy les countees a pupplier e afermer les auaundits estatutz; e meme le iour remua le rei hors de Londres uer son chastel de Wyndelsore.

1171. Memorandum qe le iur seint Agneis uirgine e martir [21 January] l'an auantdit isserent les bref le rei oue ces lettres desuz son priue seal de la targe parmy tuz les contes de Engleterre a pupplier pur sire Piris de Gauastone counte de Cornwaille sa reuenue par mandement le rei en sa terre, cum pur, bon e leal k'auaunt fust exile parmy le fet le roi; e assent de arseueske, euesskes, countes e barons. Le queu mandement uient de Euerwyk e fust pupplie a Londres le samadi prochein apres le Conuersacion seint Poel [29 January]. |

fo. 145^v

1172. Anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi septimo. Fet a remembrer qe le dymayngne prechein deuant le iour seint Luc le euangeliste [14 October] uient le conte de Lancastre, le conte de Warwyk, le conte de Hereford, le conte de Arundel, sire Henry de Percy, sire Roberd de Clifford, sire Ion Botetourte e austres nient nomes en la sale de Westmonster deuant le rei a haut deys ienulauns e obeisaunce fere a lur seigneur e pardon requere. E yl de sa franche uolunte lur graunta e de touz trespas iesqes a cel iur sa lettre a eus dona; e lendemein son general parlement comensa.

1173. Memorandum qe la ueille de la Natiuite seint Ion le baptist [23 June], par un dymeigne, uyent le rei d'Engleterre, le counte de Gloucestre, le counte de Hereford, le counte de Penebrok e plusours barouns d'Engleterre oue banyres desplaes en Escoce pres del chastel de Estriuelyn, e bataylle donerunt a Robert de Brus e a tote sa force en champ. En queu champ la descomfature chey uer les genz d'Engleterre le iur seint Ion prochein suwaunt. E morut le dit counte de Gloucestre, Robert de Clyfford, baron Gyles de Argenteym, Payn Tipetost, Willame le Mareschal e autres barouns e chyualers; e le

counte de Hereford pris, Iohan de Sagraue pris, Rauf de Monhermer pris e autres barres
fo. 146 e chyualers pris; e le rei esloyngna saunz mal auer de son corps e reuyent a Berwyk. |

1174. ^aL'an Edward .xiiij. en haut. Memorandum qe le rey, le counte de Langautre, le
counte Mareial, le counte de Riimound, le counte de Peneprok, le counte de Hereford, le
fo. 146a counte de Warenne, le counte d'Aroundel e plusour barouns alerent en Ecosse gerer seur
Roberd de Brus. |

1175. ^bPor ce que contenz sunt emmeuz en cest reaume d'Engleterre contre acuns e les
uns s'afforcet greuer les autres a tot lor poer, nos Simon de Mountfort conte de Leyc' e
senescal d'Engleterre, Gilbert de Clare, Huges le Despenser iustice d'Engleterre, Robert de
Ferers conte de Derby, Henri de Mountfort, Simon de Mountfort le fiuz, Thomas fiuz
Thomas maire de Lundres e le commun de meimes la cite de Lundres, Pieres de
Mountfort, Ricard de Grey, Henri de Hastinge, Iohan le fiuz Iohan, Robert de Veupont,
Iohan de Eyuile, Robert de Ros, Willaume Marmion, Baudewyn Wake, Oubert Giffard,
Nicholas de Segraue, Geffroi de Lucy, Iohan de Vescy e Willaume de Moncheaesy por nos
garder de que l'en ne nos greue a tort auom promis en bone foy e iure que nos nos
entraidrons uers totes genz que a tort greuer nos uodront; e de les choses nule pes ne
forons sanz commun acord de nos e de nos amis qui a nos se tienent en ceste bosoigne.
E de cest heure en auaunt nos entretendrons e nos e tous ceus qui a nos se tenent en
totes dreitureles quereles, e de nos fraunchises e costumes sauuer e maintenir contre
tous ceus qui afforcier nos uodront. E ces choses auom nos fetes, sauue la fey nostre
seignur le rey en tote choses. E en temoing de ces choses auom fet faire dous escriz
endentez en maner de cyrograf, dont l'un remaint uers le mayre e le commun auaunt
diz, saellees des saeus le conte e des autres houz homes auaundiz, e l'autre uers mannes

^a *Scribe 4.*

^b *Scribe 14.*

celuy conte e les autres houz homes en la garde la iustice saelle de sael commun de Lundres. Done a Lundres le lundi prochain apres [... ...] l'an del incarnation nostre

fo. 146a^v Seigneur .mclx. quarte. |

1176. ^aPor ce ke sire Simon de Mont Fort cunte de Leicestre e le haus humes de la terre ke de cele part se tenent, e le meire e les baruns de la cite de Lundres sunt entre aliet e assure par serement, e par escrit endentet pur nus garder ke l'em ne nus greue a tort, pur ueu est ke chescun alderman teine sun wardemot de tuz ceus ke sunt de .xij. aunz e de plus, e les face iurer sur le liuere ke il tendrunt meime le serement ke les auters unt iure; ce est a sauer ke les auandis baruns e nus nus entretendrums uers tute gens ke a tort greuer nus uoudrunt, e ke de ce choses nule pes ne frum saunz comun acord de eus e de nus, e de cest ure en auant nus entre tendrums en tute dreitule quereles, e de nos fraunchises e de nos custumes sauuer e meintener encuntre tuz ceus ke deforcer nus

fo. 146b uoudrunt, sauue la fey le rei en tute choses. |

1177. ^bLe an del incarnaciun nostre Seygneur .mcccij. la ueyle nostre Dame en Septembre [7 September], par samedy, wyndrent a la cyte de Arayne en Chaumpayne denz la nuyt sire Willame de Niggarett' par le reys de Fraunce en les armes le rey de Fraunce oue la banere, e Scarra de la Calumpni oue la chiualerie de Chaumpayne e lur poer soudez du reys de Fraunce [...] ke l'en dyt; e troueyent en la cyte de Arayne de lur aseut le mareschal la pape e de le eglise de Roume, e sire Adenulf del Arte, sire Matheu e les chyualers de [...] oue les autres chyualers de Arayne par les quels il aiueynt entre en la cyte de Arayne; e al poynt de iur si doneyent le assaut al paleys la pape e al paleys le markys neuue la pape, e duraunt l'assaut fuirent les cardinals, sire Francisk neuue la pape, e frere Gentyll le haut penaunser. E les auant dit chyualers foresters de Arayne

^a *Scribe 1.*

^b *Scribe 15.*

[...] oue treys baners de Fraunce, del eglise de Roume e de la Calumpne poyneynt lur destrers parmy la cyte de Araine curaunt e cryaunt `Meure le patryn e uyue la Colump[...] e le reys de Fraunce!` A ky assenteint tut le poeple de Arayne saunz countredyre e a lur banurs leus alerent assayler la pape e le markys. E auaunt prime del iur si sustpris le markys e [...] de ses fyz; e a heure de tierce le pape e le cardinal sire Pieres les Spaynol e [...] tost en sygne de uictorye si boteyent hors a quatre fenestres del paleys le pape les quatre dites baneres de Fraunce, del eglise, de la Calumpne e de Arayne. E pus se dineyent a la roberye e derobbeyent le pape e le markys e treys cardinals – sire Peres les Spaynol, sire Francisk e frere Gentyloue, e tote lur meysne [...]temment, e pur ne lesseient ke il poent estre enporte ou amenee. E les marchaunz de la [...] eglise nostre Dame ou il ardeynt le us del muster pur defaute d’entree; e le pape e le markys e les autres seygnurs demorreyent en prisun e en exil del samedy [... ...] a lundy deynz quel tens les Romeyns a Roume derobeyent le paleys le pape a seint Iohan de Lateran, e sun uikeyre, e deus autres eglises ou le pape aueyt sa [...] les armes del lygnage le pape par tote la cyte de Roume. E le lundy a matyn se ass[...]eyent trestuz les genz des armes ke furent en Arayne deuaunt le paleys le pape [...] tost ceus de Arayne crieient ‘Vyue le pape!’ e par force engitteyent les foresters [...], fust le pape delyure, e se ropserent [...]ges totes les autres [...]. |

fo. 146b^v

1178. ^a[...] preseyn suaunt apres la seyn Martin l’an du rey Edward [... ...] l’apptyle tronise aliouns seuione en la presense [...] e heu soun aler uer soun paleys amena le duk [... ...] sire Iarles de Fraunse le freyn deu palefrey la pape [...] meur e abatr l’apptyle a tere e tua la [...] Iarles, sire Louis frere le rey e defons [...] l’awaunt dit meur cocaunt le iemin. [... ...] pape morut entre la Pacce e la Penttecoutte [...]. Memorandum ke le samady en la primere simeyne de Kareme l’an Edward [...] le

^a *Scribe 4.*

gardinal sire Peres l'Eypaynol a Loundres, e ala au rey Edward en Ecosse en meiale par
fo. 146c l'apouttoyle. |

1179. [...] se fit en Tour la Pacce [7 April] l'an du rey Edward .xxxj..

^aNous uus comandoms de par nostre seynur le rey sur forfaiture de uie et de membre e de terres e de chateux et sur quant que uus poez forfaire, que touz ceaux qui riens ount troue de tresor nostre seynur le rey, soit or ou argent ou pere ou autre chose quey qu il soyt, dedens uille ou dehors en quel luy qe coe fait, de sa tresorie a Westmoster que est debresee, uiegnent a la Gihale deuant le meire et les uescuntes et toe qe il aueraunt troue reddent entre cy e dimenge procheyn a uespre.

1180. Nous uus comandoms ensement de par nostre seynur le rey sur la forfaiture auant dite qe tous ceaux qui de mesme ce tresor riens ount uendu on achate, ou qe sachent qe nully de ce tresor memes unt riens uendu ou achate, ou que sachent qi de ce riens ad troue ou en garde eyent en quele manere qe ce feyt, uiegnent a la Gihalle deuant le meire e les uescuntes et mustrent et reconensent ce qu il en seuent entre cy e dimanche a uespre, auxi come auant est dyt. Et qui quonques cel ne faunte de coe iour en
fo. 146v auant le rey les tendra pour ces felouns. |

1181. ^bAnnus Domini millesimus ducentessimus sextus decimus in festo Simonis et Iude [28 October] fuit annus regni regis Henrici primus.

Annus septimus decimus fuit annus secundus.

Annus octauus decimus fuit annus tercius.

Annus nonus decimus fuit annus quartus.

^a *Scribe 16.*

^b *Scribe 2.*

Annus millesimus ducentessimus uicesimus fuit annus regni regis Henrici quintus.

Annus uicesimus primus fuit annus sextus.

Annus uicesimus secundus fuit annus septimus.

Annus uicesimus tercius fuit annus octauus.

Annus uicesimus quartus fuit annus nonus.

Annus uicesimus quintus fuit annus decimus.

Annus uicesimus sextus fuit annus undecimus.

Annus uicesimus septimus fuit annus duodecimus.

Annus uicesimus octauus fuit annus tredecimus.

Annus uicesimus nonus fuit annus quartus decimus.

Annus millesimus ducentessimus tricesimus in predicto festo fuit annus quintus decimus.

Annus tricesimus primus fuit annus sextus decimus.

Annus tricesimus secundus fuit annus septimus decimus.

Annus tricesimus tercius fuit annus octauus decimus.

Annus tricesimus quartus fuit annus nonus decimus.

Annus tricesimus quintus fuit annus uicesimus.

Annus tricesimus sextus fuit annus uicesimus primus.

Annus tricesimus septimus fuit annus uicesimus secundus.

Annus tricesimus octauus fuit annus uicesimus tercius.

Annus tricesimus nonus fuit annus uicesimus quartus.

Annus millesimus ducentessimus quadragesimus fuit annus uicesimus quintus.

Annus quadragesimus primus fuit annus uicesimus sextus.

Annus quadragesimus secundus fuit annus uicesimus septimus.

Annus quadragesimus tercius fuit annus uicesimus octauus.

Annus quadragesimus quartus fuit annus uicesimus nonus.

Annus quadragesimus quintus fuit annus tricensimus.

Annus quadragesimus sextus fuit annus tricensimus primus.

Annus quadragesimus septimus fuit annus tricensimus secundus.

Annus quadragesimus octauus fuit annus tricensimus tercius.

Annus quadragesimus nonus fuit annus tricensimus quartus.

Annus Domini millesimus ducentessimus quinquagesimus fuit annus tricensimus quintus.

Annus quinquagesimus primus fuit annus tricensimus sextus.

Annus quinquagesimus secundus fuit annus tricensimus septimus.

Annus quinquagesimus tercius fuit annus tricensimus octauus.

Annus quinquagesimus quartus fuit annus tricensimus nonus.

Annus quinquagesimus quintus fuit annus quadragesimus.

Annus quinquagesimus sextus fuit annus quadragesimus primus.

Annus quinquagesimus septimus fuit annus quadragesimus secundus.

Annus quinquagesimus octauus fuit annus quadragesimus tercius.

Annus quinquagesimus nonus fuit annus quadragesimus quartus.

Annus millesimus ducentessimus sexagesimus fuit annus quadragesimus quintus.

Annus sexagesimus primus fuit annus quadragesimus sextus.

Annus sexagesimus secundus fuit annus quadragesimus septimus.

Annus sexagesimus tercius fuit annus quadragesimus octauus.

Annus sexagesimus quartus fuit annus quadragesimus nonus.

Annus sexagesimus quintus fuit annus quinquagesimus.

Annus sexagesimus sextus fuit annus quinquagesimus primus.

Annus sexagesimus septimus fuit annus quinquagesimus secundus.

Annus sexagesimus octauus fuit annus quinquagesimus tercius.

Annus sexagesimus nonus fuit annus quinquagesimus quartus.

Annus millesimus ducentessimus septuagesimus fuit annus quinquagesimus quintus.

Annus septuagesimus primus fuit annus quinquagesimus sextus.

Annus septuagesimus secundus fuit annus quinquagesimus secundus.

1182. Cuius quinquagesimi septimi anni uicesimo die obiit predictus rex Henricus filius regis Iohannis cum regnauerat plenarie per quinquaginta sex annos et uiginti dies; cuius anime propicietur Deus. Amen.

fo. 147 **1183.** ^aMemorandum ke le rey Edward fis le rey Henri rengna .xxxiiij. hauns, .viiij. meyuns, .iiij. iours e morunt aus leus de Carlil; e lit a Wemontter. |

1184. ^bCapitula prouisionum factarum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, quorum maior pars ordinata fuit tempore comitis Leycestrie, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

1185. Capitulo primo - Nullus uindictam capiat de iniuriis sibi illatis.

1186. Capitulum tercium – Siquis distringit tenentem suum iniuste.

1187. Capitulum secundum - Siquis distringit aliquem ad ueniendum ad curiam suam qui non est de foedo suo.

1188. Capitulum quartum - Nullus ducat distructiones extra comitatum.

1189. Capitulum quintum - Distructiones sit rationabiles et non nimis graues.

1190. Capitulum sextum - Magna carta teneatur.

1191. Capitulum septimum - De hiis qui heredes suos infra etatem feofant.

1192. Capitulum octauum - De feofatis sub colore auferendi dominis feodi custodiam heredum feofatoris.

1193. Capitulum nonum - Si dominus implacitet aliquem iniuste fingens predictum casum.

1194. Capitulum decimum - De magna districtione de custodiis.

1195. Capitulum undecimum - De custodiis que pertinent ad heredes infra etatem.

^a *Scribe 4.*

^b *Scribe 17.*

- 1196.** Capitulum duodecimum - De iterata disseisina.
- 1197.** Capitulum tredecimum - De sectis curie.
- 1198.** Capitulum quartum decimum - De feofatis sine carta a tempore conquestus.
- 1199.** Capitulum quintum decimum - De feofatis per cartam continentem certum seruicium.
- 1200.** Capitulum sextum decimum - Si terra pluribus heredibus deuoluatur.
- 1201.** Capitulum septimum decimum - Si plures sint feofati de terris de quibus unica tertia debebatur.
- 1202.** Capitulum octauum decimum - Si domini distringant tenentes suos contra prouisiones factas pro huiusmodi secta.
- 1203.** Capitulum nonum decimum - De sectis subtractis.
- 1204.** Capitulum uicesimum - De turnis uicecomitum.
- 1205.** Capitulum uicesimum primum - Ne aliquid capiatur pro pulcre placitare.
- 1206.** Capitulum uicesimum secundum - De dotibus mulierum.
- 1207.** Capitulum uicesimum tercium - De ultima presentacione ecclesiarum.
- 1208.** Capitulum uicesimum quartum - De atachiamentis faciendis in breuibus ubi atachiamenta iacent.
- 1209.** Capitulum uicesimum quintum - Quod positus in inquisicione non habeat nisi unicum essonium.

1210. Capitulum uicesimum sextum - De illis qui habent cartas exempcionis et libertatis.

fo. 147^v **1211.** Capitulum uicesimum septimum - Si heres post mortem antecessori sui fuerit infra etatem. |

1212. Capitulum uicesimum octauum - Si heres in morte antecessori sui de etate.

1213. Capitulum uicesimum nonoum - De hereditatibus qui de rege tenentur in capite.

1214. Capitulum tricesimum - De terris que tenentur in socagio.

1215. Capitulum tricesimum primum - Quod nullus posset ameriare aliquem pro defalta communis summonicionis preter capitalem iusticiarium uel iusticiarii in itinere suo.

1216. Capitulum tricesimum secundum - Quod nullus tenetur iurare pro essoneis.

1217. Capitulum tricesimum tertium - Nullus teneat placita de falso iudicio excepto rege.

1218. Capitulum tricesimum quartum - Quod uicecomes debet deliberare namia iniuste capta.

1219. Capitulum tricesimum quintum - Nullus respondeat de libero tenemento suo sine breui regis.

1220. Capitulum tricesimum sextum - De balliuis qui debent comptum dominis suis.

1221. Capitulum tricesimum septimum - Quod firmarii non faciant uastum.

1222. Capitulum tricesimum octauum - Quod uillate non amercentur in itinere iusticiariorum.

1223. Capitulum tricesimum nonum - De murdro.

1224. Capitulum quadragesimum - De illis qui uocati sunt ad warantum coram iusticiariis itinerantibus.

1225. Capitulum quadragesimum primum - De clericis rectatis uel appellatis.

1226. Capitulum quadragesimum secundum - De rapinis factis prelati sancte ecclesie.

1227. Capitulum quadragesimum tercium - De disseisinis factis uiris religionis.

1228. Capitulum quadragesimum quartum - De breui de ingressu.

1229. Incipiunt noue prouisiones.

1230. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo,^a regni autem domini Henrici regis filii regis Iohannis quinquagesimo secundo, in octabas sancti Martini [18 November], prouidente ipso domino rege ad regni sui Anglie melioracionem et exhibicionem iusticie, prout regalis officii exposcit utilitas, pleniorum, conuocatis discrecionibus eiusdem regni tam ex maioribus quam minoribus firmiter ac inuiolabiliter tempo|ribus perpetuis obseruetur.

fo. 148

1231. Capitulum primum - Cum igitur tempore turbacionis nuper in regno suborto et deinceps multi magnates et alii iusticiam non dignati fuerint recipere per dominum regem et curiam eius, prout debuerant et consueuerant temporibus predecessorum ipsius domini regis et eciam tempore suo, set de uicinis suis et aliis per se ipsos grauiter ulciones fecerint et grauas districciones quousque redempciones recipere ad uoluntatem suam. Et preterea quidam eorum se iusticiari non permittant per ministros domini regis nec sustineant quod per eos liberentur districciones, quas auctoritate

^a *Ins. above line.*

propria fecerint ad uoluntatem suam, prouisum est et concorditer concessum quod tam maiores quam minores iusticiam faciant et recipiant in curia domini regis, et nullus de cetero ulciones aut districtiones faciat per propriam uoluntatem suam absque consideracione curie domini regis si forte dampnum uel iniuria sibi fiat, unde emendas habere uoluerit de uicino suo, siue maiore uel minore. Super articulo autem supradicto prouisum esset^a concessum ut, siquis de cetero ulcionem huiusmodi capiat per uoluntatem suam propriam sine consideracione curie domini regis et inde conuincatur, puniatur per redempcionem et hoc secundum quantitatem delicti. Et si super uicinum suum faciat districtiones sine consideracione curie, per quod dampnum habeat, puniatur eodem modo et hoc secundum delicti qualitatem, et nichilominus fiant emende plene et sufficientes eis qui dampnum sustinuerint per huiusmodi districtiones.

fo. 148^v **1232.** Capitulum secundum - Nullus insuper maior uel minor distringat aliquem ad ueniendum ad curiam suam qui non sit de feodo suo aut super ipsum habeat iuredictionem per hundredum uel balliuam que sua sit: et qui contra fecerit puniatur eodem modo et hoc secundum delicti quantitatem. Siquis autem maior uel minor permittere nolit liberari per ministros domini regis, et secundum legem et^b consuetudinem regni districtiones quas fecerit, aut eciam si sustinere noluerit execuciones iudicorum curie domini regis fieri aut eciam sustinere noluerit summoniciones et attachiamenta fieri secundum legem et consuetudinem regni, puniatur modo predicto tamquam se iusticiari non permittens et hoc secundum delicti quantitatem.

1233. Capitulum tertium - Quod siquis autem maior uel minor districtiones faciat super tenentem suum pro seruiciis aut consuetudinibus que sibi deberi dicat uel pro re altera,

^a est et, P. Brand, *Kings, Barons and Justices: The Making and Enforcement of Legislation in Thirteenth-Century England*, 456.

^b *Ins. above line.*

unde ad dominum feodi pertineat facere districciones, et postea conuincatur quod tenens eius ea sibi non debeat, non ideo puniatur dominus per redempcionem sicut in casibus supradictis si permittat districciones liberari secundum legem et consuetudinem regni, set amercietur uelud hactenus fieri consueuerit et tenens dampna sua plene recuperet uersus eum.

1234. Capitulum quartum - Nullus de cetero ducere faciat districciones quas fecerit extra comitatum in quo fiunt; et si uicinus hoc fecerit supra uicinum suum per uoluntatem suam et sine iudicio puniatur per redempcionem ut supra, ueluti de re contra pacem. Verumptamen si dominus hoc supra tenentem suum facere presumpserit castigetur per grauem misericordiam.

1235. Capitulum quintum - Districciones insuper sint racionabiles et non nimis graues, et siquis districciones fecerit irracionabiles et indebitas, grauiter amercietur propter excessum districtionum ipsarum.

1236. Capitulum sextum - Magna Carta in singulis suis <articulis>^a teneatur tam in hiis que ad regem pertinent quam ad ad alios; et hoc iusticiariis <in>^b itinerantibus suis et uicecomitibus in | suis comitatibus cum opus fuerit demandetur; et breuia uersus eos qui contrauenerint gratis concedantur coram rege uel coram banco uel coram iusticiariis itinerantibus cum uenerint in partes illas.

1237. Capitulum septimum - De hiis autem qui primogenitos et heredes suos infra etatem existentes feofare solent de hereditate sua, ut per hoc amitterent feodorum domini custodias suas, prouisum est concorditer et concessum ut occasione huiusmodi feofamenti nullus capitalis dominus custodiam suam amitat.

^a *Brand, Kings, Barons, and Justices, 460.*

^b *Ibid. 460.*

1238. Capitulum octauum - De hiis insuper qui de terris suis, quas tradere uolunt ad terminum annorum, et ut domini feodorum amittant custodias suas, falsa confingunt feofamenta continencia quod eis satisfactum est de summa seruicii in illis contenti usque ad terminum aliquem et quod post terminum predictum soluere teneantur huiusmodi feofati summam aliquam ualorem terrarum illarum in multo excedentem, ut sic post terminum illum terra eorum reuertatur ad ipsos, eo quod nemo eas pro tanto tenere curaret, prouisum est et concessum ut per huiusmodi fraudem nullus capitalis dominus custodiam suam amittat. Verumptamen non licebit eis huiusmodi feofatos sine iudicio disseisire set breue capiant de custodia huiusmodi sibi reddenda, et per testes in cartis de huiusmodi feofamento contentos, una cum aliis liberis et legalibus de patria, et per quantitatem ualoris tenementi et per quantitatem summe que reddi debet post terminum predictum attingatur utrum huiusmodi feoffamentum bona fide factum sit uel in fraudem ad auferendum capitalibus dominis custodiam suam. Si tamen capitales domini per iudicium curie recuperent in huiusmodi casibus custodiam suam, salua sit nichilominus huiusmodi feoffatis actio sua, quo ad terminum seu ad feodum recuperandum cum heres ad legittimam etatem peruenerit. |

fo. 149^v

1239. Capitulum nonum - Quod si aliqui capitales domini feoffatos aliquos maliciose implacitauerint fingentes casum istum, ubi feoffamenta legittime et bona fide facta fuerint, tunc adiudicentur feoffatis dampna sua et mise sue quas fecerint occasione placiti predicti, et ipsi actores per misericordiam grauiter punientur.

1240. Capitulum decimum - In placito uero communi de custodiis si ad magnam districtionem non uenerint deforciantes, tunc bis uel ter iteretur breue predictum ad terminos quibus poterit fieri infra medietatem anni sequentis, ita quod singulis uicibus

legatur breue in pleno comitatu, ^anisi prius^a inuentus fuerit deforciator et ibi publice denunciatur ut ueniad ad diem sibi prefixum. Quod si ipse se subtraxerit, ita quod infra predictam medietatem anni responsuri^b non uenerit, nec uicecomes illum inuenire possit, per quod corpus suum habere possit coram iusticiariis ad respondendum secundum legem et consuetudinem regni, tunc tamquam rebeli et se iusticari non permittens amittat seysinam huiusmodi custodie, salua sibi alias accione sua, si forte ius habeat ad eandem.

1241. Capitulum undecimum - In casibus autem ubi custodie pertinent ad custodes heredum infra etatem existencium et uersus custodes ipsos petuntur custode que accidunt heredibus illis tamquam pertinentes ad eorum hereditatem non amittant huiusmodi heredes infra etatem existentes per negligenciam uel rebellionem sui custodis, sicut in casu predicto, set currat lex eodem modo quo prius consueuit.

1242. Capitulum duodecimum - Illi autem qui pro iterata disseisina capti fuerint et detenti non deliberentur sine speciali precepto domini regis et hoc per fidem cum domino rege faciendam pro huiusmodi transgressione sua; et si compertum fuerit quod uicecomes eos aliter deliberauit grauiter propter hoc amerietur et nichilominus illi qui per uicecomitem sine precepto regis deliberentur pro sua transgressione punientur. |

fo. 150

1243. Capitulum tercium decimum - De sectis siquidem faciendis ad curias magnatum et aliorum dominorum ipsarum curiarum de cetero sic obseruandum est, scilicet quod nullus qui per cartam feoffatus est distringatur de cetero ad huiusmodi sectam ad curiam faciendam domini sui nisi per formam carte sue specialiter teneatur ad sectam illam faciendam, hiis autem exceptis quorum antecessores uel ipsimet huiusmodi sectam facere consueuerunt ante primam transfretacionem domini Henrici regis in Britanniam,

^{a-a} ubi, *Ibid.*, 464.

^b responsurus, *Ibid.*, 464

a tempore cuius transfretacionis elapsi sunt triginta et nouem anni et medietas unius anni tempore quo huiusmodi constitutiones fuerint statute.

1244. Capitulum quartum decimum - Et similiter nullus feoffatus sine carta a tempore Conquestus uel alio antiquo feoffamento distringatur de cetero ad huiusmodi sectam faciendam nisi ipse uel antecessores sui eam facere consueuerunt ante transfretacionem domini Henrici regis predictam.

1245. Capitulum quintum decimum - Qui autem per cartam pro certo seruicio, ueluti pro libero seruicio tot solidorum annuatim pro omni seruicio soluendorum, feoffati sint ad sectam uel ad aliud ultra formam sui feoffamenti non teneantur.

1246. Capitulum sextum decimum - Et si hereditas aliqua de qua unica secta debebatur ad plures heredes parti<ci>pes^a eiusdem hereditatis deuoluatur, ille qui habet eyneciam hereditatis illius unicum facit sectam pro se et participibus suis, et alii participes sui proporcione sua contribuant ad sectam illam faciendam.

1247. Capitulum septimum decimum - Similiter eciam si plures feoffati fuerint de hereditate aliqua, de qua tantum unica secta debebatur, dominus illus feodi unicum sectam inde habeat, nec possit de predicta hereditate nisi unicum sectam exigere sicut prius fieri consueuit; et si feoffati illi warentum uel medium non habeant qui inde eos acquietare debeat, tunc omnes feoffati illi contribuant proporcione sua ad sectam illam faciendam. |

fo. 150^v

1248. Capitulum octauum decimum - Si autem contingat quod domini curiarum tenentes suos contra hanc prouisionem pro huiusmodi secta distringant, tunc ad querimoniam tenencium illorum attachientur quod ad curiam regis ueniant ad breuem

^a *Ibid*, 466.

diem inde responsuri, et unicum habeant essonium si fuerint in regno; et incontinenti deliberentur conquerenti aueria sua siue districtiones alie hac occasione facte et deliberate remaneant donec placitum inde inter eos terminetur. Et si domini curiarum qui districtiones huiusmodi fecerint et ad diem ad quem attachiati fuerint non uenerint uel diem sibi datum per essonium suum non obseruauerint, tunc mandetur uicecomiti quod eos ad alium diem uenire faciat; ad quem diem, si non uenerint, mandetur uicecomiti quod eos dstringat per omnia que habent in balliua sua, ita quod uicecomes domino regi respondeat de exitibus, et quod habeat corpora eorum ad certum diem prefigendum; ita quod, si illo die non uenerit, eat pars conquerens inde sine die et aueria sua siue alie districtiones deliberate remaneant donec sectam illam ipsi domini recuperauerint, et per consideracionem curie regis, et cessant interim districtiones huiusmodi, saluo dominis curiarum iure suo de sectis illis perquirendis in forma iuris cum inde loqui uoluerit. Et cum domini curiarum uenerint responsuri conquerentibus de huiusmodi districtionibus, et super hoc conuincantur, tunc per con per consideracionem curie domini regis recuperent uersus eos conquerentes dampna sua que sustinuerunt occasione districtionis predictae. Simili autem modo, si tenentes post hanc constitutionem subtrahunt dominis suis sectas quas facere debeant et quas ante tempus supradictae transfretacionis et hactenus facere consueuerunt, per eandem iusticiam et celeritatem quo ad dies prefigendos et districciones adiudicandas consequantur domini curiarum de sectis illis una cum dampnis suis quem ad modum tenentes sua dampna re|cuperent. Et hoc, scilicet de dampnis recuperandis, intelligatur de subtractionibus sibi factis et non de subtractionibus factis predecessoribus ipsorum. Verumptamen domini curiarum uersus tenentes suos seisinam de sectis huiusmodi recuperare non poterunt per defaultam, sicut nec hactenus fieri consueuit.

fo. 151

1249. Capitulum nouum decimum - De sectis autem que ante tempus supradictum subtracte fuerunt, currat lex cummunis sicut prius currere consueuit.

1250. Capitulum uicesimum - De turnis uicecomitis prouisum est ut necesse non habeant ibi uenire archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, comites, barones nec aliqui uiri religiosi seu mulieres, nisi specialiter eorum presencia exigatur, set teneatur turnus sicut temporibus predecessorum domini regis teneri consueuit. Et si qui in hundredis diuersis habeant tenementa non habeant necesse ad huiusmodi turnos uenire nisi in bailluis ubi fuerint conuersantes. Et teneantur turni secundum formam magne carte regis, sicut temporibus regum Ricardi et Iohannis teneri consueuerunt.

1251. Capitulum uicesimum primum - Prouisum est eciam quod nec in itinere iusticiariorum nec in comitatibus, hundredis nec in curiis baronum de cetero capiantur ab aliquibus fines pro pulcre placitande neque pro sic ut non occasionentur. Et sciendum est quod per istam constitutionem non tolluntur fines certi seu prestaciones arentate a tempore quo dominus rex primo transfretauit in Britanniam usque nunc.

1252. Capitulum uicesimum secundum - In placito uero dotis quod dicitur 'unde dotem nichil habet' detur de cetero quatuor dies per annum et plures si comede fieri possit; ita quod habeant sex dies uel quinque per annum ad minus.

1253. Capitulum uicesimum tertium - In assisa autem ultime presentacionis et in placito 'quare impedit' de ecclesiis uacantibus detur dies de quindena in quindenam uel de tribus septimanis in tres septimanas, prout locus propinquius fuerit uel remotus. Et in placito 'quare impedit', si ad primum diem ad quem summonitus fuerit non uenerit nec essonium miserit, tunc attachietur ad diem alium; quo die, si non uenerit nec essonium | mittat, distringatur per magnam districtionem superius dictam; et, si tunc

non uenerit, per eius defaultam scribatur episcopo quod reclamatio impeditorum illa uice conquerenti non obsistat, salvo impeditori alias iure suo, cum inde loqui uoluerit.

1254. Capitulum uicesimum quartum - Eadem lex de attachiamentis faciendis in omnibus breuibus ubi attachiamenta iacent de cetero quo ad districtiones faciendas firmiter obseruetur, ita tamen quod secundum attachiamentum sit per meliores plegios et postmodum ultima districtio.

1255. Capitulum uicesimum quintum - Et sciendum est quod postquam aliquis posuerit se in inquisitionem aliquam que emerit uel emergere potest in huiusmodi breuibus non habebis^a nisi unicum essonium uel unicum defaultam; ita scilicet quod, si ad diem sibi datum per essonium suum non uenerit aut secundum defaultam fecerit, tunc inquisicio illa per defaultam ipsius capiatur et secundum inquisitionem ad iudicium procedatur. Si uero inquisicio illa capta fuerit in comitatu coram coronatore uel iusticiariis domini regis ad certum diem remittenda et pars rea non uenerit ad diem illum, tunc propter defaultam ipsius assignetur ei alius dies secundum discrecionem^b iusticiariorum; ad quem diem, si non uenerit, procedatur ad iudicium propter defaultam suam. Eodem modo fiat si non ueniat ad diem sibi datum per essonium suum.

1256. Capitulum uicesimum sextum - De cartis uero exempcionis et libertatis ne ponantur impetrantes in assisis, iuratis uel recognicionibus prouisum est quod, si adeo necessarium sit eorum iuramentum quod sine eo iusticia exhiberi non possit, ueluti in magna assisa et in perambulacionibus et in cartis uel in scriptis conuencionum fuerint testes nominati aut in actinctis uel aliis casibus consimilibus, iurare cogantur, salua sibi alias libertate et exempcione sua supradicta.

^a habebit, *Ibid.*, 472.

^b discrecionem, *Ibid.*, 472.

1257. Capitulum uicesimum septum - Si heres aliquis post mortem sui antecessoris infra etatem exstiterit et dominus suus custodiam terrarum suarum habuerit, si dominus ille dicto heredi, cum ad legitimam etatem peruenerit, | ^aterram suam sine placito reddere noluerit, heres ille^a terram suam ni per accionem mortis antecessoris sui recuperabit una cum dampnis que sustinuerit propter detencionem illam a tempore quo legit legitime fuerit etatis.

1258. Capitulum uicesimum octauum - Quod si heres aliquis in morte sui antecessori plene fuerit etatis et heres ille apparens et pro herede cognitus inuentus sit in hereditate illa, capitalis dominus eius cum^b non eiciat nec aliquid ibi capiat uel ammoueat, set tantum simplicem seisinam inde faciat pro recognicione domini sui. Et si capitalis dominus huiusmodi heredem extra seisinam maliciose teneat, per quod per breue mortis antecessori uel consanguinitatis oportet ipsum placitare, tunc dampna sua recuperet sicut in actione noue disseisine.

1259. Capitulum uicesimum nonum - De hereditatibus autem que de domino rege tenentur in capite sic obseruandum est: ut dominus rex liberam inde habeat seisinam, sicut prius consueuit, nec heres uel alius in hereditatem illam se intrudat priusquam illam de manibus domini regis recipiat, prout huiusmodi hereditates de manibus ipsius et antecessorum suorum recipi consueuerunt. Et hoc intelligatur de terris et feodis que ratione seruicii militaris uel sergancie seu iuris patronatus in manu regis esse consueuerunt.

1260. Capitulum tricensimum - Prouisum est eciam quod, si terra que tenetur in socagio sit in custodia parentum heredis eo quod heres infra etatem exstiterit, custodes illi wastum facere non possunt uel uendicionem nec aliquam destruccionem de

^{a-a} *Supplied in the margin scribe 17.*

^b *eum, Kings, Barons, and Justices, 474.*

hereditate illa, set saluo eam custodiant ad opus dicti heredis ita quod cum ad etatem peruenerit, sibi respondeant per legittimam computacionem de exitibus dicte hereditatis, saluis ipsius custodibus racionabilibus misis suis. Nec eciam possunt dicti custodes dicti heredis maritagium dare uel uendere nisi ad commodum dicti heredis; set
fo. 152^v parentes propinquiores | qui huiusmodi custodias habuerunt a toto tempore illo a quo breuia implacitandi non conceduntur huiusmodi custodias habeant ad commodum heredis, ut predictum est, sine wasto, exilio, uel destruccionem faciendo.

1261. Capitulum tricensimum primum - Nullus autem eschaetor aut inquisitor uel iusticiarius ad assisas aliquas capiendas specialiter assignatus uel ad querelas aliquas audiendas et determinandas, de cetero potestatem habeant aliquem americiandi pro defalta summonicionis communis nisi capitalis iusticiarius uel iusticiarii itinerantes in itineribus suis.

1262. Capitulum tricensimum secundum - De assoniis autem prouisum est quod in comitatibus, hundredum au<t> curiis baronum aut aliis nullus habeat necesse iurare pro essionio suo warantizando.

1263. Capitulum tricensimum tercium - Nullus de cetero excepto domino rege placitum teneat in curia sua de falso iudicio facto in curia tenencium suorum, quia huiusmodi placita specialiter spectant ad coronam domini regis et ad dignitatem.

1264. Capitulum tricensimum quartum - Prouisum est eciam quod si aueria alicuius capiantur et iniuste detinantur, uicecomes post querimoniam inde sibi factam ea sine impedimento uel contradictione eius qui dicta aueria ceperit, ea deliberare possit, si extra libertates capta fuerint. Et si infra libertates huiusmodi aueria capiantur et bailliui libertatum ea deliberare noluerint, tunc uicecomes pro defectu illorum bailliuorum ea facit deliberari.

1265. Capitulum tricensimum quintum - Nullus de cetero possit distringere libere tenentes suos ad respondendum de libero tenemento suo nec de aliquibus ad liberum tenementum suum spectantibus, nec iurare faciat libere tenentes suos contra uoluntatem suam, sicut nullus facere potest sine precepto domini regis.

fo. 153

1266. Capitulum tricensimum sextum - Prouisum est eciam quod bailliui qui computum dominis suis reddere tenentur et se substraxerint et terras et tenementa non habuerint per que distringi possint, | tunc per eorum corpora attachientur, ita quod uicecomes in cuius baillia inueniantur eos uenire facit ad computum suum reddendum.

1267. Capitulum tricensimum septum - Item firmarii tempore firmarum suarum wastum uel uendicionem uel exilium non faciant de boscis, domibus, hominibus nec de aliquibus ad tenementa que ad firmam suam habent spectantibus, nisi specialem habuerint concessionem et per scripturam siue conuencionis mencionem quod hoc facere possint. Et si fecerint et super hoc conuincantur dampna plene refundent et grauiter per misericordiam punientur.

1268. Capitulum tricensimum octauum - Iusticiarii itinerantes de cetero non amerçant uillatas in itinere suo, eo quod singuli duodecim annorum non uenerint coram uicecomiti et coronatore ad inquisitiones de robberiis et incendiis uel aliis ad coronam spectantibus faciendas, dum tamen de uillatis illis ueniant sufficienter per quos huiusmodi inquisitiones plene fieri possint; exceptis inquisitionibus de morte hominis faciendis ubi onmes duodecim annorum uenire debent nisi rationabilem habeant causam absencie sue.

1269. Capitulum tricensimum nonum - Murdrum de cetero non adiudicetur coram iusticiariis ubi infortunium tantummodo adiudicatum est, set locum habeat murdrum in interfectis per feloniam et non aliter.

1270. Capitulum quadragesimum - Prouisum est insuper quod nullus coram iusticiariis itinerantibus uocatus ad warentum in placito terre uel tenementi amerietur de cetero pro eo quod presens non fuerit quando uocatur ad warentum, excepto primo die aduentus ipsorum iusticiariorum. Set si warentus ille sit infra comitatum, tunc iniungatur uicecomiti quod ipsum infra tercium diem uel quartum faciat uenire, sicut in itinere iusticiariorum fieri consueuit. Et si extra comitatum maneat, tunc rationabilem habeat summonicionem quindecim dierum ad minus secundum discrecionem iusticiariorum et legem communem.

fo. 153^v

1271. Capitulum quadragesimum primum - Si clericus aliquis pro crimine aliquo uel recto quod ad coronam | pertineat arectatus fuerit et postmodum de precepto regis in baillium traditus uel replegiatus extiterit, ita quod hii quibus traditus fuerit in baillium eum habeant coram iusticiariis, non amerientur de cetero illi quibus traditus fuerit in baillium uel alii plegii sui, si corpus suum habeant coram iusticiariis, licet coram eis propter priuilegium clericale respondere noluerit uel non possit.

1272. Capitulum quadragesimum secundum - Prouisum est eciam quod si depredaciones uel rapine alique fiant abbatibus aut aliis a prelati ecclesiasticis et ipsi ius suum de huiusmodi depredacionibus prosequentes morte preueniantur antequam inde iusticiam fuerint assecuti, successores eorum habeant occasiones ad bona ecclesie sue de manibus huiusmodi transgressorum repetenda. Similem insuper actionem habeant successores qui domui et ecclesie sue recenter ante obitum predecessorum suorum et per huiusmodi uiolenciam fuerint subtractata, licet predicti predecessores ius suum prosecuti non fuerint in uita sua.

1273. Capitulum quadragesimum tercium - Si autem in terris et tenementis huiusmodi religiosorum, quibus eorum prelati obierint seysiti ut de iure ecclesie sue aliqui se

intrudant tempore uacacionis, eorum successores breue habeant ad recuperandam seisinam suam et adiudicentur eis dampna sua sicut in noua disseisina adiudicare consueuit.

1274. Capitulum quadragesimum quartum - Prouisum est eciam quod si alienaciones ille de quibus breue de ingressu dari consueuit per tot gradus fiant quod breue illud in forma prius usitata haberi non possit, habeat conquerens breue de recuperanda seisina sine mencione graduum ad cuiuscumque manus per huiusmodi alienaciones res illa deuenerit per originalia per consilium domini regis inde prouidenda. |

fo. 154

1275. ^aMemorandum quod cum temporibus retroactis^b Iudeis concessum fuerit multis usibus uti illicitis qui sunt contra honorem Dei et ad detrimentum tocius regni; tamen de hoc non contenti anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo pecierunt a domino rege et consilio suo ut ipsi possent habere custodias et maritagia heredum infra etatem existencium Christianorum ^cet eciam aduocaciones ecclesiarum^c quorum terras ipsi Iudei habuerunt in seisinam, quod quidam per aliquos de consilio domini regis muneribus corruptos fere concessum fuit. ^aQuod intelligens quidam uir religiosus de ordine fratrum minorum^a contra hoc uiriliter se opposuit accedens ad dominum regem et consilium suum et dixit quod illa peticio fuit omnino contra honorem Dei et ad maximum dedecus tocius Christianitatis, cum Christiani deberent subiici Iudeis et per eos maritari. Dixit eciam quod Iudei multa illicita faciebant contra honorem Dei et detrimentum tocius regni, quod predictus uir coram domino rege et consilio multis racionibus euidenter ostendit. Vnde consilio habito coram eis communiter prouisum est et statutum sicut subnotatur.

^a *Scribe 1.*

^b *actis ins. above line.*

^{c-c} *Supplied in the margin scribe 1.*

1276. Hic subnotantur quedam de statutis Iudeorum in primis composita.^a

1277. Walterus permissione diuina Eborum archiepiscopus, Anglie primas et Godefridus eadem gracia Wigorniencis ecclesie minister humilis amico sibi in Christo, karissimo magistro Ricardo de Stanes domini regis iusticiario salutem cum sincere dileccionis in Christo semper augmento.^b Cum perfidi Iudei cunctis temporibus Christiane fidei aduersantes ex sola principum gracia moram in regno trahentes inuitantur ad communes fidelium regni Anglie libertates et consuetudines optinendas, ueluti de tenemento libero possidendo et alia ad liberum tenementum pertinencia uendicando, que quidem, si optinere ualere, quam plurima dispendia exinde sequerentur. Contingeret utique quod fideles infidelibus ratione talium tenementorum de fidelitate sibi facienda sacramentum corporale prestarent. Insuper fideles infidelibus tamquam suis dominis homagia facerent, et similiter fidelibus infideles ad ecclesias ratione tenementorum Iudei eciam presentarent, custodie, maritagia et eskaete ad manus infidelium peruenerent. In assisis et recognicionibus et iuratis ratione tenementorum frequencius ponerentur, et ita Iudei equiparentur fidelibus quoad placita.

fo. 154^v

Esset quoque lex regni Christianis eadem et Iudeis quod est contra sacrosanctas | Christiane religionis et nostre sancctiones. Possent eciam mediante pecunia situs et liberum tenementum, ita eciam baronias que de domino rege immediate tenentur futuris temporibus occupare. Et quia per hec et consilia paulisper inualescencia in lesionem fidei Christiane, domino regi et regno ac regni col posset non minimum preiudicium grauari, nuper apud Londonias, sicut scitis, in presencia serenissimi domini regis Alemannie uenerabilisque patris domini Rogeri Couentrensium et Lichefeldensium episcopi et nostra, necnon toto consilio domini regis Anglie assistente ibidem de

^a *Marginal ins. scribe 1*, Statuta de Iudeis que facta fuerunt per dominum regem et consilium suum anno gracia millesimo ducentesimo septuagesimo primo mense Iunii.

^b *Marginal ins. scribe 1*, Walterus, Godefridus.

uoluntate unanimi et assensu communi ad honorem Dei et uniuersalis ecclesie sue sancte, necnon ad communem regni utilitatem deliberato consilio salubriter prouisum exstitit et statutum, uidelicet, quod nullus Iudeus imposterum per cartam uel donum seu per alium quemcumque titulum feodum habeat uel teneat seu liberum tenementum uel redditum seu domum Christianis uel Iudeis locandam, domo excepta quam inhabitet propria in persona; nec de cetero placitet per breuia per legem regni Christianis prouisa de aliquibus supradictis. Nec breuia a cancellaria concedantur eisdem aliquatenus de predictis, et si concedantur pro nullis habeantur et uiribus careant et effectu. Sane cum ex dilacione et mora publicationis statuti et prouisionis huiusmodi, Iudeis forsitan et eorum fautoribus ad eius adnullacionem insistentibus, possent dispendia non modica interim prouenire, deuotionem uestram in honoris Dei augmentum et exaltacionem fidei Christiane populique Anglicani commodum et profectum, presentibus duximus excitandam ut dominis cancellario domini regis, iusticiariis de banco et maioribus curie qui fauore tam pii negotii uobis facilius se inclinabunt; aliisque secundum quod expediri uideritis nobis adiuuentes, dictum statutum cum maturitate, qua poteritis, inrotulari integre et complete et publicari solempniter facias ad memoriam sempiternam. In horum execucione taliter uos habentes, quod remuneracionem ab Altissimo, ad cuius honoris cumulum laboratis, consequi ualeatis. Et inde, quoad proprios, uobis tamquam filio ecclesie deuotissimo accrescat preconium magne laudis, pro certo scituri quod licet aliqui in animarum suarum periculum ad ipsius statuti eneruacionem conentur, prelati ad eiusdem obseruacionem laborabunt nec permittent, sicut nec debent, quod remaneat imperfectum, cum ad hoc ex iniuncto sibi officio teneantur et communis utilitas et euidens hoc exposcat. Valete. Datum apud Hadlega in festo Translacionis beati Thome Martiris [7 July], anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo.

fo. 155

1278. ^aIste sunt littere regis Anglie de eodem:

1279. Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hybernie, dux Acquitannie dilectis et fidelibus suis maiori et uicecomitibus Londoniarum et omnibus balliuis et fidelibus suis, ad quos presentes littere peruenerint salutem. Sciatis quod ad honorem Dei et uniuersalis ecclesie, ac emendacionem et utilitatem terre et reuelacionem Christianorum de dampnis et grauaminibus que sustinuerunt occasione liberorum tenementorum, que Iudei regni nostri clamabant habere in terris, tenementis, feodis, redditibus et aliis tenuris, et ne nobis seu communitati regni nostri uel ipsi regno possit de cetero preiudicium generari, prouidimus de consilio prelatorum, magnatum et procerum qui sunt de consilio nostro, ac eciam ordinauimus et statuimus pro nobis et heredibus nostris, quod nullus Iudeus liberum tenementum habeat in maneriis, terris, tenementis, feodis, redditibus uel tenuris quibuscumque per cartam, donum, feofamentum, confirmacionem seu quamcumque obligacionem uel quocumque alio modo. Ita tamen quod domos suas quas ipsimet inhabitant in ciuitatibus, burgis seu aliis uillis, inhabitent de cetero et eas habeant sicut habere consueuerunt temporibus retroactis; et eciam alias domos suas quas locandas habent, licite locare possint Iudeis tantum et non Christianis, ita tamen quod non liceat Iudeos nostros Londoniarum plures domos quam nunc habent, emere siue quocumque alio modo perquirere in ciuitate nostra Londoniis, per quod ecclesie parochiales eiusdem ciuitatis uel rectores earumdem iacturam incurant. Poterunt tamen iidem Iudei Londoniarum domos et edificia sua antiqua prius dirupta et destructa reper<ar>e et in statum pristinum redigere ad uoluntatem suam. Prouidimus eciam et statuimus de eodem consilio nostro quod de domibus suis predictis inhabitandis uel locandis, ut predictum est, nullus placitet uel placitare possit per breuia nostra originalia | de cancellaria, set tantummodo coram iusticiariis nostris ad

fo. 155^v

^a Scribe 2.

custodiam Iudeorum assignatis per breuia Iudaismi consueta et hactenus usitata. De terris autem et tenuris de quibus Iudei ante presens statutum feofati fuerunt, uolumus quod huiusmodi infeodaciones et dona penitus adnullentur, et terre et tenementa illa Christianis, qui sibi ea dimiserint, remaneant; ita tamen quod Christiani satisfaciant ipsis Iudeis de peccunia seu catallo contento in cartis et cirographis suis sine usura quod Iudei pro huiusmodi dono uel infeodacione dederint Christianis. Hac eciam adiecta condicione ut si Christiani illi incontinenti inde satisfacere non possint, liceat Iudeis predictis tenementa illa aliis dimittere donec inde per rationabilem extentam secundum uerum ualorem eorumdem catalla sua sine usura leuari possint, saluo tamen Christianis illis herbergagio suo, ita quod Iudeus pecuniam suam seu catallum suum per manus Christianorum et non Iudeorum inde recipiat, ut predictum est. Et si contingat Iudeum aliquem feofamentum amodo recipere a quouis Christiano de aliquo feodo uel tenemento contra presens statutum, Iudeus ipse tenementum dictum seu feodum penitus amittat et in manum nostram capiatur et saluo custodiatur, et Christiani illi uel eorum heredes terram uel tenementum illud de manu nostra rehabeant; ita tamen quod totam pecuniam quam ab ipsis Iudeis pro huiusmodi feofamento receperint, nobis tunc soluant, uel si eorum facultates ad hoc non sufficiant, tunc uerum ualorem tenementorum uel feodorum ipsorum nobis et heredibus nostris annuatim reddant ad scheccarium nostrum per ueram et rationabilem extentam eorumdem, donec de huiusmodi pecunia seu catallo nobis fuerit plene satisfactum. De nutricibus autem paruulorum, pistoribus, braciattoribus et cocis Iudeorum, quia Iudei et Christiani in cultum fidei dispares sunt, prouidimus et statuimus quod nullus Christianus uel Christiana eis ministrare presumat in ministeriis predictis. Et quia Iudei quosdam redditus de terris et tenementis Christianorum, tamquam perpetuos, dudum recipere solent per manus Christianorum, qui eciam feoda dicebantur, uolumus et statuimus

quod statutum tunc inde per nos factum firmitatis robur optineat, ne eis per presens statutum inde aliquo derogetur. Et ideo uobis precipimus firmiter iniungentes quod prouisionem, ordinacionem et statutum predictum publice per totam balliuam uestram proclamari et firmiter teneri faciant. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Westmonasterium uicesimo quinto die Iulii, anno
fo. 156 | regni nostri quinquagesimo quinto.

1280. Littere eiusdem regis:

1281. Henricus Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie, dux Normannie et Acquietannie, comes Andegauie dilectis et fidelibus suis Hugoni de Pateshelle thesaurario suo, Philippo de Assellis et sociis suis iusticiariis ad custodiam Iudeorum assignatis, Petro Grimbaldo et maiori Londoniarum salutem. Sciatis quod ad melioracionem regni nostri et maliciam et falsitatem Iudeorum reprimendam in crastino sancti Eadmundi [17/21 November], anno regni nostri uicesimo quarto, prouisum fuit de concilio nostro coram nobis, Stephano de Sagraue, fratre Galfrido eleseminario uestro, Bertramno de Criollo senescallo nostro, magistro Simone de Esteyland, Galfrido le Despenser et aliis fidelibus nostris tunc presentibus apud Wintoniam, quod custodes archiarum Londoniarum et clerici scriptores amoueantur, et quod per uisum uestrum et constabularii turris Londoniarum et duorum proborum et legalium hominum de ciuitate Londoniarum quos uobiscum ad hoc assumeretis, eligantur duo alii de legalibus et discrecioribus Christianis et duo alii de legalibus Iudeis Londoniarum quibus archa committatur custodienda, quorum unusquisque suam habeat clauem. Per uisum eciam uestrum eligantur duo clerici fideles, qui iurati quod fideliter se gerent in officio illo de cetero intendant ad omnimoda scripta inter Christianos et Iudeos conficienda, qui in presencia Christiani mutuo pecuniam recipientis et Iudei mutuo pecuniam dantis, inter

quos scriptum conficitur, tradant partem illam scripti ad quam scilicet cera dependat, predictis cyrographariis in archam inponendam infra decimum diem quo scriptum illud fuerit confectum ad tardius. Item prima pars illius scripti remaneat penes Christianum illum qui debitum illud mutuo acceperit. Et secunda pars que pes uocatur cirographi, et que solebat in archa reponi remaneat penes Iudeum a quo debitum illud fuerit mutuatum. Ita quod liceat ei debitum suum per pedem illum petere et inplacitare omni eodem modo quo solebat per partem illam ad quam cera fuit appensa, et pars illa ad quam cera dependet in archa reponatur ut predictum est. Et siquis Christianus de predictis cirographariis uel de predictis clericis illam partem cirographi ad quam cera dependet ultra decimum diem quo confectum fuerit extra archam detinere presumpserit, sit in graui misericordia nostra. Si autem Iudeus sic illam detinuerit et super hoc conuincatur, catallum suum nobis incurratur. Item sigillum Christiani qui debitum illud mutuo acceperit, con|tineat nomen proprium ipsius mutuantis, et eo singnetur illa pars que in archa debet reponi. Item omnis Iudeus ubicumque fuerit manens die sancti Michaelis [29 September] ibi maneat cum tota familia sua per totum annum integrum continuo sequentem, nec se ammoueat uel inde translatet sine speciali precepto nostro. Et uolumus quod usure non currant super debitores a die sancti Iohannis baptiste [24 June] anno regni nostri uicesimo tercio usque ad diem Natalis Domini anno rengni nostri uicesimo quarto. Et prohibimus ne aliquis Iudeus aliter pecuniam suam mutuo det quam per assisam communiter Iudeis a nobis et antecessoribus nostris concessum est, scilicet ne quis ultra sortem de libra per ebdomadam plusquam duos denarios^a capere presumat. ^aEt ideo uobis mandamus quod prescriptam prouisionem inrotulari et firmiter obseruari faciatis, presentes uero littere remaneant in archa cirographorum Londoniarum in custodia predictorum

fo. 156^v

^a Supplied over an erasure scribe 1.

cyrographorum exemplar suorum agendorum.^a Teste me ipso apud Clarendonam decimo die Decembris, anno regni nostri uicesimo quarto.

1282. De quodam monstro.

